COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

TOMUS TERTIUS

PURG. I-XX.

BENEVENUTI DE RAMBALDIS DE IMOLA

COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ COMŒDIAM

NUNC PRIMUM INTEGRE IN LUCEM EDITUM

SUMPTIBUS GUILIELMI WARREN VERNON

CURANTE JACOBO PHILIPPO LACAITA.

TOMUS TERTIUS.

FLORENTIÆ,

TYPIS G. BARBÈRA.

MDCCCLXXXVII.

COMENTUM PURGATORII.

INCIPIT LIBER SECUNDUS PURGATORII
Dantis Aldigherij de Florentia (1).

INCIPIT PRIMUS CANTUS SECUNDÆ CANTICÆ DANTIS, *in quo tractat sicut per Catonem fuerunt missi visuri pœnas animarum purgatorii; et tota ista secunda cantica consistit in moribus; et ideo ita loquitur de Catone et de quatuor astris, quia Cato fuit pater morum; et maxime quatuor virtutum cardinalium.*

Cum poeta bonus et peritus sit ille qui describit et determinat unamquamque rem secundum suam proprietatem et veritatem, ut scribit philosophus in sua poetria; poeta Dantes descripto perfecte inferno secundum exigentiam rei, in quo agitur de statu vitiosorum realiter et moraliter, juxta formam promissi ordinis describit purgatorium in quo similiter agitur de statu recedentium a vitiis. Ego vero exoneratus expositione libri primi, velut ipse in parte laboris fuerim cum autore, alacrius accedo ad declarationem secundi, qui plus difficultatis videtur habere ratione materiæ altioris et ignotioris. Et primo quidem totum istum librum distinctum in triginta tria capitula, ut per se patet, divido in tres partes integrales, quarum primam voco antipurgatorium, secundam purgatorium, tertiam vero postpurgatorium. Prima pars continet solum aliquos relegatos extra purgatorium propter tardatam pœnitentiam, qui vadunt er-

(1) E. Incipit commentum magistri Benvenuti de Ymola super Purgatorio in libro Dantis Allegherii poetæ florentini clarissimi.

rando, nec possunt intrare purgatorium, sed ad tempus sunt circumvagantes; et ista pars durat usque ad nonum capitulum. Secunda pars, scilicet purgatorium, continet in se septem genera peccatorum, qui purgantur a septem peccatis mortalibus in septem gironibus; et ista durat a nono capitulo usque ad vigesimum septimum. Tertia pars, scilicet postpurgatorium, continet paradisum deliciarum, ubi poeta describit ecclesiam Dei militantem et primam apparitionem Beatricis, et durat a vigesimo septimo usque ad finem. Primum capitulum prohemiale, tam nobile quam difficile, habens in se passus fortes, potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum poeta more suo proponit et invocat. In secunda describit tempus amœnum quo incœpit (1) hoc sacrum opus et inspectionem cœli, et venerabilem custodem sancti loci, qui facit eis aliquas petitiones, ibi: *Dolce color*. In tertia ostendit quomodo Virgilius respondet ad quæsita illi portario, et petit introitum ab eo, ibi: *Lo duca mio*. In quarta et ultima ostendit quomodo custos persuasus concedit sibi ingressum, et dat quædam præcepta servanda, ibi: *Marzia*. Aliæ sunt particulæ speciales, quas assignabo juxta modum solitum discurrendo per singulas. Ad primum igitur veniens dico quod poeta primo proponit (2): proponit siquidem materiam dicendorum circa quam aperit intentionem suam: et breviter dicit quod animus eius disponitur et apparatur ad meliorem materiam describendam, quam fecerit hucusque. Ordina literam sic: *La navicella del mio ingegno,* idest, ingenium meum, quod est tanquam navicula; et dicit diminutive navicula ratione honestatis et humilitatis, quia pervenit ad materiam humilem. Nam secundo capitulo Inferni faciens invocationem suam dixit satis superbe: *o alto*

(1) S. incipit.

(2) 117 e E. proponit siquidem materiam.

ingegno, vel respexit metaphoram magis propriam, quia navicula velocius currit per aquam, et nihil velocius est ingenio, quod percurrit universum cito, et multa complectitur. Navicula etiam facilius penetrat aquam, et ita ingenium acutum materiam. Vel dicit navicula, quia postea navigabit cum magna navi armata aquam paradisi, ubi dicit secundo capitulo, *dietro al mio legno che cantando varca.* — *Omai,* idest, deinceps, *alza le vele,* idest, erigit altam speculationem. Et hic nota quod poeta noster in toto poemate suo percurrit tres aquas; quarum prima est bassa et mortua, scilicet infernalis, et istam navigat (1) hucusque ad litus cum remo; secunda est alta et viva, et (2) ista incipit erigere velum; tertia est altissima et profundissima, scilicet paradisi, et ibi intrabit profundum pelagus: *che lascia dietro a se mar sì crudele,* idest, tam amaram materiam, qualis est infernalis, ubi vidit tot et tam crudelia tormenta pœnarum (3) amariora omni mari, ut patuit per totum librum præcedentem. Et ostendit ad quid erigat vela dicens: *per correr miglior acqua,* idest, causa describendi meliorem materiam et magis piam. Et hic nota quod prima aqua, idest materia, est bona ratione justitiæ, quæ in se bona est, quæ etiam fuit bona pro poeta et sequentibus eum: secunda est melior, quia (4) habet in se justitiam et misericordiam: tertia est optima, quia habet in se summum bonum et perfectam felicitatem. — *E canterò.* Hic poeta aperit suam intentionem circa materiam propositam, dicens: *e canterò*, idest, ego poeta Dantes qui cantavi de primo regno infelicium damnatorum, nunc cantabo, idest poetice describam, *di quel secondo regno,* scilicet purgatorio, idest de secundo statu animæ, quæ recedens a vitiis est in purgatorio morali coniuncta corpori, et

(1) 117 e E. navigavit.
(2) E. et in ista.
(3) E. pœnarum et maiora omni.
(4) 117, quæ habuit in se.

essentiali separata a corpore, prout notavi clarius ([1]) primo capitulo Inferni. Ideo bene se declarans, dicit: *dove l'umano spirito si purga,* ab omni sorde vitiorum cum pœna debita; unde dicit: *e di salire al ciel diventa degno;* quia nimis videtur indignum, et contra divinam justitiam, quod anima polluta labe malorum, impura et gravis ascendat ad cœlum purissimum quod totum est lux et amor. Et hic nota, lector, quod ista tria regna persuadet justitia vera etiam apud gentiles. Unde ut omittam testimonia Sacræ Scripturæ et fidelium doctorum, de inferno loquuntur magni philosophi et poetæ; unde Aristoteles in sua poetria dicit: *in inferno enim est continua tristitia et mœror inconsolabilis.* Purgatorium posuerunt Pythagoras et Plato, licet non sub nomine purgatorii, qui volunt quod anima pravi hominis interdum intret corpus canis, asini, serpentis vel ursi, ut ad tempus purgata possit redire ad astra. De paradiso etiam senserunt prædicti; unde Plato qui sequitur Pythagoram, et Tullius qui sequitur Platonem, ostendunt uterque in suis libris de republica præmia destinata justis in cœlo, scilicet immortalitatem et vitam beatam. Unde Tullius in ultima parte sexti de republica ostendit præmia parata cultoribus justitiæ in cœlo, et persuadet amorem justitiæ Scipioni. Et quis sanæ mentis compos dicat Neronem et Scipionem pari præmio remunerari? vel Messalinam et Lucretiam pari supplicio puniri? Unde Pythagoras in suis aureis versibus, ut Calcidius refert, dicit: *Corpore deposito cum liber ad æthera perges Evades hominem factus deus ætheris alti.* — *Ma qui.* Nunc poeta facit ([2]) suam invocationem; et quia invocaverat poeticas Musas secundo capitulo Inferni in generali, nunc invocat eas in generali, et unam in speciali.

([1]) E. clarius supra primo. ([2]) 117, facit unam.

Dicit ergo primo: *ma la poesi morta,* idest, scientia poetica mortua. Dicunt aliqui quod poeta hoc dicit, quia tractavit de mortuis; sed intellige sane, quia poesis non potest mori, sed mortua idest neglecta et calcata tempore suo; hodie vero potest dici mortua et sepulta, ideo dicit: *risurga qui,* idest, reviviscat in ista materia nova, quam nunc intendo aggredi. Unde dicit: *o sante Muse,* quæ faciunt homines sanctos (1) et sacros juxta illud Tullii in oratione pro Lucio Archia præceptore suo. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos poetas appellat, quod quasi deorum aliquo dono et munere commodati nobis esse videantur. Nonne poesis fecit hominem istum de peccatore sanctum? *poi che vostro sono,* scilicet poeta, idest, postquam sum (2) in totum deditus studiis (3) vestris, et egregie poetavi circa materiam inferni. Et nominatim invocat principalissimam Musarum, quæ vocatur Calliope, et est eloquens pronuntiatio; unde dicit: *e qui Calliope alquanto surga,* idest, invalescat et exaltet vocem suam. Ad quod nota quod poeta noster usus est eloquentia in primo libro; nam introduxit Mercurium, qui est deus eloquentiæ, aperientem sibi portam civitatis infernalis cum una virga, quod subtiliter expositum est Inferni capitulo nono. Hic vero indiget maiori eloquentia; in paradiso vero utetur maxima eloquentia cum perfecta sapientia. Ad intelligentiam autem plenam huius invocationis et aliarum factarum et fiendarum in toto poemate Dantis est notandum, quod omnes poetæ tam græci quam latini fingunt novem Musas, de quarum numero et nomine omnes convenire videntur; sed de ordine, virtute et (4) proprietate est magna diversitas. Alii enim dicunt quod sunt novem speræ, sicut Macrobius; alii quod sunt novem instrumenta formativa vocis hu-

---

(1) 117, sanctos juxta illud.

(2) S. sum totus deditus.

(3) E. studiis, et egregie.

(4) E. et pietate est maxima diversitas.

manæ, sicut Remigius super Martianum; et ipse Martianus aliter ordinat [1] Musas quam Fulgentius libro Mythologiarum; sed opinio Fulgentii magis videtur digna favore et pluribus placet. Unde novissimus poeta Petrarcha sequitur ipsum in suo libro Bucolicorum. Est ergo sciendum, quod istæ novem Musæ finguntur novem virgines, quæ dicuntur deæ poetarum, et figuraliter repræsentant novem quæ sunt necessaria poetanti. Prima quarum ponitur Clio [2]. Clio enim est dea gloriæ, unde dicitur a Cleos quod est gloria, quasi gloriosa dea, quia appetitus gloriæ principaliter incitat poetas ad scribendum, et ad finem famæ scribunt juxta illud Ovidii: *Quid petitur sacris nisi longa fama poetis?* Unde Petrarcha ibidem tangens virtutem istius primæ Musæ, dicit: *Quid famæ prædulcis amor!* Quod breviter patet in isto versiculo: *Primum scire cupit famæ dulcedine Clio.* Secunda vocatur Euterpe, quæ est dea delectationis; Euterpe enim græce, latine dicitur bene delectans, quia summa delectatio est in poeticis, ut pulcre ostendit Aristoteles in sua poetria; quod indicat iste versus: *Euterpe vocis grande juvamen habet.* Tertia vocatur Melpomene, quæ est dea meditationis; Melpomene enim interpretatur meditationem faciens, quia post cognitionem et delectationem debet homo instare scientiæ meditando. Nam non potest haberi perfecta cognitio rerum nisi mediante meditatione, quæ perficit habitum scientiæ; unde versus: *Instat Melpomene super oblectans meditando.* Quarta dicitur Thalia quæ est dea capacitatis, idest apprehensionis; est enim apprehensio rerum cognitarum cum delectatione et meditatione; dicitur enim Thalia quasi ponens germina, quia plura colligit, capit et discit, ut comprehenditur in isto versu: *Ipsa Thalia sinu præme-*

---

(1) 117, ordinavit. (2) E. Clio; quæ Clio est.

ditata capit. Quinta Polymnia, quæ est dea memoriæ, et convenienter ponitur post prædictam. Dicitur enim Polymnia, multam (1) memoriam faciens, unde dicitur a polis pluralitas, et mens. Nam post apprehensionem necessaria est reminiscentia et retentio, potissime poetæ, qui tot, tam (2) varia et dissona habet meminisse, ut continet hic versus: *Ne concepta fluant memorat Polymnia multum.* Sexta quæ succedit in ordine nominatur Erato, quæ est dea inventionis; nam Erato interpretatur inveniens simile, nam post habitum scientiæ et memoriam debet poeta aliquid simile invenire. Miserum enim est semper uti inventis, et numquam aliquid de proprio invenire; quod sonat iste versus: *Invenit hic Erato quæ similentur eis.* Septima est Terpsichore, quæ est dea judicii; unde Terpsichore idest, diiudicatio, de qua dictum est: *Terpsichore super inventis diiudicat ipsa.* Octava meretur nomen Urania, quæ est dea electionis, et exponitur Urania, idest cœlestis; nam Uran græce, latine cœlum; est enim vere opus cœleste scire eligere thema describendum; quod cœlestis mens poetæ Dantis mirabiliter fecit, qui (3) tam nobilem materiam scivit assumere, ut non habuerit parem nec ante nec post se. Hoc autem declaratur tali versiculo: *Eligit Urania quæ meliora probat.* Nona ultimo complet numerum Calliope, quæ merito ponitur in fine, quia est dea elocutionis; nam eloquentia finaliter accedit post omnia prædicta; nam, opere perfecto, fit recitatio, et traditur doctrina aliis publice cum debita pronuntiatione et eloquii venustate. Bene enim dicitur Calliope a Chalo quod est bonum, et phonos quod est sonus, quasi bona et consona vox, quod manifestat præsens versus: *Calliope regina sonat decreta sororum.* Nomina itaque Musarum sunt novem, scilicet

(1) E. quasi multam.
(2) S. quia tam.
(3) E. et tam varia habet meminisse.

Clio, Euterpe, Melpomene, Thalia, Polymnia, Erato, Terpsichore, Urania, Calliope. Et nota quod Musæ dicuntur filiæ Jovis. In medio autem istarum nobilium puellarum stat Apollo deus sapientiæ et poetarum, et puellæ in circuitu respiciunt illum allectæ (1) amore eius. Ipse vero tenet citharam septem cordarum suavissime cantans, quia sol temperat armoniam septem planetarum; ideo bene dictum est: *In medio resonans complectitur omnia Phœbus.* Ex omnibus prædictis satis perpendere potes quare poeta noster invocet Musas in generali, et in speciali istam Calliope, cuius officium est in fine decantare et proclamare egregia opera aliarum. Ideo bene dixit: *e qui Calliope alquanto surga,* scilicet ad defensionem meam contra æmulos meos, et adiuvet cantum meum. Et subdit poeta modum quo velit se juvari ab ista nobili domina, scilicet ut cantet nunc pro poeta suo tam excellenter, sicut olim fecit pro Musis suis contra Pierides quas mutavit in picas. Et ad huius fabulæ intelligentiam claram oportet præscire, quod sicut scribit Ovidius V Methamorphoseos satis diffuse: Pallas dea sapientiæ cum venisset ad visendum Parnasum montem celeberrimum poetarum, de quo plene dicam primo capitulo Paradisi, et Heliconem pulcerrimum fontem illius montis, commendata amœnitate loci, vocavit Musas felices ratione loci et studii. Tunc Urania virgo cœlestis, de qua dictum est supra, respondit quod verum dicebat Pallas, si essent tutæ ab iniuriis violentorum; et continuo narravit quod cum semel ipsæ novem sorores irent ad templum Apollinis, quod est in monte Parnaso, quidam nomine Pyreneus, qui armis subiugaverat regnum Boetiæ, videns eas blande et cum ficta reverentia invitavit illas, ut intrarent tectum suum cum esset tempus

(1) 117, allicitæ.

pluviæ. Cum autem cessasset pluvia et facta serenitate Musæ vellent recedere, iste iratus clausis portis parabat [1] violare eas; sed Musæ levissimæ evolaverunt per fenestras. Pyreneus temerarius ascendit turrim altam, et volens sequi eas deiecit se præcipitanter, et totus confractus maculavit terram scelerato sanguine suo. Cum autem Urania diceret ista, Pallas visa est audire voces humanas in arboribus; erant autem novem picæ: et Pallade petente quæ essent, Urania iterum narravit aliam iniuriam factam Musis, et dixit quod quidam nomine Pierius de Pelle civitate Alexandri Magni genuit novem filias tantæ superbiæ et elationis, quod temere transcurso longo spatio multarum terrarum, venerunt ad montem Parnasum, et cœperunt prorumpere contra Musas, dicentes, quod amplius non fallerent vulgus indoctum vana dulcedine cantus, et si haberent aliquam fiduciam sui certarent cum eis cum tali conventione, ut victæ relinquerent locum, et victrices retinerent possessionem loci, et huius certaminis judices essent nymphæ deæ fontium. Et dicit Urania quod contendere erat turpe eis, sed cedere visum est turpius. Ordine dato sederunt hinc inde ambæ partes in sedibus marmoreis; et illa quæ minata fuerat cœpit cantare convicia deorum, qualiter in bello giganteo fugerant et latuerant magnificando gesta gigantum. Tandem facto fine dicit Urania: mandatum fuit nobis ut responderemus; et tunc omnes Musæ commiserunt vices suas Calliope reginæ, quæ erat eloquentissima omnium, quæ mirabiliter decantavit laudes deorum et ruinam gigantum. Post longum cantum nymphæ dederunt sententiam, nemine discrepante, quod Musæ vicerant; sed illæ protervæ contradicebant, reclamabant [2] et improperabant. Ex quo Calliope irata dixit: postquam

(1) S. petebat violare. (2) 117, clamabant.

non sufficit vobis esse victas, dabimus vobis peiores pœnas: et continuo, illis ridentibus et spernentibus comminationes Calliope, percussit eas et maledixit in ira sua; et subito conversæ sunt in picas, et antiqua loquacitas et rauca garrulitas et vanum studium loquendi remansit in eis. Musæ vero victrices assumpserunt sibi nomen victarum, quia vocatæ sunt Pierides, sicut filiæ Pieri, sicut olim Scipio vocatus est Africanus ab Africanis devictis ad perpetuam rei memoriam et gloriam. Fabula breviter transcursa, nunc breviter videamus circa ipsam aliquid allegoricum, quoniam ista est fictio jocunda valde. Dico ergo primo quod Pyreneus est superbus, violentus qui videtur interdum admittere, colere et honorare Musas intra domum suam simulate habendo et legendo libros multos et pulcros poetarum, non ad usum virtutum, sed voluptatum suarum; ideo bene dicitur velle violare Musas, sicut Nero qui aliquandiu (1) dedit operam Musis, et aliquando poemata scripsit; sed Musas et musicam et cantum et eloquentiam convertit in usum obscenitatum suarum, quando, mutato habitu, discurrebat per omnia lupanaria Romæ, et cum meretricibus disputabat de omni genere voluptatum vocans illas commilitones suos, et suadens ut bene sperarent quia eis non poterat deficere, vivente Nerone. Et Galienus imperator poemate clarus, sed fœdatus omni vitiosa libidine, cum alii poetæ fecissent epithalamia super nuptias nepotis sui, fecit ipse epithalamium, idest carmen nuptiale valde subtile, sed in materia inhonesta, dicens: *Ite simul pueri pariter sudate medullis Omnibus inter vos; nec murmura vestra columbæ, Brachia non hederæ nec vincant oscula conchæ.* Sed Musæ evolant et evadunt, quia scientia est inviolabilis, ut inquit ille: *Has saltem nullus potuit per-*

(1) 117, aliquando dedit.

vincere terror. Licet enim Nero fecerit mori Senecam et Lucanum, tamen illi cum scientia et virtute sua [1] revolaverunt ad sua astra, et fama et gloria indelebilis remansit de eis: ipse vero in fine prostratus, confusus et infamatus: talem exitum habet [2] omnis violator scientiæ et virtutis. Sed ulterius sicut aliqui faciunt iniuriam Musis per violentiam, ut patuit in Pyreneo, ita alii faciunt iniuriam eis per ignorantiam, sicut patuit in filiabus Pieri, quæ novem præsumpserunt contendere contra novem Musas, quia scientia tot habet hostes quot sunt ignorantes. Unde et septem scientiæ liberales similiter habent picas infestas sibi, imo etiam septem mechanicæ habent [3] suas picas; quia in omni arte et scientia [4] inveniuntur doctores, magistri et artifices ignorantes, qui solum vigent temeritate, et superba loquacitate audent contendere cum peritis et probis, magnificantes se solis verbis; et si semper inventi sunt tales, maxime hodie, quando soli sophistæ audiuntur in scholis et ubique. Sed huius litis judices sunt nymphæ deæ fontium, idest viri sapientes, clari, qui sunt fontes sapientiæ et eloquentiæ, quia soli sapientes sunt qui possunt vere judicare de scientibus et ignorantibus, et dant justam sententiam inter eos; sed ignorantes non acquiescunt, imo pertinaciter reclamant, sed finaliter remanent picæ, quia solum remanet eis sonus verbalis; et in sylvis, idest in populis, garriunt more picarum, quæ proferunt verba et voces humanas non intelligentes se, nec alios. Ideo bene tales possunt dici corvi loquaces, picæ garrulæ; et ranæ strepidulæ, quæ importuno clamore obstrepunt auribus audientium. Sed videbatur Musis turpe contendere cum istis, quia juxta verbum Salomonis: *Noli respondere stulto secundum stultitiam suam, ne sibi similis videaris;* ta-

---

(1) E. eorum.
(2) E. habuit.
(3) S. semper habent.
(4) S. virtute.

men turpius visum est cedere, quia, ut dicit idem sapiens: *Responde stulto ne sibi sapiens videatur*. Nunc ad literam redeundo dicit poeta: Calliope surgat armata, *seguitando il mio canto,* idest, juvando favore suo meum poeticum tractatum, *con quel suono,* scilicet cantu poetico excellenti et potenti, *di cui,* scilicet soni, *le Piche misere,* idest, Pierides infelices miserabiliter mutatæ in picas propter suam audaciam et calorem juvenilem, *sentiro lo colpo tal,* maius vulnus non potest dari talibus, quam detegere ignorantiam suam, *che disperar perdono,* quia numquam postea possunt (1) sperare ut restituantur ad primam (2) famam, quam prius intempestive et indigne usurpare sibi conabantur; istud enim est commune vitium juniorum. Et sic vide quantum similitudo facit ad propositum; quia poeta noster implorat hic ut ipse nunc possit confundere æmulos ignaros (3) poetriæ, sicut jam Calliope confudit picas adversarias suas, et dimisit eas in mala hora cum garritu suo nihil nocituras sibi. Sicut ergo magna Musa obtinuit victoriam contra fœminas garrulas quæ audebant disputare secum, ita magnus poeta contra æmulos garrientes more mulierum, qui tam temerarie quam ignoranter audebant calumniare bene dicta eius, ponentes os in cœlum, sicut Pierides contra deos. Sed autor noster loquitur laudes Dei et deorum, idest, angelorum, ut patebit in processu.

Dolce color. Ista est secunda pars generalis huius capituli primi, in qua autor noster, facta pulcra invocatione, volens descendere ad tractatum, primo describit pulcrum tempus, quo incœpit pulcerrimum opus suum. Describit autem ortum auroræ primo per effectum, scilicet per clarorem aeris: secundo per causam, scilicet per apparitionem Luciferi, qui prænuntiabat solem ve-

(1) E. possunt restitui nec sperare ut.

(2) 117, primam formam.

(3) S. ignorantes.

nire ad ortum. Et quia litera est fortis volo te scire, quod poeta noster vult sententialiter dicere in effectu, quod ubi erat semper solitus videre in inferno aerem caliginosum, pestilentem, semper inquietum, minantem fulgura, tonitrua, tempestates; nunc intraturus purgatorium invenit aerem clarum, luminosum, purum, quietum [1]; ideo exhilaratus est. Intraverat autem infernum adveniente tenebra noctis, nunc autem intrabit purgatorium adveniente luce diei. Ad literam ergo, dicit poeta: *Dolce color,* scilicet pulcer et purus color illius aeris ad differentiam coloris aeris infernalis, qui est obscurus et amarus, *d' oriental zaffiro,* idest, illius aeris cœlestis, quem pulcre tangit sub metaphora coloris lapidis zaphiri; nihil enim terra parit similius cœlo sereno, ipso zaphiro. Ergo per zaphirum intellige solummodo illum colorem serenum aeris similem zaphiro. Nec intelligas, sicut quidam vane [2] dixerunt, quod per zaphirum poeta intelligit [3] Beatricem, quia ipsam tantum inveniet in summitate montis purgatorii. Ideo dicit: *che s' accoglieva nel sereno aspetto,* idest, in inspectione illius aeris sereni, qui recte videbatur unus zaphirus *dal mezzo puro,* idest, ab illo hemisperio inferiori; unde dicitur hemisperium quasi dimidia spera: medietas enim cœli semper est super terram, alia medietas infra, ut dictum [4] finali capitulo Inferni, et dicetur secundo capitulo sequenti, *infino al primo giro,* idest, usque ad circulum lunæ, cuius globum dicit attingere usque ad globum lunarem: vel *primo giro,* idest, usque ad circulum ignis, qui est primus in spera activorum et passivorum; et videtur melior expositio, *ricominciò diletto agli occhi miei,* scilicet intellectualibus, *tosto,* idest, quam cito, *ch'io uscì' fuor de l' aire morta,* scilicet infernali, ubi stant vere

---

(1) E. et quietum.
(2) S. varie dixerunt.
(3) E. intellexerit.
(4) E. dictum est finali.

mortui, et dicit: *che m' avea contristati gli occhi e 'l petto;* idest([1]), conturbaverat mentem meam oculo videndo, et corde compatiendo tam tristia mala damnatorum. Et tangit causam huius serenæ apparentiæ; et vult breviter dicere quod Venus oriens in illo hemisperio ita clarificabat aerem; Venus enim aliquando est orientalis, sicut quando præcedit solem in ortu suo, et tunc vocatur Lucifer, quasi lucem ferens, et est lucidissima aliarum stellarum; aliquando vero est occidentalis, scilicet quando sequitur solem in occasu, et tunc vocatur Hesperus, ut dicetur plenius Paradisi capitulo VIII. Dicit ergo: *lo bel pianeta,* idest, Venus quæ est pulcra aspectu suo, et facit homines pulcros et amantes et amabiles; unde dicit: *ch' ad amar conforta,* idest, suadet et inclinat influentia sua ad amorem, nam dicitur mater amoris; *faceva tutto rider l' oriente,* idest, lætari ([2]), splendere. Sicut enim aer videtur tristari adveniente nocte, quia induit colorem nigrum; ita videtur lætari adveniente die, quia induit colorem clarum, et dicit: *velando i pesci,* quia Venus erat in piscibus, et nimio splendore suo celabat ipsum signum, *ch' erano in sua scorta,* quia semper incedit per signa zodiaci, sicut et cæteri planetæ. Si ergo Venus oriebatur cum piscibus, consequens est quod sol oriebatur cum Ariete post Venerem, quia Aries sequitur immediate post Venerem, et sic appropinquabat dies. — *Io mi volsi.* Hic poeta ostendit quid viderit pulcrum in illo hemisperio sereno; et dicit quod convertens se ad meridiem respexit alium polum australem, in quo vidit quatuor lucentissimas stellas. Sed ad declarationem huius literæ, quæ videtur obscura, bonum est præscire, quod quemadmodum hic juxta polum nostrum sunt aliquæ stellæ quæ videntur immobiles, quia numquam moven-

([1]) E. idest contristaverat seu conturbaverat.
([2]) 117, lætari splendore.

tur vel recedunt a visu nostro, ita in opposita parte videtur rationabile, quod sint aliquæ stellæ circa illum polum, quæ in alia parte terræ eodem modo non referuntur a firmamento. Illæ ergo numquam possunt apparere in hac temperata, quia tumor terræ interpositus est. Nec mirum cum dicatur in India esse gentem cui non apparet nisi una de stellis plaustri; quod contingere non potest propter aliud, quam propter interpositionem tumoris umbræ terræ: ex quibus patet quod poeta noster non poterat videre simul utrumque polum, sicut multi falso dicunt hic; ideo si cœperat videre polum antarticum, desierat videre polum articum. Polus enim septemtrionalis est super capita nostra; antarticus vero est in opposita parte, et sub pedibus nostris, et firmamentum semper volvitur ab ortu in occasum inter hos duos polos; et inde contingit quod polus noster numquam recedit a visu nostro, et ille qui est ex altera parte numquam nobis apparet; et e converso accidit in alio hemisperio. Ideo ad literam; dicit poeta: *io mi volsi a man destra,* scilicet versus meridiem, *e posi mente,* idest, respexi cum oculo mentis, *a l' altro polo,* scilicet australem, qui erat altus ibi [1] sicut nobis est bassus, *e vidi quattro stelle,* idest, quatuor virtutes cardinales, ut autor se glosat, et exponit capitulo antepenultimo huius Purgatorii, quæ merito appellantur stellæ, quia [2] sunt claræ et incorruptibiles velut stellæ. Et nota quod circa alium polum sunt tres lucidissimæ stellæ oppositæ istis quatuor, ut dicetur infra capitulo VIII, quæ allegorice sunt tres virtutes theologicæ; et dicit, *non viste mai,* idest, non visæ jam per multa secula ab hominibus vitiosis, sed antiqui egregie coluerunt eas, ideo dicit: *fuor che a la prima gente.* Et hic nota quod aliqui exponunt

---

(1) E. sibi. (2) E. quæ.

hoc sic, idest, præterquam ab Adam et Eva; sed ista est nimis stricta expositio, quia primi parentes parum steterunt in statu innocentiæ, et nimis pauci fuissent cultores istarum virtutum; et tamen statim ostendet quod Cato fuit illustratus eis. Alii exponunt, præterquam a prima gente, idest ab hominibus primæ ætatis, quæ dicitur fuisse aurea, quæ ignoravit vitia et innocenter coluit virtutes: sed quando ista ætas fuerit non invenio. Sed credo quod poeta velit dicere, quod miseri moderni perdiderunt visionem istarum quatuor stellarum, quas antiqui nostri bene viderunt, et vixerunt ambulantes ad lucem earum, ad quas cæteræ virtutes morales reducuntur, sicut antiqui romani. Unde Augustinus XV de Civitate Dei: *ostendit Deus in opulentissimo regno romanorum quantum civiles virtutes valeant etiam sine vera religione:* et magni (1) philosophi et poetæ tam græci quam latini. Et ista videtur vera intentio autoris, quod ipse clare manifestat infra capitulo VIIII, ubi dicit Virgilius, quod stat cum illis qui plene noverunt quatuor virtutes etc. Et declarat excellentiam pulcritudinis istarum stellarum dicens: *goder pareva il ciel di lor fiammelle,* quia viri cœlestes illustrati radiis earum, quæ dirigunt homines ad felicitatem; et quia moderni desierunt colere eas, ideo statim poeta ex dolore et indignatione indignanter exclamat: *o,* idest, dico, *sito settentrional,* per hoc intelligit orbem romanum christianum, qui est vicinus tramontanæ et polo nostro septemtrionali, licet posset large intelligi de omnibus incolentibus terram nostram habitabilem, qui omnes vident ipsum polum, licet magis septemtrionales et occidentales, *vedovo,* idest, viduatum et spoliatum tanta claritate stellarum; unde dicit: *poi che privato se' di veder quelle! — Com' io.*

(1) E. et magis.

Nunc poeta, ostensa amœnitate aeris et pulcritudine cœli, describit venerabilem senem custodem loci. Hic autem erat Cato Uticensis. Et quia hic videtur error satis enormis, rogo te, lector, ut vires animi parum colligas ad considerandum quid poeta noster intendat (1) sub ista mirabili nova fictione, quæ videtur sapere hæresim; nimis enim videtur absurdum quod ponat Catonem custodem purgatorii, quem debuisset ponere in inferno, tum quia fuit paganus infidelis, tum quia interfecit se ipsum; unde debebat melius reponi inter violentos contra se ipsos. Ad hoc dicunt aliqui quod poeta propter mirabilem virtutem Catonis imaginatur quod Deus inspiraverit sibi veram cognitionem fidei; sed istud nihil valet, *quia ubi te invenero, ibi te judicabo.* Licet enim possibile sit quod suspendens se laqueo habeat contritionem et salvetur, tamen non possumus nec debemus judicare nisi de damnatione eius. Ideo si poeta habebat respectum ad excellentiam virtutis Catonis, sufficiebat ponere ipsum inter viros illustres cum Socrate, Seneca, et aliis magnis viris, quos ponit sine pœna in loco luminoso et herboso. Alii dicunt, et communiter omnes, quod Cato hic ponitur pro honestate; nec istud valet, quia Augustinus primo de Civitate Dei circa principium, ubi egregie disputat contra istum Catonem quia se occidit, dicit: *non honestas turpia præcavens, sed infirmitas adversa non substinens.* Præterea honestas, figuratur potius in Martia uxore Catonis, ut dicetur paulo infra. Sed omissis ambagibus pro vera intelligentia huius passus debes (2) memorare, quod poeta noster ut plurimum loquitur de purgatorio morali. Quod ut clare pateat est notandum (3): M. Cicero in epistolis quas scribit Q. Ciceroni fratri suo, qui, parvi corporis, sed magni animi fuit, legatus Julii Cæsaris in Gallia, ut patet

(1) E. intelligat. (2) E. debes notare et memorare.
(3) S. e E. est notandum, quod M. Cicero.

apud Julium Celsum, cum fecisset illi multas persuasiones ad virtutem, concludit quod frater faciet hoc faciliter si putaverit ipsum Tullium esse præsentem omnibus rebus quas dicet et faciet. Ecce qualiter Tullius proponit [1] se ipsum fratri suo in exemplum virtutis. Seneca autem scribens Lucilio amico suo optimo noluit proponere se in exemplum illi, quia non fuit ita cupidus gloriæ; sed suadet ut ipse fingat sibi præsentiam alicuius clarioris viri, cuius autoritate se custodiat, sicut Catonis, Scipionis, aut Lælii, qui fuit amicus perfectissimus Scipionis. Et addit quod si Cato videtur sibi nimis rigidus, quod eligat Lælium virum remissiorem, vel alium, cuius vita et ordo placuerit sibi. Sic ergo Seneca reliquit nobis libertatem eligendi quem volumus, dummodo eligamus illum cuius vita sit nobis nota. Ad propositum ergo Dantes ingressurus viam virtutis moralis sequitur consilium Senecæ, et eligit Catonem rigidum, quia ipse etiam multum fuit rigidus et durus; similiter multi eligunt sibi ipsum Senecam sicut ego mihi elegi ipsum Dantem. Nec mireris, lector, si sic moraliter dixi istum passum fore intelligendum, quia etiam Virgilius non habet hic locum, nisi loquamur de purgatorio morali, quia non novit purgatorium essentiale, neque in vita cum fuerit paganus, neque post mortem cum sit [2] damnatus. His notatis, vide qualiter poeta noster cum consilio Senecæ moralis fingit sibi præsentiam Catonis [3], qui dirigit ipsum ad viam virtutis altissimæ; et sicut dixi de virtutibus, ita intellige de scientiis, quia Tullius conatur imitari Platonem, Virgilius Homerum, Statius Virgilium. Nunc descende ad literam quam ordina sic: ego Dantes, *vidi presso di me un vecchio,* scilicet Catonem Uticensem, quia erat senex ætate, quia [4] diu vixit, et sa-

(1) E. proponit se fratri.
(2) 117, fuerit.
(3) E. Catonis moralis, qui.
(4) S. qui diu.

pientia multa, *solo,* sine socio, quia non indigebat duce, sicut poeta noster qui erat sociatus Virgilio, vel, *solo,* idest, solitario, quia solitudo est maxime amica viris sapientibus et virtuosis; et dicit: *degno di tanta riverenza in vista,* idest in apparentia. Erat autem Cato summe reverendus [1] ratione ætatis, quia senex; natione, quia romanus; dignitate, quia senator urbis, et functus multis magistratibus; claritate sapientiæ et virtutis, quæ [2] reddebant eum venerabilem etiam hostibus, *che più non dee al padre alcun figliuolo.* Et hic nota bene quod parentes sunt honorandi a filiis post [3] deos, ut dicit philosophus: sed si parentibus qui dederunt nobis corpora debemus omnia, et si datoribus beneficiorum debemus multa; quanto magis de nobis sunt bene meriti præceptores et magistri qui formaverunt animos [4] nostros? Primi enim dederunt nobis donum corruptibile et caducum; alii vero donum immortale. Et hunc senem vidi, *com' io dal loro sguardo fui partito,* idest, statim cum removi oculos meos ab inspectione illarum quatuor stellarum, *un poco me volgendo a l' altro polo,* scilicet ad nostrum articum; et non intelligas quod viderit ipsum, quia, ut jam dictum est, non poterat simul videre utrumque polum; nec autor dicit se vidisse ipsum polum, imo dicit contrarium, quia dicit: *là onde il carro,* idest, constellatio circa polum nostrum, quæ dicitur ursa maior, *già era sparito;* per quod dat intelligi quod jam transiverat ad aliud hemisperium ubi non apparebat polus noster, qui tamen bene apparebat in nostro hemisperio superiori antequam transitum faceret ad illud hemisperium. Nec exponas, sicut aliqui falso exponunt, quod autor velit dicere quod jam fiebat dies, quia tunc plaustrum disparet nobis quantum ad visum nostrum; sed

---

[1] S. verendus.
[2] E. quæ omnia reddebant.
[3] E. post Deum, et ut dicit.
[4] 117, animas nostras.

totum contrarium erat, quia dies fiebat in illo hemisperio inferiori, in nostro vero fiebat nox, et incipiebat plaustrum videri a nobis. — *Lunga la barba.* Hic poeta describit istum venerabilem senem ab habitu corporis et animi, scilicet a virtutibus. Sed antequam veniam ad expositionem literæ, primo est curiose insistendum ad tollendum unam dubitationem, quæ omnes intelligentes adducit in magnam admirationem, scilicet quare poeta noster non potius inducit hic Catonem superiorem, qui fuit optimus morum censor, et correxit in urbe mirabiliter malos mores, et habuit ingenium divinum, versatile ad omnia? et ut videas clare quod non immerito mirantur de hoc, est consideratione dignissimum quod multi fuerunt Catones, puta septem de eodem sanguine, sicut patet per A. Gellium libro Noctium Atticarum, ubi tractat de genealogia Catonum, quorum primus et ultimus fuerunt viri præstantissimi, scilicet Cato Censorius et Uticensis. Cato prior oriundus de Tusculo civitate, proavus istius Catonis Uticensis, primus venit Romam. Ergo M. Porcius Cato, a quo Portia familia originem habuit, videtur superior Catone posteriore non solum ætate, sed virtute et probitate multiplici. Nam primo quidem promeruit cognomen singulare sapientiæ, in qua non videtur habere parem, de naturali sapientia intellige; et non solum magnam sapientiam, sed etiam magnam scientiam literarum; nec solum literis latinis, sed etiam græcis operam dedit, cum tamen latinas jam senior didicisset. Scripsit librum *de originibus,* opus famosum, et librum *de agricultura;* fuit enim optimus agricola sui temporis. Ultra scientiam magnam habuit maiorem eloquentiam quam aliquis ([1]) suus contemporaneus, quia latina eloquentia nondum pervenerat ad summum cul-

([1]) 117, aliquis solus suus temporaneus.

men, quod postea fecit sub Cicerone, ut testatur Seneca libro Declamationum. Ideo fuit eloquentissimus orator suo tempore; nam scripsit orationes innumerabiles. Sicut enim scribit [1] Titus Livius, quadraginta quatuor vicibus pro se causam dixit; nec unquam senectute coactus ut vellet defendi per alium, et semper sententiis absolutus fuit, quod erat signum magnæ severitatis et innocentiæ. Fuit enim [2] clarissimus prudentia in consulendo rei publicæ, et virtute bellica. Ipse consul creatus profectus in Hispaniam, magna prœlia gessit cum magna industria et audacia; sed cum non posset continere gentem ferocem a rebellione, ablatis armis quibus semper assueverant et sine quibus vivere nesciebant, ut tolleret illis omnem causam et materiam rebellandi, misit singulis civitatibus literas cum mandato, ut statim visis præsentibus singulæ prosternerent muros et mœnia sua. Unaquæque credens sibi soli præcipi paruit mandatis; multæ tamen rebelliones continuo fiebant, sed rigidissimus dux omnem asperitatem vincebat in nullum severior quam in se ipsum, laboris, vigiliæ, famis, somni, patientior in se quam in aliis, nihil habens in exercitu suo præcipuum nisi curas et nomen imperii. Nam dum iret in Hispaniam consul populi romani usus est eodem vino et cibo quo remiges, contentus ministerio trium servorum. Pro certo hic vir fuit insignis et in omni re mirabilis; nam cum quidam essent apti ad scientiam juris civilis, quæ tunc erat in prætio maximo; alii ad scientiam rei militaris, iste pariter ad omnia promptus erat; si literis operam daret, crederes illum natum ad literas; si armis ad arma; et breviter quicquid agere attentasset, id suum artificium judicasses. Unde non erat facile judicare cui rei esset aptior, cui arti esset habilior; nam, ut utar

(1) 117, scripsit. (2) E. etiam.

verbo Plinii VII Naturalis Historiæ, fuit optimus orator, optimus senator, optimus imperator. Orator, inquam, elegantissimus, senator gravissimus, imperator victoriosissimus. Nam in juventute multis claris pugnis ornatus, postquam ad ætatem et dignitatem venit, laude muliplici extitit honestatus, nulli hominum secundus, in omni re quam aggrediebatur modestissimus, in advocatione acerrimus, nulli cedens, imo tanto durior, quanto ille contra quem orabat, erat maior, sæpe accusans nobiles, sæpe accusatus ab illis, sed semper absolutus; nec unquam victus labore et periculo, aut territus; securus semper et indefessus ad omnia, ita ut videretur ferreus animo et corpore; nam numquam aliquam partem vitæ tranquillam duxit, quia numquam a rei publicæ ministratione cessabat, nec ullam partem vitæ ab invidia æmulorum tutam egit. Ideo octuagesimo sexto anno accusatus de crimine capitali, cum haberet paratos juvenes oratores qui possent adiuvare et defendere innocentiam et ætatem tanti viri, nullius (1) auxilium voluit; quod adstantibus miraculum visum est, quia nullus potuit notare vocem trementem, aut memoriam vacillantem senio ex aliqua parte. Demum anno nonagesimo opposuit se Sergio Galbæ oratori facundissimo accusanti Hispanos, et quos juvenis vicerat ense et consilio, senex lingua et oratione defendit, et ipsum Galbam fecit de accusatore reum, et protraxit ad judicium populi. Ipse vero de victoriis Hispaniæ justissime triumphavit. Ipse deinde fuit legatus Actilii Glabrionis, consul secundum Titum Livium, et secundum Tullium tribunus militaris, et militans sub eo fuit magna pars magnæ victoriæ quam ille habuit de Antiocho potentissimo rege Syriæ ad montes Thermopylarum in Græcia. Et non multo post contra vo-

---

(1) S. nullum auxilium.

luntatem nobilium, qui hunc virum oderant et timebant, factus censor cum L. Valerio Flacco quem ipse voluit collegam egit severissimam censuram, multos notatos infamia expulit de Senatu, præcipue L. Quintum Flaminium fratrem Titi Flaminii magni ducis, qui vicerat Philippum regem Macedoniæ, quia ille Lucius Placentiæ fecerat decapitari hominem in convivio quamvis reum mortis ad instantiam unius suæ meretriculæ, quæ dicebat numquam vidisse hominem decollari; mores novos et corruptos extirpavit et antiquos reformavit: et ut concludam cito, talis fuit ista censura, quod cum prius et postea multi fuerint censores viri illustres, Cato solus meruit cognomen censoris, et vocatus est Cato Censorius (1). De Catone superiore satis dictum est: de posteriore dicta sunt mirabilia Inferni capitulo XIIII. Hic enim Cato habuit corpus infatigabile et animum invincibilem, qui fortiter et patienter portavit in arena Africæ omnia intolerabilia incommoda, pericula, damna, sicut violentiam venti austrini, excessum caloris, inopiam aquarum, errorem viarum, multum timens omnibus suis, sibi vero nihil. Sed omnia hæc mala erant lævissima nisi invenisset diversa genera serpentum pestilentium, infligentium varia genera mortium inaudita, sicut plene scriptum est Inferni capitulo XXIIII et XXV, et tamen inter tot pestes et mortes suorum numquam hic Cato visus est fractus aut negligens; imo virtus Catonis similis erat virtuti nutritivæ quæ numquam quiescit, imo (2) cæteris quiescentibus ipsa vigilat, et magis laborat digerendo cibum et ministrando omnibus membris alimentum. Ideo Cato iste merentius triumphasset de arena Africæ, quam alter Cato pro Hispania subiugata. Multa sparsim scripta sunt apud diversos autores de laudibus

(1) E. Censorinus. (2) E. sed cæteris.

huius Catonis, quas omnes, ut claudam uno verbo, dicit Tullius uno verbo de eo quod nemo melior natus est, nemo pietate præstantior. Valerius vero dicit, quod (1) qui unum bonum ac sapientem nominare voluerit, sub Catonis nomine diffiniat. Nota tamen quod Cato primus tantum laudatus fuit valde adversus Africano superiori duci clarissimo, sub quo quæstor militaverat tempore secundi belli punici, et fuit causa quia (2) ille recederet de Roma; fuit (3) etiam autor quod Carthago everteretur contra Scipionem Nasicam virum optimum; unde ex sententia Catonis, ipso jam mortuo, Carthago deleta est, quæ erat tamquam eos semper acuens romanam virtutem. Fuit enim iste Cato prior semper magnus stimulus nobilium, et habuit linguam amarissimam nimis. Cato vero Uticensis fuit inimicissimus Cæsaris; ideo cum Cicero fecisset librum de laudibus Catonum, Cæsar fecit librum in contrarium quem vocavit Anticatones. His ergo bene libratis potes faciliter perpendere, lector, quod isti duo Catones (4), diverso licet tempore, fuerunt duo lumina clarissima romanæ virtutis; sed licet Cato Censorius in multis videatur excedere pronepotem suum, quia fuit excellens in literis, armis et in artibus urbanis et rusticis, tamen poeta noster potius elegit sibi istum secundum quam primum, quia magis faciebat ad suum propositum; quia iste Cato fuit maxime centrum quatuor virtutum moralium, quas finxit jam apparuisse sibi in isto principio tendenti ad purgatorium, et fuit acerrimus defensor libertatis, quam solam poeta nunc ibat quærendo. Nunc est tempus redeundi ad literam. Igitur poeta describit istum Catonem prius (5) ab eius canitie

(1) S. e E. quod qui virum bonum. (2) E. quare.
(3) 117, fuitque autor.
(4) E. Catones licet diverso tempore fuerint, attamen fuerunt duo lumina.
(5) S. e E. primo.

veneranda, dicens: et ille senex *portava la barba lunga e mista di pel bianco,* idest, canam, *ai suoi capegli somigliante,* idest (1), barbam similem suis capillis canis: est tamen idem effectus; in canis enim est prudentia. Et hic nota quod hoc est acceptum a Lucano, qui scribit (2) in secundo, quod quando orta sunt bella civilia inter Cæsarem et Pompeium, Cato permisit sibi crescere barbam et capillos in signum doloris, tamquam pater amantissimus patriæ; unde dicit: *Urbi pater est, urbique maritus, in commune bonus* etc., et dicit: *di quai,* scilicet capillis, *doppia lista cadeva al petto,* scilicet per utrumque humerum; et moraliter loquendo potest intelligi de virtute et sapientia quæ dependebant ab illo sacrosancto capite. Deinde describit ipsum ab ornatu virtutum (3), dicens: *li raggi delle quattro luci sante,* idest, prædictarum lucidarum stellarum; quæ quatuor virtutes morales radiabant in sancto pectore Catonis, ita Tullius et Lucanus vocant ipsum Catonem sanctum, qui erat subiectum ipsarum virtutum; unde dicit: *fregiavan sì,* idest, exornabant, *la sua faccia di lume,* quia reddebant (4) eum clarum. Unde Valerius Maximus describit hunc Catonem ab istis quatuor virtutibus principalibus, quarum prima prudentia docet recte agere omnia; justitia reddere unicuique quod suum est; temperantia refrœnare voluptates; fortitudo esse robustum contra pericula mortis. Ideo dicit: *ch' io il vedea come 'l sol fosse davante,* idest, ac si esset dies clara, quæ tamen non erat adhuc, sed claritas Catonis adiuvabat claritatem auroræ, et reddebat ipsum visibilem clare. — *Chi siete.* Nunc poeta ponit orationem Catonis ad eos, qui petit tria, et

---

(1) 117 e E. scilicet, illi barbæ canæ, quia similiter capilli erant longi et cani, sicut barba; vel secundum aliam literam, *ai soi capegli simigliante,* idest, barbam similem suis capillis canis.

(2) S. scripsit. (3) 117, virtutis. (4) S. redderant.

primo qui sint qui evaserunt ab inferno, unde dicit: *diss' ei:* scilicet ille Cato tam luminosus, *chi siete voi,* loquitur cum admiratione factus stupidus novitate rei numquam alias visæ, *movendo quelle oneste piume,* idest, loquendo; hoc pro tanto dicit, quia loquendo movebat pilos barbæ in facie sua honesta, *che contro al cieco fiume fuggito avete la prigione eterna?* idest, infernum. Et hic nota quod multi exponunt, quod poeta vocat Acherontem cæcum flumen, quod est omnino falsum et impossibile, quia isti non exiverant de inferno per flumen Acherontis per quod intraverant; et si exissent non transissent ad hemisperium inferius, nec unquam pervenissent ad purgatorium; sed appellat cæcum flumen illum rivulum qui nascitur ad radices montis purgatorii contra infernum, quia directe aqua purgatorii opponitur aquæ infernali, quæ aqua est occulta, quia labitur sub terram, ut patuit finali capitulo Inferni, contra cuius cursum Virgilius et Dantes nunc venerant: imaginabatur Cato quod isti essent de numero damnatorum, ideo mirabatur; unde facit secundam petitionem et dicit: *chi v' ha guidati? o chi vi fu lucerna,* quasi dicat: et si sic est quod evaseritis ab inferno, quo duce, et (1) cum quo lumine potuistis venire per tramitem tam occultum? Sciebat enim Cato quod ratio naturalis non poterat recedere a statu vitiorum, nisi divina gratia illuminante. Unde dicit: *uscendo fuor de la profonda notte,* idest, de alta caligine nocturna, *che sempre nera fa la valle inferna?* idest, quæ nox facit semper nigram vallem infernalem, quia in inferno numquam lucet sol, numquam apparent sidera, quæ autor jam pro parte cœperat videre hic. Ideo Cato admirative facit tertiam petitionem et dicit: *le leggi d' abisso,* ubi nulla redemptio est habitantibus ibi, *son*

(1) E. et quo.

così rotte? scilicet per vos, quod est impossibile, *o èe mutato in ciel novo consiglio,* idest, an hoc est indultum vobis ex speciali gratia divina, *che dannati,* idest, vos damnati in inferno, *venite a le mie grotte?* idest, ad locum purgatorii.

Lo duca mio. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta noster ostendit quomodo Virgilius responderit Catoni ad quæsita, et petiverit introitum; et primo ostendit quomodo Virgilius viso et audito isto sene sapientissimo reddiderit ipsum reverentem erga illum. Dicit ergo: *Lo duca mio,* scilicet Virgilius qui duxerat me primo ad præsentiam Charontis senis terribilis in introitu inferni, et nunc duxerat me ad præsentiam Catonis senis venerabilis, volens revereri illum ut dignum erat, *allor mi diè di piglio,* idest, cepit me subito, *e riverenti mi fe le gambe e 'l ciglio,* idest, disposuit me ad præstandam reverentiam debitam illi, curvando mihi genua et inclinando caput illi, *con parole, con mani e con cenni,* quasi dicat, omnibus modis quibus potuit in tam brevi puncto; quia, ut jam dictum est supra, Cato erat dignus tanta reverentia, quod filius plus non debet patri. Et ponit responsionem Virgilii, qui primo respondet secundæ petitioni Catonis, qua petiverat, quis duxerat eos et lumen fecerat? unde dicit: *poi rispose a lui,* idest, deinde ipse Virgilius respondit ipsi Catoni: *da me non venni:* nec potuissem cum omni auxilio et consilio humanæ scientiæ, sed divinæ; unde dicit: *donna,* scilicet Beatrix (1), quæ est sacra theologia, *scese dal ciel,* quia hæc sacra scientia non est data hominibus per acquisitionem, sed per infusionem a Deo, unde dicit: *per li cui preghi della mia compagnia costui sovvenni,* scilicet, isti Danti, qui datus est mihi ducendus per infernum et purgatorium,

---

(1) E. domina Beatrix.

sicut dictum est plene secundo capitulo Inferni. — *Ma.* Hic Virgilius respondet primæ petitioni Catonis, et dicit, qui sunt qui venerunt contra cæcum flumen: et primo ad captandam benevolentiam præmittit quod non potest negare quod ille petit. Ordina sic literam, *ma esser non pote,* quia video quod es magnæ autoritatis et amplæ potestatis, *che il mio,* supple velle, *si neghi a te da che è tuo voler che più si spieghi,* idest, plus aperiatur et manifestetur, *di nostra condizion, com' ella è vera,* quia non venimus tamquam servi fugitivi contra mandatum Domini, fracto carcere, nec sumus damnati per judicem infernalem; unde dicit: *questi,* scilicet Dantes constitutus coram præsentia tua, *non vide mai l' ultima sera,* idest, mortem, sed vivens adhuc transivit per infernum ad evitandam mortem æternam. Et hic nota quod catholice loquendo homines dupliciter descendunt in infernum: quidam enim peccant mortaliter, et impœnitentes et obstinati moriuntur, et tales numquam evadunt ab inferno; alii (¹) vero peccando mortaliter descendunt in infernum viventes, sed recognoscendo culpam per pœnitentiam evadunt, et talis fuit poeta noster. Ideo dicit Virgilius: *ma per la sua follia,* idest, temeritate, *vi fu sì presso,* quia jam triginta quinque annis steterat contumax in peccatis, *che molto poco tempo a volger era,* quia avaritia pressus, erat in extremo periculo mortis æternæ, nisi Virgilius missus ad eum succurrisset ei. Ideo dicit Virgilius: *sì com' io dissi fui mandato ad esso,* scilicet Dantem a Beatrice, *per lui campare,* scilicet a devoratione lupæ, quæ maxime infestabat eum ultra alias feras, et dicit: *e non v' era altra via,* scilicet evasionis eius, *che questa per la quale io mi son messo.* Unde dicit (²) Virgilius sibi secundo capitulo Inferni: *A te con-*

(¹) S. e E. alii autem. (²) E. dixit.

ven tenere altro viaggio, quod totum ibi plene expositum fuit; quia scilicet oportebat Dantem descendere de novo ad infernum, sed per aliam viam quam primo intraverat, scilicet per speculationem, ut cognita miseria vitiorum facilius perveniret ad purgationem eorum; et ecce viam per quam duxi eum: *mostrata ho lui tutta la gente ria,* idest, omnes pravos punitos in inferno; et hoc est verum de generibus singulorum, et non de singulis generum, *ed ora intendo mostrar quelli spirti,* scilicet pœnitentium, *che purgan se sotto la tua balìa,* idest, qui mundantur a peccatis in purgatorio, cuius tu es custos. Et excusat se Virgilius si non narrat totam formam sui processus, dicens: *com' io l' ho tratto,* scilicet, per omnes circulos inferni, *seria longo a dirti,* quia multum expenderem temporis, et hoc esset inutile sibi, et non expediens tibi, quia (¹) tibi sufficit ad admittendum ipsum intra regnum tuum, solum scire, quod ex gratia divina et honesta de causa veniat; unde dicit: *virtù che m' aiuta conducerlo a vederti et audirti scende dell' alto,* scilicet a cœlo, quia mea virtus humana non erat per se sufficiens ad hoc. — *Or ti piaccia.* Nunc Virgilius facit suam petitionem principaliter intentam Catoni, et adiurat ipsum per causam acceptabilem quæ inducit eum ut dignetur admittere ipsum, qui summo studio quærit libertatem exemplo ipsius Catonis. Sed ad intelligendam istam literam nobilem et subtilem, volo te apertius (²) multa pulcra notare. Et primo quidem quod felix genus romanorum pro magna parte gessit magnalia libertatis amore. Unde Augustinus de Civitate Dei: *Hæc fuerunt præcipue illa duo, quæ compulerunt romanos ad gesta miranda, scilicet defensio libertatis et cupiditas gloriæ;* quia enim gloriosum videbatur eis dominari atque imperare; inglo-

(¹) E. quia sufficit. (²) 117 e E. prius.

rium ([1]) vero famulari atque servire, primo studuerunt eorum patriam fore liberam, deinde dominam. Nonne Brutus primus autor romanæ libertatis amorem illius prætulit amori filiorum, quos sub oculis suis magno animo fecit occidi, quia reges a se expulsos reducere conabantur? et ipse fortiter pugnans in campo filium regis amore vindictæ hasta transfixit, ab eo pariter transfixus? Nonne Virginius recuperator libertatis oppressæ Virginiam virginem filiam propriam manu sua et alieno gladio libere occidit? Notandum etiam quod aliqui sunt liberi et servi a natura, aliqui a fortuna, ut probat philosophus libro Politicorum: naturaliter enim sapientes et qui vigent intellectu dominantur, et insipientes et carentes ratione serviunt. Alii vero servi et liberi a fortuna, sicut capti in bello efficiuntur servi capientium, et victores liberi imponunt leges victis de jure gentium, aut prætio vendunt. Et quid populus liber poterat dare maius libertate? Unde Titus Flaminius consul romanus, de quo facta est mentio paulo supra, liberata Græcia de manibus Philippi regis Macedoniæ, oratione magnifica exhortatus est græcos ad libertatem, et gratis donavit libertatem omnibus civitatibus Græciæ; ideo ad sonum tam jocundæ vocis, tam lætus et altus clamor factus est, ut aves de cœlo cecidisse dicantur: quoniam nullum maius bonum, nullum dulcius dare poterat. Naturale enim est omni homini allici libertatis amore; ideo bene Cato liber homo natus in libera civitate merito oderat Cæsarem, qui libertatem quingentorum annorum abstulerat de Roma. Notandum etiam, quod vera libertas nunquam inventa est, et nusquam nec apud romanos, nec apud græcos, et multo minus apud alios populos, tamen romanus fuit liberior cunctis et diutius; et omnis populus, quando

---

([1]) 117, ingloriosum vero.

habet ([1]) abutitur libertate. Unde Titus Livius: Hæc natura multitudinis est, aut humiliter servit, aut superbe dominatur; libertatem autem quæ media est, neque ([2]) spernere temperate, nec habere sciunt. Vera tamen libertas est libertas animi, qui est liber a vitiis, et hanc sibi quisque potest dare quantumcumque sit in servitute vel captivitate alterius positus, et hanc nullus potest eripere habenti. Hanc non eripuit Dionysius tyrannus sapienti Platoni. Hanc libertatem quærebat hic nobilis poeta Dantes. Et ut cito veniam ad propositum, Virgilius videtur sic arguere: si Cato philosophus paganus toleravit omnia incommoda discrimina ([3]) adversa, et etiam sponte se occidit pro libertate temporali defendenda, quia, ut ait Valerius, neque libertas vixit post Catonem, quanto melius poeta christianus pro acquirenda libertate æterna, debet alto animo tolerare omnes labores, et aspera, et si expediat mortem, ut liber evadat a servitute hostium, scilicet vitiorum, quæ tam diu obsederant illam nobilem animam in carcere corporis? Nunc ad literam: dicit Virgilius Catoni de Dante: *Libertà va cercando ch' è sì cara,* quam quidam gloriosæ mortis prætio emerunt, sicut scribit Augustinus ([4]) de Civitate Dei de Theobrotto philosopho, qui lecto libro Platonis de immortalitate animæ præcipitavit se de alto muro, ut ad vitam æternam ex hac vita mortali miseriæ transmigraret. Simile fecit Cato; unde adducit ipsum in exemplum, dicens: *come fa chi per lei vita rifiuta,* sicut tu Cato fecisti. — *Tu il sai.* Hic Virgilius consequenter tangit causam et genus mortis Catonis; et ad huius literæ claritatem primo est sciendum tam utiliter quam delectabiliter, quod sicut scribit Julius Celsus socius Julii Cæsaris, qui rebus istis

---

([1]) E. habet libertatem abutitur ea. Unde.
([2]) E. nec spernere modice, nec habere scit. Vera.
([3]) E. et discrimina.
([4]) E. Augustinus primo de Civitate.

præsens fuit, Cato non interfuit prœlio quod feliciter gessit Cæsar in Africa contra Scipionem socerum Pompei et Jubam regem potentissimum Numidarum, de quo prœlio dicetur Paradisi capitulo VI: remanserat Uticæ; et quia non erat ibi fortis, videns animos civium inclinari ad Cæsarem eiecerat plebem inermem extra urbem; Senatum vero detinebat inclusum in custodia. Equites Scipionis qui fugerant a conflictu pervenerunt ([1]) Uticam, quam ingressi intendebant solum cædi et rapinæ. Cato multis verbis conabatur persuadere, ut finem facerent mortibus et prædæ, et remanerent secum ad defendendam terram. Sed videns quod nullo ingenio poterat retinere ([2]) eos, intendentes solum prædæ non virtuti, videns similiter omnes supervenientes ut plurimum intendere fugæ, omni spe perdita, tandem omnibus rebus quanto diligentius potuit in tali extremitate ordinatis, et filiis commendatis L. Cæsari, qui erat quæstor ibi per fidem amicitiæ, nullo signo ostenso suæ intentionis, vultu et sermone solito ([3]) et tranquillo ivit in cameram, et clandestine portavit secum librum Platonis continentem immortalitatem animæ et gladium simul, alterum quo mori vellet, alterum quo posset. Lecto igitur libro ad lucernam, quamdiu visus est sibi recepisse firmitatem animi, subticuit parum; tunc stricto gladio, quem usque ad illum diem servaverat incorruptum ab omni cæde, confixit pectus illud, quod templum constantiæ habebatur, duplici vulnere. Medicus et familiares excitati aliquo signo intrantes cameram conabantur ligare vulnera, quod ille patienter substinuit, ut se ab illorum molestia liberaret. Post recessum eorum ([4]), quia forte omne ferrum erat ablatum, Cato rescissis manu vulneribus generosum illum spiritum non tam emisit quam eiecit, ut ait Seneca.

([1]) E. pervenerant. — 117, convenerunt.
([2]) S. detinere.
([3]) E. solito ivit in cameram.
([4]) E. illorum.

Uticenses autem quamvis odirent eum, quia erat hostis Cæsaris, fecerunt illi sepulcrum propter singularem virtutem eius, et quia muniverat civitatem eorum mirificis operibus, et turribus. Catone mortuo, L. Cæsar persuasit uticensibus, jam per se bene persuasis, ut aperirent portas Cæsari, quia de illius clementia multum confidebat (1) et sperabat: ipse vero ivit obviam Cæsari, et provolutus ad genua eius non petivit nisi vitam; hanc Cæsar clementissime concessit illi, et Marco Aquilio Catonis filio, et aliis filiis et sociis. Nunc ad literam, dicit Virgilius: optimum exemplum huius rei habemus te Catonem; unde dicit: *tu 'l sai che non ti fu per lei amara la morte,* tanta est dulcedo libertatis, quod non permittit amaritudinem mortis sentiri, *in Utica,* quæ civitas Lybiæ distat a Carthagine per dietam, et fuit olim condita a phœnicibus, sicut Carthago, *ove,* idest, in qua Utica, *lassasti la veste,* idest, carnem, *ch' al gran dì,* scilicet novissima, *sarà sì chiara,* quia scilicet caro glorificata post resurrectionem erit septies clarior sole. Aliqui tamen textus habent *cara,* et exponunt aliqui, quia Cato privavit se sponte vita non reinduet carnem, sed trahet post se, sicut poeta finxit Inferni capitulo XIII; sed ista litera et expositio est alienissima a mente autoris, qui fingit Catonem esse salvum, non quia sic sit, nec quia sic credat; sed sub integumento (2) huius nobilis fictionis intendit aliam nobilem sententiam, ut satis clare jam exposui supra. Sed circa istam mortem Catonis, ne aliquis malus error oriatur legenti, est cum magna vigilantia animadvertendum, quod de ista morte apud autores morales multa scripta inveniuntur. Cicero enim contentus est ipsam excusare libro Officiorum, et dicit quod vultus tyranni non erat aspiciendus a Catone. Sed

(1) S. confidebant et sperabant.

(2) E. tegumento.

quare Cato non potius procurabat interficere primo ipsum tyrannum, sicut fecit Brutus gener eius, qui multo magnanimior Catone primo interfecit Cæsarem, deinde viriliter pugnavit, et demum se interfecit, ne veniret in manus crudelium hostium, ita quod habuit justiorem causam occidendi se quam Cato. Cæsar enim tamquam naturaliter clemens, etiam in ipso ardore belli civilis optabat salutem duorum optimorum, scilicet Catonis sapientissimi, et Ciceronis eloquentissimi; et certe Ciceroni clementissimus fuit, cui post cladem thessalicam scripsit: *Marce Tulli, bene sperare te jubeo.* Morte autem Catonis audita, inquit Cæsar: *Cato invidit gloriæ meæ, et ego suæ invideo.* Et tamen Tullius per multos annos ante dixerat contrarium de morte voluntaria, VI de re publica. Seneca autem mirabiliter (1) commendat (2) mortem Catonis, et inclinat in sententiam mortis voluntariæ: sed certe multa bene dicta sua hoc uno male dicto nimis enormiter maculavit (3). Sic ergo peius fecit quam Tullius, quia tolerabilius est errorem excusare, quam laudare. Augustinus vero justius et verius mortem istam damnat et accusat, primo de Civitate Dei, circa principium, eleganter disputans contra eum multis persuasionibus claris. Omnis enim lex tam humana quam divina prohibet homicidium fieri. Si igitur non licet homini occidere hominem, multo minus non licet occidere (4) se hominem; ideo merito quidam viri sapientes amici Catonis istud (5) factum non laudaverunt, quoniam nullo modo Cato turpe judicavit vivere sub Cæsare victore. Cur enim fuit autor istius turpitudinis carissimo filio suo, cui præcepit ut omnia de Cæsaris benignitate speraret? Si enim Torquatus laudabiliter occidit filium, licet victo-

(1) 117, moraliter.
(2) S. condemnat.
(3) E. maculavit se: ergo.
(4) S. occidere se; ideo.
(5) 117, non istud laudaverunt.

rem, quia pugnaverat contra mandatum eius, cur Cato victus pepercit filio victo, qui non pepercit sibi? Quanto altioris animi M. Regulus isto M. Catone! Cato enim non vicerat Cæsarem, cui victus dedignatus est subiici. Regulus vero jam vicerat carthaginenses, de quibus victoriosam (1) gloriam reportaverat; et tamen ab eis postea victus voluit potius eos ferre serviendo, quam auferre se eis moriendo. Ideo servavit sub dominatione carthaginensium patientiam, et in romanorum dilectione constantiam, nec auferens corpus victum ab hostibus, nec animum invictum a civibus. Si ergo vir romanus cultor falsorum deorum fecit hoc vera virtute, quanto magis christianus cultor unius veri Dei? Si autem fortissimus Sanson se et suos hostes ruina domus oppressit, hoc fecit inspirante (2) Spiritu sancto, per quem miracula faciebat. Hoc etiam senserunt omnes boni philosophi: Plato quidem dicebat mortem naturalem esse expetendam (3) a simili; sicut enim servus positus in carcere a domino suo, si furtim fugiat, dominus non liberat ipsum a pœna, sed potius pœnam adauget; ita anima in corpore, quasi servus in carcere posita, si sine mandato domini sui se inde subtrahat, non se liberat a pœna, sed potius pœnam augmentat. Aliud simile adducit Plato (4), sicut si aliquis mortem inferat alieno servo reus est mortis, quia homicidium commisit; ita homo qui est servus Domini, si interfecit se ipsum. Hoc (5) enim probat Plotinus discipulus Platonis et plenius quam Plato. Ad idem dicit Tullius quod piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, ne munus humanum assignatum a Deo fugisse videatur: imo cæteris malis potest esse aliquid remedii, huic vero nihil. Cum enim homo naturaliter

(1) E. gloriosam victoriam.
(2) E. inspiratione Spiritus sancti.
(3) 117, expectandam.
(4) E. Plato sic; si aliquis.
(5) S. e E. Hoc idem probat.

moritur, potest mori sine peccato commisso; cum vero sponte ingerit manum, non potest anima exire sine peccato, nec pœnitere amplius de peccato, imo etiam homo perfectus non debet se occidere, quia tunc per mortem violentam coinquinat animam et illam purgatam reddit impuram. De hac materia multa pulcre dicta sunt Inferni capitulo XIII, ubi agitur de Petro de Vineis, qui iniuste iniecit manum in se justum. Multi tamen præoccupaverunt mortem credentes effugere [1] parvas et breves molestias, sed se in æternas et irremediabiles demerserunt, de quorum sera pœnitentia dicit Virgilius VI Eneidos: *quam vellent æthere in alto, Nunc et pauperiem et duros perferre labores!* sed tarde: ideo nullum maius peccatum est hominis quam interficere se ipsum. Est ergo dies præfixa homini, quam nec anticipare fas est, nec differre possibile. Cato ergo qui semper fuerat magni [2] et constantis animi, in fine fuit inconsulti et præcipitis, et qui sapientissimus putabatur, in hoc stultissime egit; quoniam sapientibus omnis vita jocunda est; lætam [3] ferunt libenter, tristem patienter. Nihil enim potest fortuna, cui non possit virtus obsistere. Sapientior ergo videtur dicendus Socrates [4], qui carcerem non unius, sed triginta tyrannorum tam læte quam patienter tulit, et venenum missum ab illis hausit intrepide quando vitari non poterat. Ex dictis ergo satis facile patere potest, quod Cato non occidit se pro libertate, aut honestate, sed quatuor videntur movisse eum. Primum invidia, sicut dixit Cæsar, cum victor Uticam properaret, ubi se Cato peremerat audita morte eius. Secundum fuit verecundia; unde Augustinus, ubi supra dicit, et ut nos aliquid mitius addamus, erubuit; verecundabatur enim Cato vir integerrimus venire ad

(1) S. fugere.
(2) E. magnanimus.
(3) S. læta ferunt libenter, tristia patienter.
(4) S. sapiens Socrates.

misericordiam hostis odiosissimi. Tertium fuit ira et indignatio: Cato enim offensus a Cæsare, qui in suo consulatu fecerat ipsum indigne trahi ad carcerem, semper quæsivit vindictam, et ob hoc adhæserat Pompeio; sed ultimo perdita spe vindictæ, viso Cæsare victore, se occidit. Quartum fuit vanitas; nam sicut bene scripsit vir sapiens, Cato videtur quæsisse causam moriendi, non tam ut Cæsarem fugeret quam ut stoicorum numero ascriberetur, suumque nomen aliquo grandi facinore clarificaret. Demum pro aliquali excusatione Catonis est notandum, quod tunc videbatur esse gloriosum anticipare mortem, cum homo timebat devenire in manus adversariorum suorum, aut fieri ludibrium fortunæ aut aliud indignius pati peius morte: et ne exempla aliunde perquiram tempore prædicti belli africani, quo Cato se occidit, Scipio socer Pompei se occidit, et rex Juba, de quorum mortibus (1) dicetur VI capitulo Paradisi. Quid dicam de Hannibale et rege Mithridate, quorum uterque se veneno extinxit, ut dicetur præfato capitulo Paradisi? et ita possem dicere de mille. Quid singulorum exempla quæro, quando aliquæ nobiles civitates pro libertate expositæ fuerunt ferro et igne crudelissimo (2) excidio a propriis civibus, sicut Saguntum, Numantia et Astaba in Hispania? et ita de multis; et vere licet mors voluntaria culpetur jure (3) apud omnes, quia depositum reddi non debet absque præcepto deponentis; tamen circumscripta fide in casu necessitatis mors videtur amplectenda. Huius rei memorandum exemplum videtur reliquisse Vibius Virius, qui nobilis senator capuanus eo tempore quo Capua diu obsessa erat reddenda romanis, in senatu suo animosissima (4) oratione locutus est, memorans illis multas et magnas iniurias quas fecerant ca-

(1) S. morte.
(2) S. ac crudelissimo.
(3) S. de jure.
(4) E. animosa.

puani romanis dando se Hannibali, et ardentissimum odium romanorum contra eos, quorum sitis non posset sanguine satiari; et concludens persuasit levi et honesta morte posse vitari omnia acerba. Viginti septem senatores sociaverunt eum domum, ubi erat paratum convivium, et omnes repleti multo cibo et vino venenum sumpserunt; et sic omnes liberati sunt antequam portæ hostibus aperirentur. Sic una brevis potio liberavit corpus a cruciatu, animum a contumelia, oculos et aures a videndo et audiendo indigna. Nota etiam quod multi dicunt quod hic Cato Uticensis se venenavit, quod est omnino falsum; sed fuit alter Cato tempore Augusti, ut dicit Eusebius libro temporum. Nota etiam quod Vicentius Beluacensis in suo speculo historiali, quod fuit opus vere gallicum, scribit, quod hic Cato Uticensis fecit libellum quo pueri scholastici utuntur; quod non solum est falsum sed impossibile, quia in illo libello fit mentio de Lucano, qui fuit tempore Neronis. Dicit etiam quod Cicero fons romanæ eloquentiæ fuit legatus Cæsaris in Gallia, quod est similiter falsum, quia ille fuit Q. Cicero frater M. Ciceronis, ut jam dictum est supra. — *Non son.* Hic ultimo Virgilius respondet Catoni ad tertiam petitionem, quia Cato superius petiverat si leges abyssi erant ita violatæ; ideo dicit: *li editti eterni,* idest, præcepta divina; est enim edictum præceptum principis, unde in Evangelio: *Exivit edictum a Cæsare Augusto* etc., — *non son guasti per noi,* quod statim probat, dicens: *chè questi,* scilicet Dantes, *vive;* et edictum quod dicit, quod nullus unquam evadat ab inferno, intelligitur de mortuis in peccatis obstinate, et ego licet mortuus, non tamen sum damnatus ad pœnam intra infernum; unde dicit: *e Minos,* qui dicitur judex inferni, et est judicium conscientiæ, ideo Homerus XI Odysseæ dat sibi aureum sceptrum, *non lega me,* idest, non ligat et damnat, quasi dicat, non

ex conscientia culpæ, sed carentia fidei quam ignoravi sum damnatus. Aliqui tamen aliter exponunt istam literam, et dicunt quod Virgilius vult dicere: quamvis ego sim de carceratis Minois, tamen sum relaxatus ad tempus ut sim ductor istius. Sed ista expositio est omnino falsa; quia si vis bene inspicere, Virgilius non est sub potestate Minois, imo extra in campo virenti sine pœna cum aliis viris illustribus: et ecce statim glossam, quia dicit: *ma son del cerchio,* scilicet primo, *ove son gli occhi casti di Marzia tua,* scilicet uxore; unde dictum est ibi: *Lucrezia, Julia, Marzia, e Corneglia,* et dicit: *che in vista ancor ti prega,* idest, te rogare videtur, *o santo petto* (1), o sancte Cato, in cuius pectore viguit tanta virtus, *che per tua la tegni,* quia amat te post mortem, sicut te amavit in vita; *adunque a noi ti piega,* idest, annue petitioni nostræ, *per lo suo amore,* quia fœmina sancta fuit, ut dicit Lucanus. Et hic nota quod per Martiam, quæ fuit mulier castissima et honestissima, figuratur honestas, quæ tamquam uxor semper adhæret viro virtuoso, qualis erat Cato; et facit suam petitionem specialem Virgilius dicens: *lasciane andar per li tuoi sette regni,* idest, per septem gradus purgatorii in quibus purgantur ascensuri in cœlum; et promittit præmium dicens: *grazie riporterò di te a lei,* si facis nobis gratiam transeundi, et dicit: *se d' esser mentovato laggiù degni,* scilicet in inferno, quasi dicat: si salvati curant sibi de laudibus damnatorum; vel hoc forte dicit, quia teste Salustio, Cato semper spernebat gloriam humanam; sed quanto magis illam spernebat, tanto plus gloria sequebatur eum.

Marzia piacque. Ista est quarta et ultima pars generalis in qua poeta (2) ostendit qualiter Cato ad per-

(1) E. *petto,* scilicet Catonis, in cuius. (2) S. poeta noster.

suasionem Virgilii dederit eis passum, et quædam præcepta servanda. Et primo ostendit quomodo Cato respondet secundæ parti petitionis, ubi Virgilius requisiverat eum ([1]) per amorem Martiæ; et dicit breviter quod quamdiu fuit secum, nihil sibi gratum denegavit. Ordina sic literam: *diss' elli allora,* scilicet ille Cato: *Marzia piacque tanto agli occhi miei,* cum suis oculis castis, *mentre ch' io fui di qua,* idest, quamdiu fui in illo limbo inter illustres, *che quante grazie volle da me fei,* sed postea numquam; unde dicit: *or mover non mi può più,* idest, nunc non potest amplius flectere me precibus, *poi che dimora di là dal mal fiume,* idest, in inferno per quem totum labitur mala aqua Acherontis, quæ mutat nomen in diversis locis, licet sit tantum una aqua: ego vero sto citra aquam contrariam illi quæ est innominata, et assignat causam quare non possit moveri dicens: *per quella legge che fatta fu quando me n' usci' fuora.* Et hic nota quod poeta fingit quod Cato fuerit abstractus de limbo per Christum, et translatus ad custodiam huius purgatorii; et tunc facta est nova lex, quod quicumque intraret infernum, numquam postea exiret, quæ lex non prius erat, quia antiqui patres speraverant diu evadere a carcere illo; ideo anima damnata non potest amplius movere animam salvatam. Alii tamen exponunt quod Cato in vita omnia faciebat amore virtutis et honestatis; sed nunc cognoscit quod felicitas non consistit in virtute vel honestate, licet sit via ad felicitatem. Alii dicunt quod nova lex facta est ([2]), scilicet evangelica, quæ vult quod morte sit finitum matrimonium, ita quod si Cato resurgeret hodie posset ducere aliam uxorem, similiter Martia alium virum. Et sic dicentes exponunt illam literam, *mentre che fu' di là,* scilicet in mundo vivens cum ea, et tunc feci sibi omnem

---

([1]) 117, illum. ([2]) E. est evangelica, quæ vult.

gratiam quam voluit a me, quia recepi eam post mortem secundi viri; sed prima expositio est de intentione autoris, ut potest patere intuenti literam. — *Ma.* Hic Cato respondet primæ parti quam Virgilius tetigerat supra, ubi dixerat: *donna scese del ciel,* et ibi: *Dell' alto scende virtù che m' aiuta;* et vult breviter dicere: non expedit quod adiures me per amorem mulieris terrestris, sed sufficit quod requiras me per amorem illius dominæ cœlestis, cuius precibus dicis te fuisse motum ad succurrendum isti temerario in tanto discrimine vitæ. Dicit ergo: *ma non ci ha mistier lusinga,* quia adulatio vana videtur requirere senem gravissimum per amorem vanum unius fœminæ quam olim dilexerit, * *se donna del cielo,* scilicet Beatrix beatificata in cœlo, quam Dantes ardentissime dilexit * (1); et ideo: *bastiti ben che per lei mi richegge,* quia obtinebis sine mora; unde statim concedit illi licentiam eundi, dicens: *va dunque,* ne stes amplius in verbis. Et continuo dat sibi præcepta servanda circa novum poetam tendentem ad purgatorium: et primo præcipit quod muniat ipsum cingulo humilitatis, quia prima via accedendi ad pœnitentiam, causa ascendendi ad montem altissimum virtutis, est humiliatio, quæ maxime erat necessaria huic poetæ, qui, antequam intraret istud iter, et inchoaret istud opus salutiferum, fuerat valde superbus. Dicit ergo: *e fa che tu ricinga,* bene dicit recingas, quia autor erat olim cinctus una corda nodosa, idest, fraude, qua Virgilius discinxerat eum pro capiendo Gerione; ideo vult quod nunc recingat eum junco enodi, ideo dicit: *d' un giunco schietto.* Et nota quod bene figurat humilitatem per juncum. Juncus enim oritur in locis bassis, in limo molli, et est sine nodo brevis, flexibilis, et cedit ad impetum undarum et curvat

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.

se ad terram; ita autor qui primus ([1]) erat natus inter montes et saxa velut quercus alta, dura et nodosa, nunc induit humilitatem, et dedit terga contra impetum adversorum, et venit ad habitandum locum planum, scilicet Ravennam, recedens a gente superba suorum, sicut jam totiens ipse dixit. Et dat secundum ([2]) optimum præceptum, dicens: *e che gli lavi il viso,* idest, faciem eius, *sì c' ogne succidume quindi stinga,* idest, ut extinguas et expurges ab eo omnem sordem vitiorum. Dicitur enim sucidumen a suco, et assignat causam huius dicens: quod non esset conveniens quod visus fœdatus vitiis accederet ad conspectum Angeli Domini; unde dicit: *chè non si converria l' occhio sorpriso d' alcuna nebbia,* idest, intellectum fuscatum aliqua macula vitiorum, *andar dinanzi al primo ministro,* idest, ad præsentiam primi officialis, *ch' èe di quei di paradiso,* quia unus Angelus sedet supra ([3]) porta veri purgatorii, tenens claves, quibus claudit et aperit portam fortiorem quam ista sit, ubi stat Cato in introitu antipurgatorii. Hic autem Angelus figurat sacerdotem de quo dicetur plene nono capitulo. Sed hic oritur una dubitatio: videtur enim quod poeta sibi contradicat, quia in prædicto capitulo finget quod iste Angelus insignivit sibi septem P, idest septem peccata mortalia in fronte, quæ postea ipse singulatim purgabit per singulos circulos. Quomodo ergo hic præcipitur lavari a Virgilio ut accedat purgatus ad Angelum? Dicendum breviter quod poeta bene et subtiliter hoc fingit; nam per hoc dat intelligi quod homo contritus de culpis suis in animo suo, statim est absolutus in conspectu æterni Judicis; et tamen si habet tempus et locum debet accedere ad sacerdotem ad confessionem faciendam et pœnitentiam suscipiendam ([4]): ideo dixit Christus leprosis

([1]) S. e E. prius.
([2]) E. secundum præceptum.
([3]) E. super portam veri paradisi tenens.
([4]) 117 e E. humiliter suscipiendam.

quos mundaverat: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* — *Questa.* Hic Cato, quia mandaverat novum poetam recingi junco, docet ubi inveniantur junci, et describit locum ubi abundant; sed ad intelligentiam huius literæ est præsciendum, quod poeta noster fingit quod in illo hemisperio inferiori ex opposito inferni est una parva plana insula circularis, in cuius medio est unus mons altissimus usque ad cœlum, qui circa medium est muratus et factus ad gradus circulariter; et sicut gradatim descenditur ad centrum inferni, ita gradatim ascenditur ad cacumen istius montis contigui cœlo: sicut si quis volens ascendere arenam Veronæ incipiat a fundo et tendat ad altum: sed in arena itur ab intra, hic vero itur ab extra in circuitu montis per unam viam excisam, quam poeta cornicem vocat, ut sæpe patebit in processu. Nunc ad literam. Dicit Cato: *questa isoletta,* circumcincta mari, quam poeta vocavit parvam speram finali capitulo Inferni, *porta de' giunchi sopra 'l molle limo,* idest humido, et humili solo, *laggiù colà,* scilicet in loco basso (1) circa extremitatem, *dove la batte l' onda,* idest, ubi aqua (2) maris repercutit ipsam continuo, *intorno,* idest, circumcirca litora, *ad imo ad imo,* quia in loco basso vivit et viget humilitas tutior contra impetus adversorum, quam alta superbia. Et subdit quod nulla alia planta posset vivere vel durare ibi, dicens: *null' altra pianta,* idest, virtus, *che facesse fronda, o indurasse,* idest, quæ faceret hominem superbum flore prosperitatis, sicut justitia, magnanimitas, fortitudo, *vi puote aver vita,* scilicet, vegetativam, quæ est in plantis; et ecce causam: *però ch' alle percosse non seconda,* idest, non (3) cedit impetu adversorum; et vere poeta noster non est fractus adversis, imo humiliter et patienter toleravit (4) exilium, pauper-

(1) E. basso vivit et viget.
(2) S. unda maris.
(3) E. non cedit impetui.
(4) E. toleravit animo forti exilium.

tatem, onus familiæ et omnia gravia, nec secutus est exemplum Catonis in desperando, quem tamen sequitur in accedendo ad virtutem. Et hic nota, lector, quod sicut notavi in principio inferni et postea sæpissime per totum, quod infernus est duplex, scilicet essentialis et moralis, et quod poeta alterutro calle procedens tractavit de utroque, et præcipue de morali maxime in dando pœnas omnibus generibus peccatorum; ita a simili purgatorium est duplex, scilicet essentiale et morale. Ideo autor descripturus purgatorium eodem modo nunc tractat de essentiali, nunc de morali, sed principalissime de morali in describendo (1) situm et distinctionem omnium pœnarum pœnitentium. Unde ut videas clare quod (2) poeta loquitur moraliter in descriptione huius loci, volo te scire aliqua circa purgatorium essentiale. Et primo quidem nota, quod locus purgatorii, secundum communem opinionem theologorum, dicitur esse sub terra, quia talis locus vilis correspondet vilitati fœditatis culpabilis, qui locus creditur esse pars inferni a quibusdam propter verbum Gregorii quarto dialogorum, ubi dicit, quod sub eodem igne electus purgatur, et damnatus crematur. Unde sola pœna ignis est in purgatorio. Potest tamen ex divina dispensatione alibi anima purgari, sicut dicit ibidem Gregorius de anima Pascasii qui (3) purgabatur in glacie, quod Deus concedit vel propter velociorem liberationem, ut possit aliis suam indigentiam revelare, sicut patuit in Pascasio prædicto, vel ad instructionem nostram, ut pœna evidens nos terreat, sicut de aliquibus audivi a viventibus, vel propter impetrationem alicuius sancti viri, sicut sanctus Patricius impetravit quod quidam purgaretur in quodam loco subterraneo, ex quo postea fabulose ortum est ibi esse purgatorium; sicut

(1) S. scribendo. (2) S. quod hic poeta. (3) E. quæ.

etiam a simili in mari siculo insula Vulcani dicitur esse unum ostium inferni, quia ex se emittit tonitrua et incendia, in quem locum anima Theodorici regis gothorum visa est demergi cuidam sancto eremitæ. Est autem pœna purgatorii durissima; nam Augustinus in quodam sermone dicit quod ille ignis est durior quam quicquam pœnarum in hoc sæculo quis possit audire, videre, vel cogitare. Ex his ergo evidenter apparet quod autor describit hic locum purgatorii moraliter. Et ultimo Cato dat tertium et ultimum documentum optimum, dicens: *poscia non sia di qua vostra reddita,* quia homo ingressus purgatorium, idest pœnitentiam, non debet amplius redire versus infernum, idest, vitia, a quibus recessit. Et respondet quæstioni tacitæ, quia posset dicere Virgilius: et quis diriget nos in viam virtutis? respondet: *lo sol, che surge omai,* idest incipit oriri post Luciferum, *vi mostrerà prender lo monte,* idest, radius divinæ gratiæ qui oritur in intellectu talium viatorum ostendet vobis arduum iter virtutis. Et dicit: *a più lieve salita,* idest carpetis montem, ubi invenietis viam faciliorem. — *Così.* Nunc poeta intendit ostendere qualiter Virgilius adimpleverit præcepta Catonis erga se; et primo ostendit quomodo præparaverit se ad recipiendam disciplinam sui ducis. Unde continuans dicta dicendis, dicit: *così sparì,* scilicet ille Cato, *et io su mi levai,* quia primo stabat super genua sua reverenter ante Catonem, *senza parlare,* expectans tacite et attente quid dux esset acturus, *e tutto mi ritrassi al duca mio,* quia contraxit omnes vires rationis in unum meditans circa novum onus; unde dicit: *e gli occhi a lui drizzai,* quasi dicerem: ecce me paratum facere obedienter omnia imperata. Et continuo subiungit præceptum Virgilii, dicens: *ei cominciò,* scilicet ille Virgilius cœpit dicere præceptive: *segui i miei passi,* quia si semper secutus es per infernum, quanto

magis per istud regnum, per quod nunquam itur nisi orto sole; *volgiamci indietro,* scilicet versus orientem; et ecce causam: *che di qua,* scilicet ex parte orientis, *dichina,* idest, inclinatur (1), *questa pianura,* idest, insula plana, *ai suoi termini bassi,* ubi sunt junci, quasi dicat: ripa est bassissima ibi, ideo, inchoandum est a tua purgatione in loco summæ humiliationis. — *L' alba.* Hic poeta describit tempus accommodum suo itineri, et ipsum iter; et vult breviter dicere, fiebat dies; unde dicit: *l' alba,* idest, albedo, *vincea l' ora matutina* (2), a Matuta, quæ est aurora, *che,* idest, quæ, *fuggia innanzi,* quia aurora disparet adveniente sole, ita quod Lucifer recedebat, qui paulo ante illuminabat orientem, et sol accedebat qui vincebat eum; ideo dicit: *sì che da lontano,* quasi dicat: propter lucem solis antequam perveniremus ad litus, *conobbi il tremolar della marina,* idest, fluctuationem aquæ marinæ; et tangit ipsum iter dicens: *noi andavam per lo solingo piano,* idest, per planitiem illius parvæ insulæ. Et hic nota, quod secundum fictionem nostri poetæ, terra nostra habitabilis est magna frequentata a multis, quia plena peccantium; sed illa terra purgatorii opposita nostræ est parva et vacua, quia est terra pœnitentium tendentium ad virtutem, per quam paucissimi ambulant. Et declarat hoc per pulcerrimam comparationem et propriissimam viatoris, dicens: *com' uom che torna alla perduta strada;* pauci enim sunt qui perveniant ad viam rectam, nisi cespitando per multa devia; ideo dicit: *che 'nfino ad essa li pare ire in vano.* Omnis enim homo vivens in mundo isto appellatur viator, qui tendit in patriam, sed sæpe exorbitat a via recta, et diu per vana vagatur; sicut poeta noster, qui per tot tempora iverat per vanos honores et insanos amores, sed

(1) 117, inclinat.

(2) E. *matutina,* quæ est.

nunc tandem recognoscebat errorem suum. — *Quando.* Hic poeta ostendit qualiter Virgilius juxta formam mandatorum Catonis laverit [1] sibi faciem: et quia litera est fortis, vult dicere sententialiter, quod cum pervenisset ad extremum litus illius insulæ, Virgilius de loco herboso cum manibus collegit de rore qui erat multus ibi, et suaviter lavit sibi visum. Nunc ordina et expone literam sic, quæ est communiter male intellecta: *il mio maestro,* scilicet Virgilius doctus a Catone, *pose soavemente ambo le mani sparte,* idest, expansas ad colligendum rorem, qui erat ibi recens de mane, *in su l'erbetta,* quia erat tempus veris, ideo herba erat tenella; et hoc fecit: *quando noi fummo dove la rugiada pugna col sole,* quasi dicat: postquam pervenimus ad locum concavum herbosum, umbrosum, ubi ros multum resistit soli antequam dissolvatur; unde dicit: *dove poco si dirada,* idest, modicum resolvitur [2], *ad orezza,* idest, ad umbram, ad friscum, sicut videmus de facto quod sol est altus antequam resolvat [3] rorem in locis bassis, concavis, vallosis, ubi in locis altis, patentibus, aridis, cito solis radius resolvit rorem. Per hoc autem autor dat intelligi quod ros divinæ gratiæ abundat ibi, ubi homines humiliant corda sua Deo; et tunc lavantur eorum peccata inveterata. Et subdit quomodo obtulerit se lavandum illi dicens: *ond'io che fui accorto di sua arte,* quia perpendi quod volebat lavare mihi vultum cum illo rore purissimo, *porsi vêr lui le guance lagrimose,* et ipse, supple, lavit me. Et nota quod dicit genas lacrymosas, quia habebat oculos turbidos, maculosos ad modum quo ebriosi; vel vult dicere, quod lacrymatus est præ dolore et gaudio; ex dolore, quia tam diu erraverat per sylvam cum tanto discrimine, velut si dice-

---

(1) 117, lavaverit. (2) E. dissolvitur. (3) E. solvat.

ret: heu me miserum, quid feci per tantum tempus? [1] et ex gaudio, quia videbat se pervenisse ad bonum portum, ubi evomebat omnem amaritudinem [2] maris quam diu hauserat, et imbibebat dulcem rorem qui abstergebat omnem rubiginem ab intellectu suo. Unde ponit effectum huius sanctæ lotionis, dicens: *quivi mi fece tutto discoperto,* idest, manifestum, *quel color,* scilicet naturalem, *che l' inferno mi nascose,* quia homo quamdiu est in inferno non potest plene cognoscere Virgilium, idest, rationem naturalem, prohibente peccato, quantumcumque videatur sapiens et multa scire, quia multi multa sciunt, et se ipsos nesciunt; multi quærunt scientiam, pauci vero conscientiam. — *Venimmo.* Hic ultimo poeta ostendit qualiter Virgilius recinxerit eum junco; et primo describit locum ubi abundant junci, dicens: *Venimmo poi,* recedentes a loco herboso, pleno rore, *in sul lito diserto,* quod a nullo habitatur, a nullo frequentatur; ideo dicit: *che mai non vide uom navicar sue acque, che sia poscia esperto di tornare.* Per hoc vult dicere quod nulli possunt accedere ad antipodes, si tamen sunt, sicut negat Augustinus libro de Civitate Dei: *Nullus ergo vivens ivit, qui unquam reverteretur.* Hoc dicit pro Ulyxe, qui tentavit illuc accedere secundum fictionem poetæ, sed cito ipsum pœnituit. Et notanter dixit hominem, quia Angelum bene vidit navigare suas aquas, sicut statim patebit capitulo secundo sequenti. Et nota quod licet litera ex dictis videatur satis clara, tamen habet occultiorem intellectum. Vult enim dicere quod nullus ante eum ivit ad purgatorium alta phantasia mentis, nec poetice descripsit purgatorium, quod sciamus. Nec videatur tibi ista expositio aliena, lector, quia poeta secundo capitulo Paradisi, idem dicit de materia paradisi,

---

(1) E. tempus? ex gaudio. (2) E. amaritudinem quam.

cum dicit: *L' acqua ch' io prendo giammai non si corse.* Et accepto uno illorum juncorum Virgilius cinxit Dantem, unde dicit: *quivi mi cinse sì com' altrui piacque,* scilicet, Catoni; et prorumpit in exclamationem ex mirabili effectu, qui subito ortus est ex avulsione illius junci, dicens: *o,* idest, dico, *meraviglia!* idest, rem mirandam valde, *che l' umile pianta,* scilicet, juncus, qui bene figurat humilitatem, *si rinacque subitamente là onde la svelse,* idest, in eodem limo molli, juxta impetum aquæ, unde evulsit ipsam, *cotal quale egli scelse,* idest, talis qualem ipse selegit, idest, seorsum elegit, quia scilicet renatus est alter juncus æque parvus, viridis, enodis, flexibilis, docens accedentes ad pœnitentiam debere inclinare capita sua et humiliare corda sua. Per hoc autem figurat quod ex uno actu humilitatis nascitur alius, et virtus est communis offerens se unicuique volenti eam amplecti, et transfunditur ex uno in alium, nec recipit diminutionem. Hoc autem acceptum est a Virgilio VI Eneidos, ubi dicit: *primo avulso non deficit alter Aureus et simili frondescit virga metallo.* Hoc dicit, quia quanto magis exercentur, tanto magis succrescunt et proficiunt virtutes et scientiæ.

CANTUS SECUNDUS, *in quo tractat sicut quidam Angelus duxit in nave aliquos spiritus, et missis et depositis in terram locutus est Virgilius cum eis; et cum perpendissent quod Dantes vivebat, omnes eum perspexerunt, et unus vocatus Casella precibus Dantis cantabat; et Cato subito supervenit; cum clamore omnes expulsit.*

Già era il sole all' orizzonte giunto. Postquam in superiori capitulo prohemiali [1] poeta Dantes proposuit, invocavit, et narravit qualiter intraverit [2] purgatorium per Catonem, et lotus et cinctus fuerit per Virgilium, nunc consequenter in isto secundo capitulo incipit suum tractatum de his qui neglexerunt pœnitentiam usque ad mortem, qui sunt relegati ibi in antipurgatorio, quorum plures sunt species. Et primo in isto capitulo tractat de prima specie eorum qui tardaverunt suam conversionem usque in finem abstracti aliqua magna delectatione tam naturali quam artificiali, qualis est illa quæ consistit in musica, puta cantu vel sono. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum poeta describit tempus et locum simul sui tractatus subtiliter et pulcre. In secunda describit unum Angelum, cuius officium est transportare animas salvandorum ad purgatorium in navi, ibi statim: *Noi eravam.* In tertia describit unam turbam animarum portatarum ab Angelo, et earum conditionem, inter quas describit in speciali unam animam modernam, quam familiariter noverat in vita, ibi: *La turba.* In quarta et ultima invitat animam amici ad canendum, cuius cantus

(1) E. prohemialiter. (2) 117, intraverat.

interrumpitur a Catone rigide increpante eos (1), ibi: *Et io: se nuova legge.* Ad primam partem veniens dico, quod poeta describit tempus et locum; et quia in præcedenti capitulo descripserat stellam Dianam quæ prænuntiabat diem venire, ideo nunc describit ipsam diem; et vult dicere in summa quod in illo hemisperio oriebatur dies in arietem (2); in nostro vero superiori oriebatur nox in Libra. Unde ad intelligendam literam (3) clare, quæ videtur obscura, debes repetere unum quod notavi in capitulo præcedenti, scilicet, quod totum cœlum est divisum in duas partes æquales, quarum una vocatur hemisperium superius, altera medietas vocatur hemisperium inferius, et zona dividens unam medietatem ab altera vocatur horizon. Modo dicit poeta, quod sol jam pervenerat ad horizontem in nostro occidente, qui erat oriens sibi, qui erat in hemisperio inferiori; ideo quando fit nobis nox, illis fit dies, et e converso. Et declarat sic, quia si sol erat in horizonte, sequitur, quod ille circulus quem facit sol in meridie tegit Hierusalem, quæ est in medio orbis; nox ergo, quæ est directe opposita soli, veniebat super nos a nostro oriente, et dies veniebat super illos ab eorum oriente. Nunc ad literam dico, quod poeta describit ortum solis fugantis auroram, dicens: *il sole,* scilicet oriens ibi, *già era giunto all' orizzonte,* quia recedebat a conspectu nostro et accedebat ad eos; unde dicit: *lo cui,* scilicet cuius horizontis, *meridian cerchio,* in nostro hemisperio, *coperchia Jerusalem,* accusativi casus quia Hierusalem est subiecta meridiano solis, qui (4) est in medio mundi, *col suo più alto punto,* qui appellatur zenith, respiciens directe caput nostrum, *e la notte che opposita a lui,* scilicet illi soli, *cerchia,* idest, circuit, quia nox non est aliud quam umbra terræ,

(1) 117, omnes, ibi.
(2) E. in ariete.
(3) E. literam quæ.
(4) E. e S. quæ est.

quæ fit quando sol transit sub terram, et est sub nobis, *uscía fuor,* idest, incipiebat oriri, *di Gange,* idest, in oriente nostro, quia Ganges est fluvius maximus Indiæ. Quatuor enim sunt flumina famosa (1) orientis, scilicet Tigris, Euphrates, Ganges et Nilus; et quatuor occidentis, scilicet Danubius, Rhenus, Padus et Rhodanus. Et dicit; *con le bilance,* idest, Libra, quæ æqua lance mensurat diem et noctem; et sic erat æquinoctium vernale; et dicit: *che,* idest, quæ bilanciæ, *le caggion di man,* idest, a manibus noctis et potestate, quia non potest amplius tenere æqualitatem, *quando soverchia,* idest, quando ipsa nox superat Libram, scilicet quando crescit et intrat Scorpionem. Et probat per effectum quod sol oriebatur super eos, quia aurora incipiebat mutare tertium colorem; nam propter approximationem solis vapores primo albescunt, deinde propter refractionem radiorum solarium efficiuntur rubei, et (2) propter superabundantiam radiorum efficiuntur citrini; unde dicit: *sì che le guance,* idest, genæ splendoris, *bianche,* scilicet, primæ, *e le vermiglie,* scilicet, secundæ, *della bella aurora,* alludit poetice, quasi aurora sit una pulcra domina alba colorata, *divenian rance,* idest obumbratæ, idest (3) citrinæ. Est enim citrinus, idest giallus rubeo colore permixtus, quasi dicat: genæ auroræ quæ fuerant primo albæ, postea rubeæ, nunc fiebant subrufæ, *per troppa etate,* idest, moram, quia nimis steterant ante conspectum solis venientis cum splendore magno; *là dove io era,* scilicet in illo hemisperio inferiori. Enucleata sententia et declarata litera in generali, nunc sunt plura notanda in speciali ad maiorem claritatem. Et primo quidem super illo vocabulo horizon est notandum, quod horizon interpretatur limitans; est enim horizon circu-

---

(1) E. furiosa. (2) E. et tandem propter. (3) E. scilicet.

lus ille qui terminat spatium nostri visus, idest ultra quem visus extendi non potest. Ubi enim videtur nobis cœlum coniungi ipsi terræ, intellige quamdam lineam ibi, quæ ita ex omni parte circumdatur æqualiter quousque visus noster pervenire potest; et hæc linea erit horizon artificialis. Est enim alius horizon naturalis, videlicet ille qui jacens juxta litora terræ dividit firmamentum in hemisperium superius et inferius recto modo, et iste naturalis horizon variari non potest. Artificialem vero, quem sibi fingit unusquisque, variat secundum motum illius ab uno loco in alium. Non enim potest movere pedem in antea vel retro, quin varietur ille suus horizon ex una scilicet parte crescendo, ex alia decrescendo. In (1) proposito ergo poeta loquitur de horizonte naturali, non de artificiali. Secundo nota super illo vocabulo meridianus, quod meridianus habet variari secundum diversitatem habitantium: meridianus enim est quædam linea intelligibilis, quæ dividit firmamentum in parte illa in qua sol æqualiter distat ab oriente et ab occidente respectu nostri: certum est enim, quod est quædam hora diei, in qua sol est ita super capita nostra, quod æqualiter est remotus ab ortu et occasu; quem ortum sive occasum habet quantum ad nos, idest, secundum quod nobis oritur vel occidit. Hæc autem hora appellatur meridies, quasi media dies, quia media pars diei præteriit, et media futura est (2). Debes ergo fingere in animo quamdam lineam intelligibilem, quæ firmamentum dividat, ubi sol in tali hora diei invenitur; et hæc linea dicitur circulus meridianus, qui circulus habet variari secundum diversitatem habitationum. Non enim omnes gentes eodem modo sitæ sunt, vel in

---

(1) E. Modo ad propositum: ergo.

(2) Nel Codice 117 termina qui la prima parte del Comento di questo Canto, proseguendo con la seconda: *Noi eravam* ec.

eadem regione, imo quædam sunt magis propinquæ orienti, quædam magis remotæ ab eo; unde nec omnibus in eodem tempore sol oritur, nec occidit; nec simul omnes habent meridiem, sicut nec simul habent omnes ortum et occasum: imo illi qui sunt propinquiores orienti habent citius meridiem, similiter et suum meridianum. In proposito ergo poeta non loquitur de meridiano artificiali, qualis est prædictus, imo de naturali, qui dividit istum nostrum hemisperium superius in duo æqua; et in quo quando est sol æqualiter distat a vero oriente et a vero occidente, et in eo solum meridies deberet esse si omnes gentes essent æqualiter sitæ, et nisi tumor terræ impediret. Tertio nota super eo quod poeta dicit, quod meridianus tegit Hierusalem; nam videtur dubitandum de eo quod dicit hic, et alibi dixit et dicet, quod Hierusalem sit in medio mundi, nam contrarium videntur dicere magni philosophi et theologi. Dicendum breviter quod Hierusalem potest dici esse in medio mundi ex testimonio Sacræ Scripturæ: est etiam in medio regionis Judææ; unde Egisippus in libro de captivitate hebræorum, dicit: In medio autem Judææ civitas hierosolimitana quasi umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit, abundans regio mediterraneis copiis, nec fraudata maritimis, ita ut quasi caput in corpore non obumbret sua membra sed regat, atque ei tuitioni sit et pulcritudini; de qua sæpe multa dicentur in isto libro. Et posito quod hoc non sit verum historice, tamen est verum allegorice: et eleganter poeta fingit quod iste mons purgatorii directe est oppositus inferno, quia virtus recte contrariatur vitio, sicut jam declaratum est circa finem inferni. Quarto et ultimo nota quod hora temporis qua autor intravit purgatorium optime convenit materiæ describendæ: unde Virgilius in simili casu describit eamdem horam pulcre. Cum enim Eneas veniens a Troia,

quæ est terra voluptatis, passus multa et varia pericula venisset ad conspectum Italiæ, quæ ponitur pro terra virtutis, apparebat ([1]) aurora; unde dicit tertio Eneidos: *Jamque rubescebat stellis aurora fugatis, Cum procul obscuros colles humilesque videmus Italiam. Italiam primus conclamat Achates, Italiam læto socii clamore salutant.* Ita nunc poeta Dantes veniens de terra vitiorum ad terram virtutis cum fido socio Virgilio, illucescente aurora quæ est initium diei, lætatus est videns montem purgatorii et humilem planitiem quæ circumdat eum.

Noi eravam. Ista est secunda pars generalis in qua poeta, præmissa descriptione temporis et loci, nunc describit unum Angelum qui ex officio suo habet transportare animas ad purgatorium; et quia litera est valde difficilis et sententia abscondita ([2]), volo te scire, quod poeta sententialiter vult dicere quod cum Virgilius et ipse starent adhuc in litore maris cogitantes circa iter agendum, vidit subito venire per mare unum lumen fulgentissimum, ardentissimum ad modum planetæ Martis cum velocitate mirabili; quod quidem lumen quanto magis appropinquabat, tanto magis invalescebat. Hic autem erat quidam Angelus, qui cum navicula levissima portabat animas purgandorum ad istud litus. Ad literam ergo: poeta primo describit dispositionem ipsorum duorum dicens: *Noi eravam lunghesso il mare ancora,* idest nos ambo poetæ adhuc eramus prope mare in litore unde fuerat avulsus juncus; et ecce quomodo stabant, *come gente che pensa a suo cammino,* idest, sicut peregrini qui vadunt pro indulgentia, sic modo isti ibant, qui timent errare in via, quando primo sunt intraturi stratam rectam, *che va col core,* idest, cum animo, *e col corpo dimora,* ne inconsulte moveat: et ([3]) interim viderunt Angelum lu-

([1]) E. approperabat. ([2]) E. absconsa. ([3]) S. et iterum.

minosum. Unde ordina sic literam, quæ est satis intricata: *et ecco un lume venir per lo mar,* hic erat Angelus Domini, *sì ratto,* idest, tam velox, *che 'l mover suo nessun volar pareggia,* idest, quod nullus motus alicuius avis levissimæ, velocissimæ æquat vel æquiparat motum illius luminis; et bene dicit. Quis enim motus alicuius avis corporalis possit assimilari motui Angeli, qui est substantia spiritualis incorporea? Et declarat ipsum Angelum per unam comparationem nobilem vel propriam, dicens: lumen dico, *cotal,* idest, tam ardens et ignitum, *qual Marte,* qui est de natura sui calidus, igneus, *su 'l presso del mattino,* idest, in aurora, *rosseggia per li grossi vapori,* quia si Mars de se rubeus (1) inveniat vapores obvios sibi duplicatur rubor eius, *giù nel ponente,* idest, in occidente, *sopra il suol marino,* idest, supra superficiem maris. Et hic nota quantum comparatio est propria de intelligentia ad planetam; sicut enim Mars planeta calidus rubeus de sui natura accendit homines ad bella, ita Angelus splendens et ardens inducit homines et inclinat hic ad bellandum contra vitia et debellandum hostes. Nota etiam quod rubedo ista tam inflammata figurat amorem caritatis, quo Angelus ardet in contemplatione Dei; sicut autem Angelus malus trahit homines ad infernum, ita Angelus bonus trahit eos a vitiis et inducit ad purgationem. Et confirmat dictum suum sacramento, dicens: hoc lumen vidi, *s' io ancora lo veggia,* modus est jurandi, quasi dicat: si Deus det mihi tantam gratiam quod ego iterum videam dictum Angelum, scilicet, quod in puncto mortis bene dispositus veniam secundario ad purgatorium realiter, sicut jam semel vivens ivi ad ipsum mentaliter; et facit in hoc parenthesim, idest, interpositionem. Et subdit intensionem (2)

---

(1) E. rubens. (2) 117, incensionem.

dicti luminis, dicens: *dal qual,* scilicet lumine, idest, Angelo luminoso, *com' io ebbi ritratto un poco l' occhio,* idest, cum in parvo momento removissem visum ab eo, et convertissem versus Virgilium, *per domandar lo duca mio,* idest, ut dicerem Virgilio ([1]): o quid est istud tam mirabile! *rividil più lucente e maggior fatto,* quantum ad visum eius propter approximationem. Et in hoc nota velocitatem Angeli qui in instanti transcurrerat magnum spatium, ita quod quem prius viderat a longe splendentem, subito vidit ipsum de prope splendentissimum ([2]). — *Poi.* Hic poeta descripto Angelo in generali, nunc describit ipsum in speciali quantum ad organa quibus utebatur: et quia litera est difficilis, in summa vult dicere, quod vidit duo alba quæ movebantur a dextris et sinistris eius, et paulo post vidit quoddam tertium album quod cœpit apparere sub eo. Unde dicit: *poi un non sapea che bianco,* quia non poterat hunc percipere quid esset, sed postea scivit, *m' apparío d' ogni lato ad esso,* ita quod lumen illud rubeum flammatum rutilabat inter duo alba candidissima, *e un altro,* scilicet, album, *uscío,* idest, apparuit, *di sotto a lui,* idest ([3]), de sub illo lumine primo. Et hic nota quod aliqui credentes subtiliter exponere istam literam, dixerunt quod ista duo alba erant duo Angeli collaterales dicti Angeli; et tertium album erat tertius Angelus in societate eius induti candidis vestimentis; sed isti somniant nescio quid. Ideo dic quod duo alba erant duæ alæ volantes et ventilantes illius Angeli igniti, quæ figurant puritatem eius et velocitatem. Licentia enim poetarum et pictorum attribuit alas Angelo, ut notum est apud omnes. Tertium vero album erat quædam navicula alba, quam regebat Angelus sub se, in qua portabant ([4]) unum gre-

([1]) E. Virgilio: quid est.
([2]) S. splendidissimum.
([3]) 117, idest, sub illo.
([4]) E. portabat.

gem animarum. Et quod ista sit intentio autoris, litera sequens glosa est præcedentis. Unde continuo ostendit quomodo Virgilius se habuerit circa manifestationem Angeli, et honorationem eius dicens: *lo mio maestro,* scilicet Virgilius, qui stabat attentus expectans, *ancor non fece motto,* idest, non dixit mihi verbum, et non respondit ad id quod tacite petiveram cum admiratione, *mentre che i primi bianchi,* idest, usquequo illa duo alba quæ primo apparuerant a lateribus Angeli, *aperson* (1) *l' ali,* idest, visa fuerunt sibi habere formam et figuram alarum. Et per hoc tacite innuit quod ratio sapientis (2) non judicat cito vel faciliter (3) antequam habeat cognitionem expressam de re visa, quia visus aliquando fallitur de longinquo, sicut ipse Virgilius dixit Danti alibi in inferno, ubi accipiebat gigantes a longe pro turribus: et cognito Angelo ab alis statim præcepit Danti, ut redderet illi debitam reverentiam. Unde dicit: *e gridò: fa' fa' che le ginocchia cali,* idest, sine mora procumbe super genua tua, *allor che ben conobbe il galeotto,* idest, quando cognovit quod erat unus Angelus, qui ducebat navim. Unde dicit: *ecco l'Angel di Dio, piega le mani,* in signum reverentiæ, quia si præstitit reverentiam magnam Catoni, quanto magis Angelo nuntio divino, qui habet transferre animas mortuorum ad purgatorium, ubi Cato solum habuit introducere animam viventem in corpore poetæ Dantis, qui (4) introduxit eum tamquam magnum magistrum morum. Unde si bene advertis non invenies quod unquam (5) alia anima transeat per manus Catonis. Et ad bonam exhortationem eius dicit: *omai vedrai di sì fatti officiali,* quasi dicat: ubi consuevisti per infernum videre Angelos malos, terribiles, horribiles, nigros, feroces, armatos, clamantes, minantes, trahentes homines ad

(1) S. e E. *aparver ali.* (2) E. sapientiæ. (3) S. finaliter.
(4) E. quia. (5) E. unquam aliqua alia.

pœnam damnabilem; amodo videbis Angelos bonos, splendidos, lucidos, suaves, benignos, cantantes, dirigentes homines ad pœnam salutarem. Et (1) hic nota quod sicut poeta noster in introitu inferni descripsit nautam, qui habebat traiicere (2) per aquam fluminis omnes animas damnandorum (3) cum navi; ita nunc describit unum patronum qui habet traducere omnes animas purgandorum cum navi. — *Vedi.* Hic Virgilius describit excellentiam istius gubernatoris gloriosi, et est litera clara. Unde dicit: vidisti nautam mirabilem, sed vide modum navigandi numquam visum: *Vedi che sdegna gli argomenti umani,* quasi dicat: vide quod non dignatur in regendo navim uti organis hominis, quæ homo reperit arte et ingenio, qualia sunt vela, remi, temo, funes, quæ instrumenta poeta tetigit Inferni capitulo XXI; sed hic tantum tangit duo principalia, quibus vehitur navis, scilicet remum et velum, unde dicit: *sì che remo non vuol nè altro velo che l' ale sue tra liti sì lontani.* Per hoc notat (4) quod Angelus non indiget auxilio humano, sed potius homo auxilio Angeli. Unde nota quod bene dicit inter litora tam longinqua, quia iste Angelus transportat animas bene morientium ab isto nostro hemisperio superiori ad illud inferius ad portum pœnitentiæ per mare tam amarum; unde dicit: *Vedi come l' ha dritte,* scilicet illas alas, *verso 'l cielo,* quia dirigit animas ad cœlum, ubi Charon ad infernum, *trattando l' aere con l' eterne penne,* idest, volando per aerem cum pennis perfectis, *che non si mutan come mortal pelo.* Hic exponunt aliqui quod alæ Angeli non mutantur in tempore, sicut pilus hominis, qui a principio est parvus, deinde crescit et mutat colorem, quia canescit, ultimo resolvitur et consumitur. Tu vero dic et melius, quod loquitur de plu-

(1) E. Et sic nota.
(2) S. trahere.
(3) S. damnatorum.
(4) E. Per hoc nota.

mis avium, quia aves mutant pennas et earum pennæ sunt corruptibiles. Et hic nota quod comparatio est propria de ave ad Angelum. Avis enim nobilis est levis volans per aerem sicut nunc iste Angelus: aer enim dominatur in ave, et aer inclusus inter concavitatem pennarum alleviat avem et habilitat ut feratur sursum; unde avis quanto plus habet pennositatis et minus carnositatis, tanto facilius se levat sursum. Ex levitate ergo habet aptitudinem volandi. Bene ergo dat alas Angelo ad denotandum subitum motum et expeditam operationem, ut statim sequitur. — *Poi.* Hic poeta describit celerem appulsionem Angeli cum luminis intensione dicens: *poi l' uccel divino,* idest, Angelus Domini immortalis, non mutabilis, non corruptibilis, sicut nostræ aves, *sen venne a riva,* idest, ad illud litus ubi eramus, *più chiaro appariva,* sed non erat, *come più e più verso noi venne,* et ecce claritatem immensam, *perchè l' occhio d' apresso nol sostenne;* quia non erat proportio obiecti ad sensum; ideo dicit: *ma chinail giuso,* scilicet, ad terram, quia oculus eius erat assuetus videre tenebram [1] infernorum, et nunc primo incipiebat videre lucem Angelorum; ideo bene ostendit [2] infirmitatem sui visus, *e quei,* scilicet, Angelus, *sen venne a riva con un vasello,* idest, navicula alba, *isnelletto e leggiero,* quia non erat glarea sive saburra in sentina illius navis ad firmandam eam, sed velociter currebat per terga maris; unde dicit: *tanto che l' acqua nulla ne 'nghiottiva:* quia scilicet non mergebatur, non profundabatur infra aquam, quia navis erat levis, et animæ sedentes in navi erant leves sine pondere carnis. Et hic nota quod ista navis est navicula Petri, per quam homines ducuntur ad purgatorium, idest ad pœnitentiam, juvante et dirigente divina gratia, quæ navis

---

[1] E. tenebras in infernorum tenebris, et nunc.
[2] 117, dicit et ostendit.

nunquam potest submergi in mari huius mundi. Unde dixit ([1]) Christus: *Rogavi pro te, Petre, ut fides tua non deficiat.* Ideo bene est alba et pura ista navis, sicut fides, ubi navis Charontis est nigra et obscura, de qua dicit Virgilius VI Eneidos: *Et ferruginea subvectat corpora cymba.* Et describit modum navigandi istius nautæ gloriosi, dicens: *il celestial nocchiero,* scilicet Angelus missus a cœlo ad eruendum ([2]) miseros de fluctibus tempestatum, *stava da poppa,* sicut est de more gubernantium navim. Et addit ad augmentum maioris perfectionis: *tal che faria beato per iscritto,* ne dum visus, sicut nunc ego vidi eum, licet oculus non esset fortis ad tantam claritatem sustinendam; et dicit: *e più di cento spirti entro sedero,* pro sedebant, quasi dicat, multi; tamen Charon habet maiorem multitudinem in sua navi continuo, quia pro uno qui tendit ad pœnitentiam, mille sunt qui tendunt ad peccandum. — *In exitu.* Hic poeta describit cantum illarum animarum. Et ad intelligentiam huius fictionis artificiosæ volo te primo scire, quod Ægyptus satis commendatur ab autoribus; et primo quidem ab antiquitate, unde Plato in Thimæo vult quod diluvium non pervenerit ad eos. Augustinus tamen libro de Civitate Dei contra hoc dicit, quod hoc est verum de diluvio particulari quod fuit in Græcia tempore Deucalionis et Ogygii regis; sed diluvium generale quod fuit tempore Noe bene pervenit ad ægyptios et ad omnes. Et de diluvio particulari loquitur etiam Aristoteles libro Problematum, qui dicit quod orientales fuerunt sapientiores, quia diluvium non pervenit ad eos. Commendatur etiam Ægyptus a fertilitate, quia ut ait Lucanus: *Terra suis fœcunda bonis.* Sed certe terra est plena serpentibus, calore et siccitate, plena monstris et superstitionibus, cuius gens

([1]) E. dixit Dominus Jesus Christus. ([2]) 117, circuendum.

generaliter est imbellis, vilis et tristis; unde, ut omittam testimonia Sacræ Scripturæ, Juvenalis poeta irridet [1] sacra ægyptiorum, qui colunt pro diis canes et serpentes. Adrianus etiam imperator romanus, magnus poeta, et vir certe magnæ intelligentiæ et prudentiæ, qui plus perambulavit provincias romanas, quam umquam alius princeps, detestatur valde mores ægyptiorum in epistola quadam quam scribit ad amicum, sicut scribit Ælius spartianus in vita eius; et ut concludam cum Tullio in suo Tusculano libro V ægyptiorum: *mores quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus.* Ægyptus ergo maleficiorum mater, qui non solum restiterunt [2] Moysi, sed cum eo signis et miraculis contenderunt [3], qui missus a Deo fecit tot miracula aperta, et fuit magnus astrologus, ut perhibet Petrus Comestor in Historia ecclesiastica. Justinus tamen breviator Trogi Pompeii, satis verus scriptor rerum gentilium, iniuste admiscet vera falsis in hoc. Scribit enim libro XXXVI inter alia: cum multum laudasset Joseph quod Moyses filius eius dux fuit hebræorum qui sunt expulsi de Ægypto cum scabiem et lepram paterentur, et abstulit furto sacra ægyptiorum, et ægyptii persecuti illos repulsi tempestatibus domum redierunt; quod dictum damnat Augustinus et Orosius scribens sibi. Unde Josephus historicus hebræus tertio libro Antiquitatum dicit, quod quilibet irridebit eos qui dicunt Moysem lepra fatigatum factum fuisse ducem expulsorum eadem de causa, et venisse in Chananæam cum eis. Si enim hoc fuisset verum, nequaquam Moyses expulisset leprosos a castris suis, qui tamen apud multas gentes morantur et honorantur. Commendatur et ultimo Ægyptus a magna potestate, quia olim habuit Pharaones potentes, et Ptholo-

---

(1) S. irridet ægyptios. (2) E. restiterit. (3) E. contenderit.

meos qui regnaverunt post Alexandrum Magnum. Hodie vero habet Soldanos qui tenent Babyloniam, Alexandriam olim æmulam Carthaginis, Syriam et Terram Sanctam et multas terras; sed gens ægyptia semper fuit apta nata servituti. — Ad literam ergo, poeta fingit quod animæ portatæ ab Angelo cantabant nunc illum psalmum David, qui incipit: *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro;* in quo quidem psalmo David describit liberationem populi hebræorum de captivitate ægyptiorum; nam dicit: et illi spiritus sedentes in navi fundati in fide: *cantavan tutti insieme ad una voce,* cum magno gaudio, sicut olim hebræi cantaverant hymnum cum Moyse: *In exitu Israel de Ægypto:* et non solum cantabant principium illius psalmi, sed totum usque in finem, unde dicit: *con quanto di quel salmo è poscia scritto.* Et sic vide quod spiritus portati in nave Angeli intrabant purgatorium cantando, ubi portati in nave Charontis intrabant infernum, frendentes dentibus, blasphemantes Deum, parentes etc. Et (1) hic adverte lector quam subtiliter poeta noster finxerit istos canere psalmum prædictum; quoniam Ægyptus terra plena erroribus, laboribus, serpentibus, figuraliter est terra habitabilis, plena peccatis et periculis, cuius rex est Pharao, idest diabolus qui appellatur princeps mundi, ut clare ostensum est ultimo capitulo Inferni; in qua terra quamdiu hebræi steterunt, fuerunt vexati omnibus calamitatibus et pressuris, coacti facere omnia opera vilia et servilia, sicut cavare fossas, coquere lapides murales et similia; et ad tantum deducti sunt quod omnes mares eorum statim cum nati erant necabantur; nec poterant de ista terra pessima recedere, et a tam atrocibus malis, nisi miserante divina gratia, quæ dedit eis optimum ducem Moy-

(1) Manca nel Codice 117 quanto qui segue fino alle parole: Et finaliter poeta.

sem qui familiariter loquebatur cum Deo, et secundum præceptum eius regebat et ducebat populum Dei in terram promissionis, sicut Angelus iste ducit istos ad regnum, quod promisit Deus diligentibus se. Et sicut hebræi liberati, postea habuerunt Deum propitium et receperunt maxima et mirabilia beneficia ab eo, sed sæpe ingrati conquerebantur et volebant redire in Ægyptum, propter quod Deus sæpe flagellavit eos; ita recte accidit his qui recedunt a vitiis et tendunt ad virtutes per purgatorium. Et sicut hebræi tandem pervenientes in terram promissionis habuerunt mirabiles victorias et magnas prædas in terra fertilissima; ita (1) isti tendentes ad virtutem debellant hostes, idest, vitia, in terra felicissima (2), idest, virtute, et tandem triumphant in cœlesti Hierusalem. Et hic ultimo nota, quod, sicut scribit Josephus tertio Antiquitatum, luna quarta decima, sole posito in ariete, hebræi liberati sunt a servitute ægyptiorum, in quo puncto poeta noster liberatus est a servitute peccatorum, et per desertum purgatorii pervenit ad cœlestem Hierusalem. De isto ducatu Moysis dicetur alibi plenius. Et finaliter poeta ostendit quomodo Galeottus deposuerit animas ad terram, dato eis certo signo; unde dicit: *poi,* ille Angelus, *fece lor il segno di santa croce,* ad denotandum quod sicut venerant ad litus in barca fidei, ita sub vexillo et signo Christi militarent et certarent contra hostes per totum iter usquequo perveniant ad præmium laborum magnorum. Et bene fingit quod Angelus dederit istis signum crucis, quia infidelis, donec infidelis, numquam potest facere istud iter: idcirco statim accepto signo descenderunt ad terram: unde dicit: *ond' ei si gittar tutti in su la piaggia:* ibi (3) non est portus, ubi debeant quiescere, nec morari; *et ei,* scilicet

(1) E. ita et isti. (2) S. fertilissima vel felicissima. (3) 117, ubi non est.

Angelus, *sen giò com' el venne veloce,* quia pari velocitate redivit pro aliis animabus portandis.

La turba. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta describit unam turbam animarum portatarum ab Angelo, ex quarum numero recognoscit animam unius sui dilecti. Et primo ostendit morem earum, dicens: *la turba,* scilicet illorum spirituum, *che rimase lì, parea selvaggia del loco,* idest, ignara loci, quod ostendebant, *rimirando intorno,* sicut faciunt peregrini in terra ignota, unde dicit: *come colui che nuova cosa assaggia;* et isti venerant ad novam rem tentandam, scilicet ad pœnitentiam. Et continuo ostendit quando et quid dixerint illi spiritus eis. Unde describit tempus idoneum processui istorum, et vult breviter dicere quod jam fiebat dies clara ubique in illo hemisperio, quod ostendit per evidens signum, quia scilicet capricornus, qui erat paulo ante in medio cœli, declinaverat aliquantulum ad occasum procedente sole; nam ut dictum est in principio capituli nox fiebat nobis in libra, et capricornus est tertium signum post libram, ideo erat in medio cœli; nam semper sex signa sunt super terram et sex infra terram, quocumque tempore dato. Dicit ergo: *lo sol,* oriens cum ariete ibi, *ch' avea cacciato il capricorno da mezzo il ciel,* quia sicut sol paullatim ascendebat, ita capricornus paullatim declinabat, *saettava il giorno,* idest, emittebat diem, *con le saette conte,* idest, cum radiis suis manifestis, qui velut sagittæ acuti feriunt et penetrant subtiliter, *da tutte parti,* in hemisperio illo. Et sic vide quod, sicut prædixerat eis Cato, sol oriens ostendebat eis iter, et ascendebat paullatim, sicut et ipsi ascendent paullatim, *quando la nuova gente,* quæ noviter appulerat ad illud novum litus, *alzò la fronte vêr noi,* putans nos fore incolas illius loci, *dicendo a noi: se voi sapete, mostratene la via di gire al monte,* quia ignorabant viam virtutis.

Et subdit poeta responsionem Virgilii ad illos, dicens: *e Virgilio rispose,* ostendens similem ignorantiam in se: *voi credete forse che siamo esperti d' esto loco,* scilicet, quia fecerimus [1] diu residentiam hic, sed non est sic, quia iste miser tantum nunc recognoscit errorem suum, sicut et vos; habet tamen prærogativam, quia quærit reverti ad viam rectam in vita, vos vero solum post mortem. Unde dicit: *ma noi siam peregrin come voi siete,* quia vadimus ad montem sanctum pro indulgentia, sicut et vos, et citius perveniemus ad terminum quam vos, quia jam multum ambulavimus per sylvam asperrimam, et diu laboravimus pro perveniendo ad istam viam. Unde dicit: *dianzi venimmo innanzi a voi un poco,* quasi dicat: modo-modo, *per altra via,* scilicet infernalem, *che fu sì aspra e forte,* idest, semper descendendo; *che 'l salire oggimai,* idest, ascendere amodo ad montem purgatorii, *ne parrà gioco,* idest, quid delectabile, respective. Et vere, considerata bene et cognita infirmitate et infelicitate peccatorum, quæ semper tendit ad ima, facilius est ascendere [2] ad altitudinem et felicitatem virtutum.—*L'anime.* Hic poeta describit effectum responsionis Virgilii; et breviter dicit, quod videntes autorem fore vivum in tanta turba mortuorum, præ [3] nimia admiratione factæ sunt attonitæ et pallidæ. Et est litera clara; unde dicit: *L' anime che si fur di me accorte,* per evidens signum, *ch' io era ancor vivo per lo spirare,* quia, scilicet, attrahebam et emittebam aerem, sine quo est impossibile hominem vivere, quod animæ illorum non faciebant, quæ carent pulmone et cæteris organis corporalibus, *meravigliando diventaro smorte.* Et hic nota quod stupor est quædam species timoris qui provenit ex insolita imaginatione; ideo terret hominem, et mutat

---

(1) S. fecimus. (2) E. tendere seu ascendere. (3) E. pro.

colorem, sicut est de natura timoris; imo aliquando ita opprimit phantasiam quod lingua ligatur ita ut loqui non possit. Isti autem mirabantur de re nova et insueta, scilicet quod unus vivens venisset ad purgatorium, et per aliam viam quam ipsi; ipse enim venerat per terram, illi vero per mare; et moraliter loquendo mirabantur quod ipse solus inter tot, ante tempus et horam mortis venerat ad pœnitentiam, quam illi distulerant usque in finem. Et ostendit quomodo omnes cum summa festinantia concurrerunt sicut (¹) in omnibus rebus videmus accidere, quod ad nova homines concurrunt; et hoc per comparationem valde claram de cursore qui portat olivum. Dicit ergo: *e quelle anime fortunate,* quia electæ et jam certæ de salute, *tutte quante s' affissaro al mio viso,* idest, omnes firmaverunt se ante faciem meam et me respiciebant quasi angelum nuntium Domini, *quasi obliando d' ire a farsi belle,* idest, quasi obliviscendo ire ad montem, de cuius via paulo ante petebant; in quo quidem monte animæ fiunt pulcræ quia purgantur et lavantur ab omni contagione vitiorum. Et notanter dicit *quasi,* quia quamvis viderentur dimittere viam suam parum firmando se, tamen imaginabantur non perdere tempus et operam, si videbant hominem constitutum in tanta gratia vivum ire per purgatorium: et faciebant a simili, *così come la gente tragge a messagger che porta ulivo, per udir novelle,* avidis auribus, *e di calcar nessun si mostra schivo,* quia in tali actu nullus præstat reverentiam alteri cedendo sibi. Et hic nota quantum comparatio est propria ad propositum. Nam poeta noster erat novus nuntius portans bona nova, quia faciebat novum (²) opus, et bene portabat ramum olivæ, quæ est arbor gratiæ, sapientiæ et pacis; et iste filius

---

(¹) E. sicut nos in.   (²) E. bonum opus.

gratiæ, homo magnæ sapientiæ, portabat nova pacis, quia quærebat pacificare se et alios Deo, triumphatis hostibus, idest, vitiis. — *Io vidi.* Hic poeta describit in speciali unam animam modernam de numero prædictarum, et ostendit eius magnam affectionem ad se, quia non contenta videre ipsum de prope, ruit (1) impetuose in amplexus eius. Dicit ergo: *Io vidi una di lor,* in speciali, *trarsi davante,* ante alias, *per abbracciarmi con sì grande affetto,* idest, cum tanta affectione, *che mosse me a far lo simigliante,* ut redderem sibi vicem curialitatis, licet nondum cognoscerem ipsum. Et quia non potuit amplecti eum sicut credebat, non minus miratus est quod non posset tangere eam, quam illæ miratæ fuissent quod viderant eum vivum, quia par ratio erat in utrisque. Sicut enim videbatur umbris mirabile videre hominem vivum, ita videbatur Danti vivo videre animam amplectentem se, et non posse amplecti eam; ideo ex magna admiratione prorumpit in unam exclamationem dicens: *o ombre vane,* o, idest, dico, animas vacuas et carentes corpore præter quam in uno; unde dicit: *fuor che nell'aspetto!* idest, præter quam in sola visione, quasi dicat, quod istæ umbræ nihil videbantur habere corporeitatis, nisi in tantum quod erant visibiles, sed non erant aliter sensibiles; quod declarat per effectum dicens: *tre volte dietro a lei le mani avvinsi,* idest, ter amplexus fui illam animam manibus post tergum eius junctis, *e tante,* idest, et totidem vicibus, *mi tornai con nulla al petto.* Verba sunt Virgilii cum dicit: *Ter conatus eram collo dare brachia circum, Ter frustra comprehensa manus* etc. Ideo ponit effectum ex parte sui et illius animæ, dicens: *di maraviglia, credo, mi dipinsi;* quia mutavi colorem, sicut fecerat (2) paulo ante iste, et alii socii; et dicit, *credo,*

(1) E. ivit. (2) E. feceram paulo ante, et alii socii.

quia non poterat videre faciem suam sicut aliorum, tamen bene sentiebat alterationem suam. Et non mireris si autor ita stupefactus est, quia iste erat primus mortuus quem unquam fuerat amplexus, *perchè l' ombra sorrise,* de simplicitate poetæ qui tentabat amplecti animam separatam, sicut olim solebat facere corpus animatum, *e si ritrasse,* scilicet aliquantulum a me retro se traxit, *et io seguendo lei,* tantum quantum illa se retrahebat, *oltre mi pinsi,* idest, protraxi me versus eam. — *Soavemente.* Hic poeta ostendit quomodo recognoverit (1) istum spiritum ad loquelam dicens: et illa anima, *soavemente,* sicut habuerat suavem vocem in loquendo et cantando, *disse ch' io posasse,* quia frustra conabar (2) amplecti eam, *allor conobbi chi era,* ita quod quem non cognoveram ex conspectu (3) cognovi ex loquela, *e pregai che per parlarmi un poco s' arrestasse,* quia fuerat mihi carus et familiaris in vita. Et ponit responsionem illius, dicens: *risposemi,* anima prædicta, *così com' io t' amai nel mortal corpo,* scilicet in prima vita, *così t' amo sciolta,* idest, soluta et separata a carne; *però m' arresterò;* et petit: *ma tu perchè vai?* quasi dicat: sed tu Dantes, quare vivus facis istud iter? Et poeta respondet (4), appellans eum nomine proprio ex magna affectione, et dicit: *Casella mio.* Ad quod sciendum quod iste spiritus cum quo autor tam amicabiliter loquitur fuit quidam suus florentinus nomine Casella, qui fuit famosus cantor tempore suo, vir quidem curialis, affabilis, ad quem Dantes sæpe solebat accedere in vita ad recreandum spiritum cantu illius, quando erat fatigatus studio, vel stimulatus passione amoris. Ideo poeta introducit eum hic, quia multum facit ad propositum suum, ut statim videbis. Nec dicas, sicut audivi ab aliquibus, multi fue-

(1) 117, recognoverat.
(2) E. conabatur.
(3) S. aspectu.
(4) E. respondit.

runt excellentiores cantores ante istum et post, de quibus poeta justius poterat facere mentionem; sed nihil ad rem, quia autor potius voluit facere memoriam et famam de amico cui tenebatur adducere ([1]) se ipsum in exemplum in materia cantus quo fuit summe delectatus, ut statim videbis. Dicit ergo: *diss' io,* illi Casellæ, *io fo questo viaggio,* scilicet purgatorii, *per tornar altra volta là dov' io son,* quasi dicat: ideo facio hoc in vita ut merear in morte per purgatorium pervenire ad vitam æternam. Sed ne dimittam aliquid indiscussum, hic oritur justissima dubitatio: quærunt enim multi cum magna admiratione, quid sibi vult ista nova fictio istius novi poetæ, quare istæ animæ relegatæ extra purgatorium ponuntur sine aliqua pœna purgatoria? Ad hoc respondent quidam, quod amara pœna est homini expectare. Alii dicunt quod poeta per hoc dat intelligi quod aliqui puniuntur in isto mundo ante purgatorium, sicut dictum est in præcedenti capitulo; sed sic dicentes quærunt subterfugia ignorantiæ suæ. Sed ad verum intellectum istius fictionis debes notare quod sicut plene dixi in primo capitulo poeta noster loquitur de purgatorio morali; vult enim dare intelligi quod de numero salvandorum aliqui sunt mortui spiritualiter per totum tempus vitæ, qui tamen salvantur, quia in fine habent contritionem et conversionem debitam ad Deum; ideo bene fingit quod morantur et vagantur extra purgatorium sine pœna pœnitentiali per tantum ([2]) tempus, per quantum distulerunt pœnitentiam in mundo. Et quod dico de istis intelligas de cæteris negligentibus, de quibus dicitur usque ad capitulum nonum. — *Ma a te.* Hic poeta quia dixerat Casellæ, quare vivus venerat ad purgatorium, nunc merito petit quare ipse tantum tardaverit venire. Ad

([1]) E. et adducere. ([2]) E. tantum temporis.

quod respondet Casella, quod Angelus qui habet officium transportandi animas ad purgatorium, noluit ipsum levare citius; et jure optimo hoc fecit, quia ipse non disposuit se citius, sed finaliter in illo anno jubilæi ipse, sicut et multi alii, reduxit se ad Deum, et contritus et confessus ivit Romam pro indulgentia, et paulo post meruit levari ab Angelo. Dicit ergo poeta primo: *ma a te com' è tanta ora tolta?* idest, et tu quare tanto tempore distulisti venire huc? et continuo ponit responsionem Casellæ, dicens: *et elli a me:* scilicet Casella cantor dixit: *nessun m' è fatto oltraggio,* idest, nulla iniuria, nulla iniustitia, *se quei,* scilicet, Angelus Domini, *che leva,* scilicet, in navi, *quando e cui li piace,* cum gratia divina, *più volte m' ha negato esto passaggio,* quia scilicet non promovit, non invitavit me ad istud purgatorium, sicut tu sæpe invitabas me ad cantum. Et hic nota quod gratia non datur ei, qui non se habilitat; de quo possunt dari multa exempla, sicut in illo qui manum ad largitatem non ostendit (1), quia Deus quantum in se est dat omnibus affluenter: in illo qui oculos contra lumen claudit, cum tamen Deus solem (2) suum oriri faciat super bonos et malos: in illo qui fontem inveniens erigit fundum vasis sursum, quia Deus, ut ait Augustinus, magna liberalitate et ubertate omnes creaturas replet pro capacitate earum, in eo qui domum suam cingit spinis ne ingrediatur amicus, ipse enim Deus semper stat ad ostium et pulsat: in eo qui lolium non extirpat ex agro suo, propter quod fructus crescere non potest: in eo qui negligit aperire os ad sumendum cibum, quia talis merito debet fame mori: in illo qui tempore pugnæ arma abiicit (3), quia talis sæpe capitur, vulneratur vel occiditur: in illo qui remum non movet tempore

---

(1) E. extendit. (2) S. lumen suum. (3) E. abiecit.

tempestatis, quia talis sæpe mergitur: in eo qui ægrotans, medicis contradicit; et ita possem dicere de mille. Ideo bene dicit Casella, quod nulla facta est sibi iniustitia si non fuit jamdiu levatus ([1]) ab Angelo Domini. Et continuo Casella assignat causam sui dicti, dicens: *che di giusto voler lo suo si face;* construe sic: *che lo suo,* supple, velle, *si face di giusto voler,* idest, quia voluntas Angeli fit ex voluntate divina, quæ est semper justa, quasi dicat: Angelus nemini potest facere iniuriam cum sit minister divinæ voluntatis justæ. Et hic nota bene, lector, quod sicut dicit Calcidius comentator super Thimæum Platonis, ut Deus juxta Angelum, sic Angelus juxta hominem. Angeli enim sunt nobis usui ([2]) nuntiantes Deo nostras preces et hominibus Dei voluntatem intimantes, et illi nostram ([3]) indigentiam, certe ad nos divinum auxilium deferentes; quam ob causam vocati sunt Angeli ob assiduum officium nuntiandi. Huius beneficii testis est universa Græcia et tota Italia; nam natura generis humani nimis infirma indiget auxilio melioris et perfectioris naturæ: quam ob rem creator omnium et conservator Deus volens genus humanum ([4]) esse, præfecit eis Angelos, per quos recte regerentur: et isti quidem ministri Dei protectores nostri sunt contra adversam potestatem, de quibus ait Plato, quod sunt quadam admirabili prudentia, memoria vel ([5]) docilitate, quia omnia sciant, et cogitationes hominum introspiciant, et bonis quidem eximie delectentur, improbos oderint, nec visibiles, nec sensibiles. Et ostendit Casella quando se ([6]) habilitaverit, tangens tempus generalis indulgentiæ dicens: *veramente elli,* scilicet Angelus gratiosus, *ha tolto,* idest,

---

([1]) S. elevatus. ([2]) E. visui. ([3]) S. ad nostram.
([4]) E. humanum salvum esse. — S. humanum esse perfectum, præfecit eis.
([5]) E. et docilitate, quia omnes sciant et cognitionem hominum.
([6]) E. se applicaverit et habilitaverit.

receptavit in navi, *chi ha voluto intrar con tutta pace,* idest, quicumque voluit conciliari et pacificari Deo, *da tre mesi,* idest a tribus mensibus citra, quod est dicere a natali citra. Nam, ut alibi dictum est, annus ille quo poeta habuit suam mirabilem visionem, scilicet millesimus trecentesimus, fuit annus jubilæi, qui incœperat a nativitate, et nunc erat tempus primi veris, quia sol intraverat arietem. Vocatur autem hic annus, quem Moyses statuit in deserto, jubilæus, et erat quinquagesimus, ut refert Josephus tertio Antiquitatum, in quo debitores a creditore laxabantur, et servi dimittebantur liberi. Stante siquidem jubilæo, quod nomen significat libertatem, restituebantur etiam campi antiquis dominis; ideo dicit Casella quod tali tempore liberatus est de Ægypto et de potestate Pharaonis. Dicit ergo: *ond' io che era alla marina vollo,* scilicet, ad maritimam romanam, *dove l'acqua di Tevere s' insala,* idest, intrat salum, sive mare; per quod intelligit quod erat conversus ad obedientiam romanæ ecclesiæ, *benignamente fu' da lui ricolto,* scilicet ab illo Angelo, qui libenter recipit redeuntes ad gremium ecclesiæ quantumcumque tarde. Et hic nota quod Tiber fluvius romanus intrat mare longe a Roma per duodecim milliaria juxta civitatem quæ vocatur Hostia, quam olim condidit Ancus Martius quartus rex romanorum in ipso confinio maris et fluminis, ut ait Florus, jam tunc præsagiens animo debere esse, ut divitiæ totius mundi et victualia reciperentur illo quasi maritimo hospitio urbis. Et subdit Casella quod Angelus revertitur nunc versus ostium Tiberis, quia omnis anima salvanda transit per passum illum, scilicet per præcepta romanæ ecclesiæ. Dicit ergo: *elli,* scilicet Angelus, *ha or dritta l'ala,* idest, nunc de præsenti revolat, *a quella foce,* scilicet tiberinam; et ecce rationem, *però che qual,* idest, omnis anima quæ, *non si cala verso d' Acheronte,* idest, non

descendit damnanda ad infernum in quem intratur per passum Acherontis, *si raccoglie sempre quivi,* scilicet ad portum almæ urbis, quasi dicat breviter quod Angelus non colligit animas ab alia parte quam a christiana fide, cuius est caput romana ecclesia.

Et io. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta ostendit quomodo invitaverit Casellam ad cantandum, et quomodo cantus illius et auscultatio eorum fuerint [1] disturbata per Catonem. Et primo exordiens adiurat eum per beneficia præterita, ut ita nunc recreet ipsum fatigatum cantu suo semel, sicut olim in vita sæpe facere solebat. Unde dicit: *et io,* supple dixi Casellæ: *se nuova legge,* scilicet post mortem, *non ti toglie memoria o uso,* quasi dicat: si non perdidisti per mortem memoriam et usum, quæ duo maxime conservant artem; et loquitur conditionaliter, quia nesciebat si iste qui perdiderat organa, quibus vox formatur, per mortem, posset cantare, et dicit: *all' amoroso canto,* quia præcipue fuerat expertus dulcedinem cantus Casellæ in materia amoris; ideo dicit: *che mi solea quetar tutte mie voglie,* idest, qui cantus solebat sedare mihi passiones amoris; et sic captat benevolentiam in eo quod dicit illum fuisse cantorem eximium, adiutorem sui amoris; unde petit: *di ciò,* idest, de amoroso cantu, *ti piaccia,* loquitur blande, *di consolarmi alquanto l' anima mia,* quæ vere indiget consolatione; unde dicit: *che venendo qui,* idest, quæ anima mea veniens ad istum purgatorium, *con la mia persona,* idest, carne humana, *è affannata tanto,* simul cum corpore per tot aspera loca, per tormenta pœnarum. Et hic nota quod poeta noster de industria fingit quod petat delectationem cantus ad relevationem suarum curarum, quia de rei veritate summe delecta-

---

[1] S. fuerunt.

tus est musica. Primo quidem ratione generali, quia hæc est delectatio naturalis (1) omnibus; sicut enim philosophus scribit octavo Politicorum, ait Museus magnus musicus et Musarum amicus hominibus esse delectabilissimum cantare. Secundo ratione speciali, quia poeta; musica enim est necessaria poetæ. Unde Calcidius: Musicæ quidem consanguineam esse poeticam palam est omnibus. Tertio ratione specialissima: cum enim usus musicæ naturaliter sit amicus omnibus ætatibus et omnibus moribus, maxime (2) juvenes et melancholici indigent delectatione secundum philosophum. Hic (3) poeta fuit valde melancholicus a natura et a studio, sicut communiter fuerunt viri sapientes. Unde Aristoteles libro Problematum petit (4) propter quod quicumque fuerunt viri excellentes aut secundum philosophiam, aut politiam, aut poesim, aut artes videntur esse melancholici, qualis fuit Hercules; Tullius tamen, cui dictum non placet, ridet hoc in suo Tusculano. — *Amor.* Hic poeta ostendit formam et suavitatem cantus istius Casellæ, et breviter dicit, quod Casella benevolus non tardavit vel negavit cantare, sicut est commune vitium omnium cantatorum (5), qui sunt rogati, ut ait Horatius; sed statim cœpit canere; unde dicit: *elli,* scilicet Casella, *cominciò a dir,* scilicet, cantando: *Amor che nella mente mi ragiona.* Hic nota quod Dantes fecit istam cantationem (6) de virtutibus et pulcritudine Beatricis. Ipse enim nimium delectatus ab ipsa juventute sonis et cantibus musicis fuit amicus omnibus optimis musicis et citharœdis sui temporis, et præsertim Casellæ (7), qui intonavit multos sonos eius; et prædictam cantilenam de amore Beatricis intonavit (8)

(1) E. generalis.
(2) S. maxime quia juvenes.
(3) E. Et hic.
(4) E. petit, quare quicumque.
(5) E. e 117, cantorum quando sunt.
(6) E. e 117, cantionem.
(7) E. isti Casellæ.
(8) 117, intonavit et aliquando cantavit cum summa delectatione.

cum summa delectatione ipsius Dantis; unde dicit: *sì dolcemente, che la dolcezza dentro ancor mi sona,* quia impressio remansit in anima, quæ mirabiliter delectatur [1] musica. Unde poeta, ut ostendat delectationem musicæ generaliter capere omnes, statim ostendit effectum illius cantus, dicens: *lo mio maestro,* scilicet Virgilius, *e quella gente ch' eran con lui,* idest, et reliqua turba quæ erant [2] cum illo Casella, quasi dicat: non solum viri studiosi sed vulgares, *parevan sì contenti come a nessun toccasse altro la mente,* quam ille cantus, quasi dicat, quod nullus videbatur curare de alia re, ita erat astractus cantu quod videbatur oblitus tendere ad montem, de quo paulo ante cum tanta cura quærebat. Et ut cognoscas, lector, quanta est virtus, potentia et efficacia musicæ, nota quod musica non solum speculationi, sed etiam moralitati coniuncta est. Nihil est enim tam proprium humanitati quam remitti dulcibus cantibus. Est autem musica tam naturalis, quod sicut scribit Boetius in prohemio suæ musicæ, infantes, juvenes et senes ita naturaliter cantibus musicis afficiuntur quadam affectione voluntaria, ut nulla sit omnino ætas quæ a delectatione dulcis cantilenæ separata sit. Musica naturaliter est tam potens quod mutat [3] et provocat homines ad devotionem, ut patet in choris ecclesiarum, placat [4] iram. Unde Pythagoras mitigavit juvenem ebrium tauromintanum, qui furiose volebat comburere domum, in qua erat clausa meretrix sua a quodam, qui etiam cognoscebat eam, sicut scribit Tullius in suo libro de consiliis. Similiter idem Pythagoras retraxit a furore alios juvenes ebriosos qui accensi cantibus tibiarum tentabant rumpere portas mulieris honestæ. Dicit etiam Boetius de Empedocle qui temperavit iracundiam adolescentis, qui furibundus in-

---

(1) S. delectabatur.
(2) S. e E. erat.
(3) E. invitat et provocat.
(4) E. et placat.

vaserat hospitem suum, quia accusaverat patrem eius; omnis ætas, omnis sexus naturaliter melodia musicæ delectatur; unde in funeribus temperat planctus, ita quod causa flendi fit dulcior cum quodam cantico. Nam antiquitus fuit consuetudo quod cantus tibiæ præcedebat planctum, sicut scribit Statius in maiori; unde videmus quod mulieres deplorantes planctus suorum quodammodo decantare videntur; Aristoteles etiam libro Problematum petit propter quod dolentes (1) et delectantes fistulantur; et dicit: ut hi quidem minus tristentur; alii autem magis gaudeant: magni ergo et varii sunt effectus musicæ. — *Noi.* Nunc poeta ostendit qualiter Cato superveniens turbaverit (2) immensam delectationem eorum, arguens omnes negligentiæ. Dicit ergo continuans partem parti: *Noi eravam tutti fissi ed attenti alle sue note,* scilicet cantus illius Casellæ, *et ecco il veglio onesto,* scilicet, Cato Uticensis, licet uterque Cato fuerit rigidus et honestus et hostis omnis lascivæ (3) vanitatis. Primus enim oratione gravissima clamavit in senatu romano contra impudentiam et audaciam fœminarum, quæ repetebant usum auri et argenti et prætiosarum vestium, licet non obtinuerint. Uticensis vero tacens sola præsentia sua vetabat in theatro ne fierent ludi inhonesti valde, in quibus mulieres nudabantur. Ideo merito poeta introducit eum increpantem vanam delectationem eorum; unde dicit: *che è ciò spiriti lenti,* qui dimittitis honestum et sanctum iter virtutis propter delectamina vana; *qual negligentia,* certe turpissima est jactura, quæ per negligentiam venit; *quale stare è questo?* in isto plano; ergo *correte al monte,* scilicet purgatorii, *a spogliarvi lo scoglio,* idest deponendum saxum et onus vitiorum, quod pergravat animam ad ima; ideo dicit: *ch'esser non la-*

---

(1) E. dolentes fistulant; et dicit. (2) 117, turbavit. (3) E. lasciviæ.

scia a voi Dio manifesto; ad quem itur per istum montem altum. Et hic adverte bene quanta arte poeta noster utitur hic, qui primo posuit suam delectationem omnium, deinde mordacem increpationem Catonis. Unde volo ulterius te notare quod non obstante commendatione musicæ facta, poeta hic digne reprehenditur a Catone; primo, quia non erat amplius juvenis; secundo, quia hic renovabat cantum de materia amorosa, qua olim fuerat nimis inviscatus; tertio, quia nunc tendebat ad pœnitentiam, unde melius erat nunc plorando ad gaudium pervenire, quam cantando (¹) pervenire ad planctum. Ad quod notandum quod sicut musica bene morata et temperata parit optimos effectus, ita si sit mollis et lasciva, pessimos, quia nullum vestigium sequitur honestatis. Unde Plato qui fuit magnus musicus præcipiebat quod pueri non erudirentur in omnibus modis musicalibus, ex quo volebat quod musica esset simplex et mascula, quali (²) olim usi sunt lacedæmonii in Græcia, et romani in Italia, ad alliciendos animos juvenum ad amorem bellorum et laborum; sed non effœminata quæ emollit virilitatem. Nam teste Gregorio: *cum blanda vox quæritur sobria vita deseritur.* Ideo Athanasius ad vitandam vanitatem usum canendi in ecclesiis interdixit. Ambrosius ad invitandam pietatem ordinavit ut caneretur. Augustinus de utroque dubitat, utrumque permittens, ut scribit libro Confessionum. Et quidam vir bonus et prudens habens curam magni conventus monialium, vetuit ne cantando divinum officium celebrarent. Sed, ut de cæteris taceam, Nero mollissimus, qui fuit vir omnium mulierum et mulier omnium virorum, nimis damnabiliter delectatus est omni genere musicorum, omnia theatra Græciæ percurrens, ubi olim studium musicæ maxime viguit, adeo

(¹) E. cantando ad planctum attingere. Ad quod.
(²) S. qua olim.

quod ignarus musicæ reputabatur indoctus, sicut Themistocles præclarissimus dux et philosophus atheniensis culpatus est quia in convivio lyram recusavit. Et Epaminondas strenuissimus dux thebanus similis Catoni superiori, in tanta rerum industria laudatus est, quod sciebat optime canere lyra, sicut (1) Tullius libro Tusculanarum: et Achilles juvenis se sono lyræ a laboribus recreabat; et Socrates senex in senio non erubescebat discere musicam. Et idem Tullius secundo de Legibus mirabiliter commendat musicam, et pulcre disputat utrum sit utilis, et ostendit quod neque colenda, neque negligenda sit. Et Plato vir divini ingenii arbitratus est musicam ad statum sive corruptionem morum ac reipublicæ pertinere. Nero autem ita alienatus est mente per musicam, quod in ultimo discrimine positus deflebat, non quantus (2) princeps sed qualis musicus periret, ut scribit Svetonius in sexto. — *Come.* Hic ultimo poeta describit recessum illarum animarum per unam comparationem domesticam; et breviter dicit, quod isti fecerunt nunc sicut columbi, qui intendentes ad capiendum cibum, exterriti clamore vel strepitu alicuius supervenientis, subito aufugiunt dimisso victu suo. Ordina sic literam, quæ videtur intricata: *vid' io,* scilicet ego Dantes, *quella masnada fresca,* idest, turbam novam illarum animarum, *lassar lo canto,* illius Casellæ, *e fuggir vêr la costa,* scilicet montis purgatorii, *com' uom che va, nè sa dove riesca,* quia qui incipit tendere ad virtutem ignorat exitum et finem; *così come li columbi,* supple, fugiunt, *quando adunati alla pastura,* in campo ubi pascuntur, *cogliendo biada o loglio, queti senza mostrar l' usato orgoglio,* idest dimisso magno murmure suo naturali, *lascian subitamente star l' esca,* qua tam dulciter pascebantur, *per-*

(1) E. sicut scribit Tullius. (2) E. non quantum.

chè assaliti son da maggior cura, scilicet, fugiendi nocumentum, quæ est maior cura quam sit cura capiendi cibum. Unde dicit: *se cosa appare ond' egli abbian paura,* quasi dicat: si timent de salute sua. Et hic nota quantum comparatio prædicta sit pulcra et propria. Primo quidem columbi sunt pulcri, politi, amorosi, mansueti, et tales sunt communiter isti cantores et pulsatores, ut dictum est paulo supra de Casella; et sicut columbi congregati in campo intenti pascuntur dulci cibo, ita isti spiritus congregati in isto plano pascebantur attenti delectabili cantu; et sicut columbi qui de se sunt naturaliter inquieti quietantur ad cibum, ita isti spiritus similiter de se inquieti quietabantur ad cantum; et sicut columbi exterriti clamore alterius fugiunt dimisso cibo timore impellente, ita isti spiritus territi clamore Catonis fugierunt impellente pudore, qui est species timoris. Et concludit poeta istum tractatum et claudit capitulum, dicens: *nè la nostra partita,* scilicet Virgilii et mei, *fu men tosta,* et facit diminutionem, quasi dicat, imo multo velocior tanto quanto viri studiosi magis timent verecundiam, et magis verecundantur de omni parvo fallo, ut ipse poeta clare dicit statim in principio sequentis capituli.

CANTUS TERTIUS, *in quo tractat sicut iverunt versus montem, ubi Virgilius declarat Danti quæstionem de corpore suo et de umbris omnibus; et in fine sicut invenerunt spiritus super montem, et interrogaverunt eos de itinere, et sicut dominus Manfredus imperator locutus est ei declarans tempus pœnitentiæ contumacium sanctæ ecclesiæ.*

AVEGNACHÈ *la subitana fuga.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta (1) tractavit et determinavit de prima specie relegatorum extra purgatorium, qui fuerant lenti ad pœnitentiam usque ad mortem seducti magna delectatione; nunc consequenter in præsenti tertio capitulo agit et tractat de secunda specie relegatorum extra purgatorium, qui neglexerunt suam conversionem ad Deum obstinati (2), magna maledictione ecclesiæ Dei, et sic gravius deliquerunt. Et istud capitulum sufficit dividere (3) in tres partes generales. In prima quarum poeta, continuans materiam præcedentem sequenti, discutit subtiliter et occulte duo dubia. In secunda describit in generali aliam turbam animarum et mores earum, ibi: *Noi divenimmo.* In tertia et ultima describit in speciali animam modernam cuiusdam viri illustris, qui semper fuit rebellis ecclesiæ in vita, ibi: *Et un di loro.* Ad primum veniens dico quod poeta pertractat (4) duas quæstiones, sed ante hoc pro continuatione præmittit dispositionem sui et Virgilii; quia enim dictum erat in fine præcedentis capituli, quod illi spiritus increpati a Catone omnes aufugerant, ideo nunc ostendit quid ipse fecerit: ne forte putares ipsum immiscuisse se

(1) S. poeta noster.
(2) E. obstinatione sua, magna.
(3) 117, dividi.
(4) S. tractat.

gregi illarum animarum, dicit quod ipse solus recurrit ad ducem suum Virgilium, sine quo non poterat ascendere montem. Dicit ergo continuative: *Io mi ristrinsi,* idest, strictim reduxi me, *alla fida compagna,* idest, ad Virgilium fidelem amicum, qui numquam deseruit eum quousque potuit sociare ipsum; qui Virgilius jam destiterat (¹) a fuga, *avegna che la subitana fuga,* post reprehensionem Catonis, *dispergesse color,* idest, illas animas vanas, quasi dicat: licet dispersim fugerent omnes sine duce, *per la campagna,* idest, planitiem illius insulæ, *rivolti al monte,* scilicet purgatorii tendentes versus occidentem cum sole a tergo, *ove ragion ne fruga,* idest, in quo justitia stimulat et purgat (²) nos. Et continuo facit antipophoram, dicens: *come sarei io senza lui corso?* sicut feceram paulo ante cum eo, quasi dicat: nullo modo; *chi m'avria tratto su per la montagna?* tam arduam, ut dicetur paulo post, quasi dicat: nullus nisi ipse, quia sola ratio ducit hominem ad virtutem illuminante sole divinæ gratiæ. — *Ei mi parea.* Hic poeta describit bonam dispositionem Virgilii et sui, quia scilicet Virgilius redivit ad suam gravitatem, et ipse ad suum principale intentum; unde dicit primo de Virgilio: *ei mi parea da se stesso rimorso,* scilicet, remorsu (³) conscientiæ. Dicunt multi de errore suo, quia supra vacaverat ita attente cantui (⁴) illius Casellæ: tu vero dic quod erat remorsus pro festinantia cursus, quæ disconvenit viro gravi, ut declarat litera sequens. Unde exclamat in commendationem bonæ conscientiæ: *O,* idest, dico, *coscienzia dignitosa,* idest, dignitatibus plena, *e netta,* idest, pura. Conscientia enim dicitur quasi cum alio scientia, cum homo est sibi conscius suorum bonorum vel malorum; ideo dicit: *come t' è picciol fallo amaro morso!* quia illud

(¹) E. distabat sive destiterat. (²) 117, pungit nos. (³) E. morsu.
(⁴) S. cantu illius Casellæ. — E. cantui illius sui Casellæ.

peccatum quod videtur parvum vel nullum conscientiæ pravi hominis, videtur magnum conscientiæ boni. Error enim Virgilii hic fuerat parvus, imo forte nullus, scilicet cucurrisse parum; quia aliquando oportet cedere necessitati et obedire tempori: et tamen de hoc Virgilius erubescebat juxta illud Gregorii: *bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.* Augustinus tamen videtur contrarium velle qui dicit: *cum humilitatis gratia mentiris, si peccator non eras antequam mentireris, efficeris mentiendo.* Sed dictum Gregorii debet intelligi, quod vir bonus non solum facit sibi conscientiam si non servat præcepta, sed etiam si non servat consilia. Deinde poeta ostendit qualiter post reductionem Virgilii ipse statim se reduxit, et resumpsit suum propositum. Unde dicit: *la mente mia,* idest, speculatio mentalis, *che prima era ristretta,* idest, distracta et abstracta ab illo suavi cantu Casellæ, *lo intento rallargò,* idest, intentionem principalem ampliavit et liberavit, quæ primo erat captivata et tota occupata circa illum cantum amoris, *sì come vaga,* idest, avida videndi res novas purgatorii; ideo dicit: *e diedi il viso mio,* scilicet intellectualem, *incontro al poggio,* idest, versus montem; et declarat de quo monte loquatur, dicens: *che 'nverso 'l ciel più alto si dislaga,* idest, qui mons magis et magis dilatatur usquequo perveniatur in cœlum. Unde nota quod poeta fingit, quod hic mons incipit ab arcto, et gradatim ascendendo semper [1] ampliatur, sicut patet in arena Veronæ si incipis a fundo et tendis in altum; et talis recte est virtus. Et hoc feci, *quando li piedi suoi,* scilicet illius Virgilii, *lasciar la fretta,* idest, quando cessavit a cursu et firmavit se. Et tangit parvum fallum quod fecerat Virgilius, cum dicit: *che,* idest, quæ festinantia, *dismaga,*

---

[1] E. semper duplicatur sive ampliatur.

idest, disturbat, *l' onestade,* sicut scribit Tullius libro Officiorum de Seneca ad Lucilium; et dicit: *ad ogni atto.* Sicut enim gravitas et modestia decet sapientem in actibus et verbis, sic et incessu. Velocitas enim est magis negotiatorum et mercatorum, quam philosophorum et poetarum; et vere videre Virgilium currere per illam planitiem, et Dantem post eum cum sua ampla toga, debebat præstare (1) materiam risus etiam illi rigido Catoni. — *Lo sol.* Nunc poeta intendit discutere (2) unam quæstionem, et quæstio est ista: quare anima separata posita in terra in medio radiorum solarium non facit ex se umbram? Hanc autem quæstionem tangit tacite in eo quod fingit, quod ipse videns umbram suam ante se vertit se ad respiciendum umbram Virgilii, sed nullam videns obstupuit, et timuit perdidisse Virgilium suum; de quo ille advertens arguit eum ignorantiæ suæ. Et primo tangit causam suæ dubitationis, dicens: *lo sol che dietro,* scilicet post nos, *fiammeggiava roggio,* idest, splendebat rubens vel rudis, idest, novus, quia noviter ortus, *rotto m' era dinanzi alla figura,* propter umbram meam; nam sol oriens et occidens facit umbras longas; elevatus, minores, in meridie autem minimas, ut scribit philosophus libro Problematum; ideo dicit: *ch' aveva in me,* idest, in corpore meo obstante, *de' suoi raggi l' appoggio,* idest, quia ipse sol habebat inhærentiam radiorum suorum in me; et ob hoc, *io mi volsi da lato,* quia forte tunc ambulabant pari passu, *con paura d' essere abandonato,* quia non videbam umbram Virgilii, *quand' io vidi solo dinanzi a me la terra scura,* scilicet propter umbram, et non sic videbat ante Virgilium. Et hic nota quod poeta hic dubitabat et timebat de re numquam amplius visa, quia numquam viderat umbram suam in inferno

(1) E. præbere. (2) E. discurrere.

et Virgilium sine umbra, quia in inferno numquam oritur vel lucet sol. Et subdit quomodo Virgilius arguerit eum de ruditate sua, dicens: *el mio conforto,* idest, Virgilius solitus hortari me contra magnos timores et pericula inferni, *tutto rivolto,* versus me perpendens de errore meo, *incominciò a dire,* quasi indignanter [1]: *perchè pur diffidi,* quasi diceret: o modicæ fidei, quare tam faciliter amisisti [2] fiduciam et spem, quam debes et potes habere in me, qui numquam te deserui in terra dæmoniorum? Ideo dicit: *non credi tu me teco,* supple esse, *e ch' io ti guidi,* sicut soleo? — *Vespero.* Hic Virgilius solvit dubitationem Dantis assignans causam huius rei; et dicit breviter quod hoc accidit, quia non habet carnem secum, quam reliquit sepultam in hemisperio superiori; et anima separata est substantia simplex, incorporea, spiritualis, nullam habens densitatem per quam possit impedire penetrationem radiorum. Tangit autem locum suæ sepulturæ, dicens: *Vespero è già colà,* idest, jam est sero in Italia, quia, ut dictum est clare in capitulo præcedenti, jam erat facta lux ubique in illo hemisperio inferiori, ubi erant isti; ergo tenebra noctis facta erat in nostro superiori, ubi jacet [3] corpus Virgilii, ideo dicit: *dov' è sepolto lo corpo,* scilicet meum, *dentro al qual io facev' ombra,* scilicet, cum anima mea erat coniuncta corpori in vita: et declarat in speciali locum et modum sepulturæ. Et hic nota, lector, quod sicut poeta noster fecit in inferno Virgilium describere patriam in qua natus est, scilicet Mantuam in honorem et laudem Virgilii, quia Mantua est nobilissima civitas; ita nunc in purgatorio fingit Virgilium tangere patriam, qua maxime delectatus est in vita, et apud quam sepultus est, scilicet Neapolim. Est enim Neapolis civitas litorea nobilis-

---

(1) 117, indignatus. (2) E. amisisti tu fiduciam. (3) 117, erat.

sima, non dicta ab Enea sicut dicit vulgus, imo potius ab hostibus troianorum, scilicet a græcis. Est enim græca civitas, quæ olim vocata (1) est Parthenope a virgine conditrice, civitas olim dilecta Virgilio, cuius ipse meminit in fine libri Georgicorum, ubi dicit: *Illo Virgilium me tempore dulcis* (2) *alebat, Parthenope.* Ab una parte Neapolis non longe a Puteolis est mons Phalernus celebratus carminibus poetarum propter prærogativam vini, et inter Phalernum et mare est quidam mons saxeus manibus hominum excavatus, quem vocant criptam neapolitanam, quem vulgus dicit a Virgilio magicis incantationibus perforatum, sicut et in cæteris quæ miranda videntur visui, sicut etiam dicunt quod castellum Ovi factum est ab eodem Virgilio. Unde novissimus poeta Petrarcha scribit quod interrogatus semel a serenissimo rege Roberto quid de hoc sentiret, respondit ridenter, se nunquam legisse Virgilium fuisse marmorarium aut lapicidam; quod rex approbans ait: non vestigia magicæ, sed ferri illic esse. Est ergo via publica arcta (3) sed longissima per medium huius montis tenebrosa, et horribili nocte semper obscura, de qua etiam dicit vulgus aliud mirabile, scilicet quod inviolata est tempore belli, et nullis latrociniis attentata, cuius in epistolis ad Lucilium Seneca facit mentionem. In fine vero huius obscuri itineris, ubi primo incipit videri cœlum in alto monte videtur sepulcrum Virgilii operis antiqui; et ex hoc forte nata est opinio quod Virgilius fuerit autor huius caveæ. Virgilius enim peregre moriens, dum proficisceretur in Græciam infirmatus in via inter extrema suspiria recordatus est suæ Neapolis, et obtinuit reduci ad eam, ut quam vivus amaverat, defunctus incoleret. Ab alia parte Neapolis est alius mons olim dictus Ve-

(1) E. vocabatur Parthenope. (2) E. dulcis amabat.
(3) E. arcta longissima.

suvius ([1]), hodie vero vulgo vocatur Summa: hic mons biceps, imperante Nerone, factus est ardens, et per multa sæcula ignem emisit. Ad quod spectaculum olim accessit Plinius secundus veronensis gratia videndi et cognoscendi causas incendii, sed vento cinerem et favillam excitante oppressus est; sicque illud ardens ingenium vivum sepultum est in cineribus illis. Sic Neapolis ex una parte custodit Virgilium mantuanum, ex alia Plinium veronensem, virum multiplicis scientiæ et floridæ eloquentiæ. Est autem iste mons mirabilis fructu multarum rerum, sed præcipue ubertate vini, quod græcum appellatur, quia illa pars Italiæ olim a græcis possessa Magna Græcia vocabatur. Et nota quod tota illa regio, quæ hodie dicitur Terra Laboris, fuit olim pars Campaniæ et utraque appellatio ab urbe facta est a camporum fertilitate, et terrarum cultu, quoniam ager Campanus non solum pulcerrimus Italiæ, sed etiam orbis terrarum, ut ait Livius. Hoc ideo diffusius tetigi, ut videas quod poeta digne fecerit memoriam de terra fertilissima, in qua jacent ossa fructiferi ingenii et alti eloquii in montibus fructiferis et altis apud Neapolim. Nunc ad literam; dicit Virgilius: *Napoli l'ha,* scilicet illud corpus meum sepultum, *e da Brandizio è tolto,* quia Virgilius mortuus est Brundisii ([2]), et eius ossa relata sunt Neapolim, ubi præceperat sepeliri. Alii tamen scribunt quod mortuus est ([3]) apud Tarantum. Hæc omnia et eius opera tanguntur in eius brevi epitaphio, quod tale est: *Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc Parthenope; cecini pascua, rura, duces,* quasi dicat: scripsi Bucolica, Georgica, Eneida. Ex dictis Virgilius concludit, quod non debet mirari si non facit umbram, et arguit a minori et a simili, quia videmus quod corpora cœlestia non im-

([1]) E. Vesevus. ([2]) E. Brondusii. ([3]) E. sit apud.

pediunt [1] unum visionem alterius, quia videmus Saturnum non impediente [2] Jove; et corpus Veneris vel Mercurii non facit umbram ad radios solares; quanto ergo minus anima, quæ est substantia spiritualis, non facit umbram. Dicit ergo: *Ora se innanzi a me nulla s' aombra,* idest, si terra vel aliud corpus non obumbratur vel obscuratur per umbram, quæ proveniat a me, *non ti meravigliar più che de' cieli, che l' uno all' altro raggio non ingombra,* idest, non impedit, non obstat quin radii alterius cœli penetrent et transeant, et unus planeta non obstat radiis alterius, cum tamen stella sit densior pars orbis: simile videmus in corporibus diaphanis, sicut in vitro, per quod radii solares penetrant sine umbra. — *A sofferir.* Nunc Virgilius solvit aliam quæstionem quæ oritur ex solutione dictæ quæstionis; et est litera valde fortis, et communiter male intellecta a pluribus, quia loquitur multum velate. Dico ergo quod Virgilius respondet quæstioni tacitæ, quam statim Dantes facere parabat vel facere poterat, obiiciens sic: Tu dicis quod anima sine corpore non facit umbram, quia non potest pati a radiis solaribus; unde ergo est quod tu et alii poetæ vocatis animam umbram, quæ potest pati tot et tam varia genera pœnarum, sicut jam ostendisti mihi per totum infernum, et promittis te ostensurum per totum purgatorium? Ad hoc respondet Virgilius quod hoc non fit naturali ratione, sed dispositione divina. Dicit ergo: *la vertù,* scilicet divina, cui natura famulatur, *dispone simili corpi;* vocat umbras corpora similia corporibus cœlestibus, quia sunt visibiles sicut illa; et est propria metaphora, quia animæ sunt de natura cœlesti ingenitæ, incorruptibiles, sicut et cœli, et bene dicit disponit, quia non sunt dispositæ per naturam, *a sofferir,* idest,

---

(1) S. impediunt visionem alterius. (2) E. non impedire Jovem.

ad patiendum, *tormenti;* in generali. Modum autem non vult esse nobis notum; unde dicit: *che,* idest, quæ virtus divina, *non vuol ch' a noi si sveli,* idest, manifestetur, *come fa,* idest, quomodo disponit sic umbras ad pœnam. Et propter hoc facit continuo optimam dissuasionem contra superbam curiositatem hominum, qui quærunt ratione naturali investigare secreta Dei, qui tamen non possunt cognoscere manifestissima naturæ. Dicit ergo: *matto è chi spera che nostra ragione,* scilicet naturalis, *possa trascorrere,* velocitate ingenii humani, *la infinita via,* idest, incomprehensibilem, *che,* idest, quam viam, *una sustanzia in tre persone,* idest, Deus unus et trinus, *tiene,* scilicet in puniendo animam incorpoream igne corporali. — *State.* Hic Virgilius facit suam suasionem circa naturale desiderium sciendi, et dat optimum consilium generale omnibus hominibus, ut debeant animum captivare in obsequium fidei, dicens: *state contenti, umana gente,* idest, o genus humanum, *al quia,* quasi dicat: sufficiat vobis credere quia sic est, et non quærere propter quid est, in his de quibus a nobis non potest plene assignari ratio vel causa; debemus enim simpliciter confiteri quia talia sunt supernaturalia, nec de eis possumus habere notitiam nisi per revelationem. Ad quod nota quod secundum philosophum duplex cognitio, sive demonstratio habetur de re, scilicet propter quid et quia. Demonstratio propter quid est quando demonstratur (1) et probatur effectus per causam quæ fit a priori; demonstratio vero quia est quæ fit a posteriori, scilicet quando demonstratur causa per effectum, sicut gratia exempli simile videmus in rebus naturalibus; magnes enim attrahit ad se ferrum, et non tamen attrahit aerem sibi viciniorem et leviorem; sed si adhi-

(1) E. demonstratur effectus et probatur per causam.

bes adamantem, ut dicit Augustinus, desinit trahere et remittit. Hoc ego scio cognitione (1), quia scilicet ab effectu, quia ad oculum video, tamen nescio propter quid, quia ignoro causam; unde sapientes dixerunt quod magnes habet hoc a virtute specifica, ita possem dicere de multis. Modo ad propositum poeta noster fingit quod Virgilius, qui est sua ratio naturalis, hic sponte se subiicit fidei, et suadet aliis ut sint contenti credere quia sic est, et non quæramus rationem, sicut fides dictat, quod Deus est trinus et unus, et quod est infinitæ potentiæ, et quod (2) Christus est Deus et homo, et quod anima patitur ab igne corporeo: ergo si non vis errare, noli investigare, crede et manduca. Et confirmat Virgilius quod dixit duplici ratione, quarum prima videtur talis: si possibile esset per rationem humanam cognoscere divinitatem et ordinem illius in creaturis, certe hoc novissent primi parentes formati manu divina in natura integra et perfecta; sed si isti non potuerunt noscere omnia, quanto minus nos concepti in corruptione, nati in peccato inter tot errores? Dicit ergo: *chè,* idest, quia, *se possuto aveste veder tutto,* idest, scire et cognoscere omnia clare, *mestier non era parturir Maria,* quia (3) si Deus voluisset hominem scire omnia, non præcepisset primis parentibus ne gustarent de ligno scientiæ boni et mali, et si illi non gustassent, non esset damnatum genus humanum; et si genus humanum non esset damnatum, non oportebat Christum nasci et pati pro redemptione eius: ideo de primo ad ultimum si homo potuisset scire omnia non oportebat Mariam parere Christum. Scio tamen quod aliqui faciunt instan-

(1) E. cognitione scilicet ab effectu quia video ad oculum, tamen.

(2) E. quod Dominus Jesus Christus Redemptor noster prætiosissimus Deus est et homo.

(3) 117, quasi dicat: si Deus.

tiam contra istam [1] solutionem dicentes, quod etiamsi Adam non peccasset oportebat Christum nasci, quia fuerat æternaliter prædestinatus. Et tunc litera exponetur sic: si potuissetis videre totum per rationes naturales, non oportebat Mariam parere Christum qui daret nobis fidem quæ non quærit rationes; sed quicquid dicatur credo quod prima expositio sit magis de intentione poetæ, quia Thomas de Aquino, quem ipse satis sequitur in divinis, tenet quod si Adam non peccasset non oportebat Christum nasci; nam ubi non est plaga, non est opus medicina; sed unusquisque suo ingenio teneat quam opinionem vult. Unum tamen notandum videtur, quod non solum licet homini scire omnia, sed non licet scire pauca, ita ut vera videatur sententia dicentis: Latet omne verum, discurre per singulos sapientes rerum divinarum et humanarum, et invenies omnia erroribus plena. Augustinus et Hieronymus tanti doctores sacræ Scripturæ, qui intendunt salutem animarum, quantum inter se aliquando discordant? medici qui intendunt salutem corporum, quomodo conveniunt? pete Avicennam et Averroim: legistæ qui curant vitas et substantias hominum, quantum habent opiniones contrarias? decretistæ quomodo invicem contradicunt? astrologi qualia mendacia dicunt? De [2] cæteris taceam. — *E disiar*. Hic Virgilius confirmat hanc nobilem persuasionem suam alia ratione, et videtur arguere sic: si possibile esset per rationem naturalem et scientiam acquisitam cognoscere divinitatem, et ordinem illius in creaturis, certe maxime novissent [3] hæc et alia antiqui excellentissimi philosophi; sed nos videmus quod Aristoteles et Plato, qui noverunt plus cæteris illud quod sciri potest

---

(1) E. istam instantiam et solutionem. (2) E. ut de cæteris.
(3) E. e 117 novissent hoc et alii.

per intellectum humanum, non noverunt omnia etiam in puris naturalibus, et multo minus in divinis, quia non [1] creationem, non incarnationem, non resurrectionem. Dicit ergo: *e vedeste,* scilicet, vos homines novistis *tai,* scilicet, magnos philosophos, *disiar,* idest, desiderare scire totum, *senza frutto,* quia voto frustrati sunt, *che serebbe lor disio quetato,* si potuissent omnia scire per rationem, et non fuisset necessaria fides; sed sapientes stulti inventi sunt, ideo dicit: *che,* idest, quod desiderium et appetitus sciendi omnia via naturali, *è dato lor per lutto,* idest, est conversum illis [2] in planctum, *eternalmente,* quia æternaliter sunt privati visione Dei, quem semper suspirant. Et declarat Virgilius qui fuerint isti de quibus loquitur, dicens: *io dico d'Aristotele e di Plato.* Et hic nota, lector, quod poeta noster semper et ubique præmittit Aristotelem Platoni; unde in inferno vocavit eum magistrum scientum, et Platonem et Socratem posuit propinquiores illi et merito, quia Aristoteles extirpavit errores omnium, et [3] veritatem latentem sub tenebra ignorantiæ adduxit in lucem; nec unquam inveni aliquem magnum physicum qui hoc negaverit. Aliqui tamen magni morales et catholici præferunt Platonem, sicut Cicero qui vocat Platonem deum philosophorum commendans Aristotelem dicit: Platonem semper excipio. Et Augustinus qui sequitur Tullium idem dicit, quia dicta Platonis sunt magis accommoda [4] fidei christianæ. Et Calcidius commentator Platonis dicit quod Aristoteles suo quodam more pleni perfectique dogmatis electo quod visum sit, cætera fastidiosa incuria negligit. Similiter Macrobius commentator Tullii plus commendat Platonem. Sed certe non video quare libri Platonis non sunt ita translati ad nos, non leguntur, non allegantur, cum tamen multi

[1] E. quia non intellexerunt creationem.
[2] 117, in illis.
[3] E. et virtutes latentes.
[4] S. e E. accommodata.

inveniantur in sermone græco, quare non commentati sunt a maximis philosophis sicut ab Averroe et Alberto magno? Nonne satis patet ex paucis libellis Platonis translatis quod Plato persuadet, et Aristoteles demonstrat? Et dicunt fautores Platonis quod Boetius fuit platonicus, sed quare transtulit dicta et libros Aristotelis in sermonem latinum cum tanta cura ut (1) magis stetur eius translationi quam antiquæ? et quare commentavit aliquos libros eius? Socrates autem omne studium philosophiæ convertit ad mores, et conatus est facere hominem bonum magis quam scientem; imo voluit quod virtus non differret a scientia. Et quia magnus fuit numerus philosophorum et poetarum, qui per speculationem devenerunt in cognitionem multarum rerum naturalium et moralium, ideo bene dicit Virgilius: *e di molti altri,* sicut de Averroe commentatore et multis, qui superbe crediderunt omnia scire, de quibus alibi dictum est. Et dicit Dantes: *e qui chinò la fronte,* idest, ipse Virgilius hoc dicto deiecit oculos ad terram ex dolore et pudore, quia dictum tangebat ipsum, quasi dicens tacite: et ego infelix de numero illorum fui, *e più non disse,* quia vocem amisit, ita quod non potuit amplius facere verbum de tali materia, *e rimase turbato.*

Noi divenimmo intanto. Ista est secunda pars generalis capituli (2), in qua poeta describit aliam turbam (3) animarum aliorum relegatorum extra purgatorium. Et primo describit locum ad quem appulerunt ab eius arduitate, dicens: *Noi divenimmo intanto a piè del monte,* idest, nos ambulantes ita per planitiem humilem conferentes de materia ardua pervenimus ad radices montis. Et hic nota quod hic est primum principium montis, idest, primum initium virtutis; ideo statim tangit eius

(1) E. ut scilicet magis. (2) E. huius capituli.
(3) 117, turbam aliarum animarum relegatarum.

difficultatem, dicens: *quivi trovammo la roccia sì erta,* idest, ripam tam arduam, *che 'ndarno vi sarien le gambe pronte,* idest, frustra quis tentaret ascendere pedibus quantumcumque agilis montanus. Et continuo describit difficultatem huius [1] montis per comparationem ad difficultatem nostrorum montium italicorum. Et in effectu poeta vult dicere quod in riperia Januæ, in qua sunt itinera difficillima omnium, nulla via est tam aspera, quæ non sit plana et facilis respectu istius. Unde volo te notare ad intelligendam plane istam nobilem comparationem, istam regionem fuisse olim alteram cotem, quæ romanæ virtutis aciem longo exercitio per multos annos exacuit. Sicut enim scribit Livius habebat omnia in se quæ haberent [2] facere romanum militem vigilem et sollicitum, scilicet locorum montanam duritiem, hostium promptam velocitatem, victualium difficultatem, insidiarum opportunitatem, munitionem castellorum, continuationem laborum, plurimum periculi, minimum prædæ, nihil otii. Ex his ergo vide, lector, quantum prædicta faciant ad propositum, quia vir tendens et tentans ascendere ad montem virtutis, tamquam miles romanus, invenit omnia impedimenta, sicut loca et tempora aspera, fortes adversarios, continua bella, omnia incommoda; et ut concludam cum Livio, cum ubique terrarum esset pugnandum cum singulis difficultatibus, hic cum multis uno tempore pugnandum erat; et sicut tandem romanus vicit, ita vir fortis omnia vincit. Et dicit quod vir natus est ad virtutem, sicut avis ad volatum. Nota etiam manifestum errorem eorum qui dicunt quod Liguria est Lombardia plana, imo directe [3] per contrarium regio montana, quæ est inter Varum et Macram flumina, ut ait Florus. Per hoc ergo poeta ostendit quam difficilis

---

[1] 117, illius montis. [2] S. habebant. [3] E. directe est per.

est accessus ad virtutem in principio. Ad literam ergo; dicit Poeta: *la via più diserta, la più romita,* idest, alta et aspera, *tra Lerice e Turbia,* Lerice est una terra januensium [1] in riperia versus orientem: Turbia, est unum castellum fortissimum in fine Italiæ in introitu provinciæ super Monacum; vere Turbia, quasi turbans viam volentibus intrare vel exire Italiam; et vere qui fecit ista itinera alpestria riperiæ Januæ potest imaginari, quod poeta non poterat melius exprimere asperitatem locorum per quæ habebant modo ire; ideo dicit: *è una scala agevole et aperta,* idest, facilis et plana, *verso di quella,* idest, respectu [2] illius ripæ montis. Et vere difficillima videtur via recedere a deliciis voluptatum ad pœnitentiam et purgationem. — *Or chi sa.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius cœperit inquirere de via habiliori ad ascensum. Dicit ergo: *disse 'l maestro mio,* scilicet Virgilius, *fermando il passo,* scilicet non eundo, *or chi sa da qual man la costa cala,* idest, a qua parte mons est proclivior! Et loquitur admirative tamquam ignarus loci et territus asperitate viæ; unde dicit: *sì che possa salir chi va senz' ala?* Hoc dicit Virgilius pro Dante qui non habebat ibi alas sicut Angelus, imo habebat secum corpus deprimens [3] et retrahens deorsum, quasi dicat tacite, quod homo vivens in carne non habet intellectum angelicum, nec potest volare nisi eo modo quo dicetur infra capitulo quarto sequenti. Et subdit poeta qualiter intendentibus ad investigandam viam faciliorem supervenit nova turba aliarum animarum venientium valde lente. Ordina sic literam: *e una turba d' anime,* ista erat secunda secta [4] negligentium pœnitentiam usque in finem, *che movieno i piè ver noi,* idest venie-

---

(1) 117, Januæ. (2) E. respectu ripæ illius montis.
(3) E. reprimens et retrahens. — S. deprimens et detrahens.
(4) E. turba negligentium.

bant versus nos, et dicit: *e non parevan,* idest, et non videbantur movere pedem, *sì venian lente,* et vere isti veniebant tarde ad montem purgatorii, qui positi in contumacia ecclesiæ excommunicati nunquam converterunt se ad montem nisi in extrema morte. Ideo debes intelligere de istis id quod notavi de aliis primæ speciei, scilicet quod autor non purgat eos hic aliqua pœnitentia (1), ut innuat quod isti in vita nunquam pœnituerunt; ideo fingit quod stent per tantum tempus extra purgatorium; unde dicit: *m' apparì da sinistra,* idest, visa est mihi venire (2) a longe a sinistra, *mentre ch' ei tenea il viso basso,* idest, interim cum ipse Virgilius teneret caput inclinatum ad terram, sicut est de more meditantis, *e esaminava del camin la mente,* idest, et dum consuleret mentem suam sive exploraret in mente sua de itinere faciendo; *et io mirava suso intorno al sasso,* quasi dicat: vidi istam gentem dum Virgilius teneret oculos deorsum et ego sursum circa montem, uterque sollicitus de via. — *Leva.* Hic poeta ostendit, qualiter ostenderit Virgilio gentem istam daturam sibi consilium. Dicit ergo: *diss' io al maestro,* idest, ego Dantes dixi Virgilio: *leva gli occhi tuoi:* et sic vide quod Virgilius tenebat oculos depressos et Dantes levatos, cuius contrarium dicunt aliqui textus, *ecco di qua chi ne darà consiglio,* ad eligendam viam, *se tu da te medesmo aver nol puoi,* et est morale dictum. Per hoc enim notat quod vir, quantumcumque peritus et expertus, non debet erubescere discere a minori, imo oportet sæpe doceri ab ignaro vulgari. Unde non dubito quod Virgilius in libro Georgicorum multa habuit (3) a rusticis suis quos consulebat de aliqua re, in cuius cognitione nunquam devenire potuisset cum toto suo ingenio vel studio, et ita Dantes,

(1) 117, pœnitentia, quia isti in vita. (2) 117, videre a longe.
(3) E. habuerit.

qui principaliter imitatur (1) Virgilium. Ideo statim subdit quod prudens Virgilius paruit sibi; unde dicit: *guardommi allora,* scilicet ille Virgilius, quasi dicens: bene dicis, fili, *e rispose con libero piglio,* idest, cum læta facie, quasi gratulando consilio eius; ergo alacriter, *andiamo in là,* scilicet versus eos, quia sunt multum a longe, *ch' ei vegnon piano,* quia fuerunt lenti in vita; per hoc notat quod tales sunt præveniendi et exhortandi ad viam virtutis, quam si noverunt non tamen tenuerunt. Et quia receperat consilium ab eo, reddit sibi vicem, dicens: *e tu ferma la speme, dolce figlio,* quia, scilicet, feliciter invenies viam, quia vadis velociter et isti tarde, quasi dicat: quia venisti citius ad conversionem quam isti lenti, qui non venerunt nisi in morte; ideo potes bene sperare qui habes tanto plus gratiæ a Deo. — *Ancor.* Hic poeta ostendit actum illarum animarum, et breviter vult dicere, quod cum Virgilius et ipse jam ivissent celeriter per spatium unius milliaris, et appropinquarent illis per jactum unius lapidis, illi videntes istos duos venire tam sollicite, dubitaverunt sibi, et adhæserunt monti expectantes adventum rei. Dicit ergo: *quel popolo,* idest, illa turba numerosa, *era ancor di lontano,* idest, longe a nobis, *quanto un buon gittator trarria con mano;* ita quod poterant satis nos videre, *dico, dopo i nostri mille passi,* idest, postquam iveramus per unum milliare valde cito, *quando si strinser tutti ai duri massi,* idest saxis, *de l'alta ripa,* idest, in confinio montis, *e stetter fermi e stretti,* ubi (2) prius ambulabant disgregati lente et plane; et ecce quomodo et quare: *come chi va stassi a guardar dubbiando,* sicut contingit sæpe quod aliqua gens (3) magna militans invia in mundo isto, si (4) vident a casu aliquos nuntios vel cursores venire cum festinantia versus se statim

(1) E. imitabatur.

(2) 117, ubi primo.

(3) E. gens humana magna.

(4) 117, si viderit a casu.

firmat se, et dubitat quæ nova isti portant. Et merito poeta fingit quod isti firmaverint (1) se dubitantes, quia isti mirabantur, quod ipsi duo soli ibant versus eos multos, relicta vera via ascendendi ad montem, et veniebant tam festini cum ipsi irent tam lenti. — *O ben.* Hic poeta ponit orationem Virgilii ad illos spiritus, qui captans benevolentiam petit ab illis de via faciliori, dicens ergo: *Virgilio incominciò,* supple dicere (2) ne teneret eos suspensos in dubio, *o ben finiti,* in articulo mortis, quia scilicet in fine rediistis ad Deum, et nunquam pœnitentia potest esse tarda, *o già spiriti eletti,* qui jam estis certi de salute, *ditene dove la montagna giace?* idest, ubi via ascendendi ad montem est declivior; unde dicit: *sì che possibil sia l' andar in suso,* scilicet homini viventi. Sed adhuc non manifestat hoc eis, sed expectat reddere eos magis benevolos, quando plus (3) mirabuntur de homine vivo, ut statim patebit; et adiurat eos dulciter, dicens: *per quella pace,* scilicet, æternam, *ch' io credo che per voi tutti s' aspetti,* quia omnes isti in vita habuerant bellum cum Deo, gerentes bellum iniuste cum ecclesia Dei, sed in fine pacificati sunt Deo; ideo expectant certissime pacem post justam purgationem. Et confirmat Virgilius suam petitionem fore justissimam per unam sententiam nobilissimam, dicens: *che il perder tempo a chi più sa più spiace:* ista est sanctissima sententia omnium sapientum. Sed ut omittam dicta cæterorum, ipse Virgilius elegantissime hoc clamat, ubi dicit: *Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus, Omnibus est vitæ; sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus.* Ideo bene prudentissimus Dantes qui satis vane expenderat magnam partem suæ vitæ, nunc reliquam partem brevis temporis conabatur bene expendere faciendo istud san-

(1) S. firmaverunt. (2) E. dicere illis ne. (3) S. plus mirabantur.

ctum opus, per quod extenderet famam perpetuam et quæreret vitam æternam. Ideo bene Virgilius hic loquitur contra istos tam negligentes, qui primo veniebant lente, deinde stabant adhærentes monti inutiliter. — *Come.* Hic poeta noster ostendit, per unam comparationem per se notam, qualiter illæ animæ se habuerint ad verba Virgilii; et dicit breviter quod fecerunt more pecudum, quæ in omni sua actione faciunt quicquid facit præcedens, quia prima retardante, cæteræ dubitantes remorantur; et ita prima movente, cæteræ sequuntur, nec tamen sciunt quo tendant, quare, vel quomodo. Ordina sic literam: *sì vid' io la testa,* idest, principium et caput, *di quella mandria fortunata,* idest, illius turbæ magnæ animarum fortunatarum, quia salvandarum, *pudica in faccia e nell' andar onesta,* quia disponebatur ad purgatorium, cum tamen fuisset in vita [1] impudica et inhonesta, *movere a venir,* scilicet, versus nos ad ostendendam nobis viam, quia diu ante nos fuerant ibi, *allotta,* idest, tunc, a simili, *come le pecorelle escon del chiuso,* idest, stabulo vel septo, *ad una, a due, a tre,* et ita ad plures, *e l' altre stanno timidette,* ex ignorantia, *atterrando,* idest, inclinando ad terram, *l' occhio e 'l muso;* ita homines velut pecudes respiciunt quo vident alios respicere; ideo dicit: *e ciò che fa la prima, e l' altre fanno,* etiam si illa jacit se in puteum; *addossandosi a lei,* ita multi adhærent opinioni et vitæ unius, et in foveam cadunt simul secum; illæ dico animæ, *semplici e quete,* idest, ignaræ et contentæ in hoc; unde dicit: *e lo imperchè non sanno,* quia ignorant causam. Et hic nota quod comparatio videtur satis propria, quia sicut grex ovium tacitarum simplicium sequitur præcedentem, et illa eunte vadunt, et illa stante, stant; ita turba multa animarum ignoran-

---

[1] E. in vita sua impudica.

tium sequebatur nunc animam præcedentem regis Manfredi. Quot millia hominum putas secuta sunt in vita ignoranter et bestialiter istum regem regnantem, licet esset in errore magno, et ita nunc sequitur eum laudabiliter tendentem ad conversionem? Et vere magna pars generis humani sedet in barca sub gubernatore ignaro, et perit simul secum. Et sic nota iterum, lector, quod ista, quæ videtur nuda comparatio de oviculis [1] simplicibus, est subtilis et vestit pulcram moralitatem; nam sub ista comparatione poeta vult dicere tacite, quod magna pars hominum in mundo isto vivit [2] vere more pecudum inconsulte, sine electione vel ratione, omnia agentes secundum quod vident alios agere, non considerantes quando faciunt bona vel mala, nisi alii sic faciunt; et præcipue sequuntur vestigia rectorum, quia, ut ait Claudianus: *mobile mutatur semper cum principe vulgus.* — *Come.* Hic poeta ostendit qualiter dictæ animæ incurrerunt aliam maiorem dubitationem, visa umbra corporis eius. Construe sic literam: *color,* scilicet illi spiritus, sicut Manfredus et quidam alii principales præcedentes, *restaro,* quia desierunt præcedere ulterius, *come vider rotta la luce,* scilicet solis, *dinanzi in terra dal mio destro canto,* qui respiciebam ad sinistram; unde dicit: *sì che l' ombra era da me alla grotta,* quæ erat primus aditus montis, *e trassersi indietro alquanto,* ex suspicione, *e tutti gli altri che venieno appresso fenno altrettanto,* idest, similiter retraxerunt se, *non sapendo il perchè,* idest, ignorantes causam, sicut paulo ante fecerant alia vice. Et subdit poeta quod Virgilius qui paulo ante monuerat de tempore non perdendo, nunc iterum noluit tenere eos suspensos, nec expectare quod peterent de re mirabili; ideo statim prævenit eos et certioravit de causa umbræ,

(1) E. ovibus. (2) E. vivit more.

dicens: *senza vostra dimanda io vi confesso,* idest, non rogatus, non requisitus, *che questo è corpo uman che voi vedete,* quasi dicat: iste socius meus est vivens cum corpore, *per cui il lume del sole in terra è fesso,* idest, divisum; et [1] ideo: *non vi meravigliate,* licet res sit valde mirabilis, quæ nunquam alias fuit, quia iste venit ex speciali gratia data sibi a Deo; unde dicit: *ma credete che cerca,* iste vivus, *di soverchiar questa parete,* idest, transcendere istum montem altum et rectum in modum muri. Et finaliter poeta ostendit, quod illi, hoc audito, statim docuerunt viam pro [2] qua Virgilius adiuverat [3] eos a principio; unde continuative dicit: *così il maestro,* supple, Virgilius dixit: *e quella gente degna,* scilicet perveniendi aliquando ad purgatorium, quia saltem pœnituit in morte, *disse: tornate,* ostendens locum introitus, *intrate innanzi dunque,* quia tanquam digniores debetis præcedere, quia iste vivus providit sibi meliori tempore quam nos [4] tardi; et dicit: *coi dossi de le man facendo insegna,* scilicet sequentibus, portantes manus altas erectas sursum, ostendentes viam venientibus a longe. Et vere Virgilius et Dantes cum dextris suis fecerunt viam multis ad virtutem.

Et un di loro. Ista est tertia et ultima pars huius tertii capituli, in qua poeta introducit unum spiritum modernum illustrem qui fuit maxime infestus ecclesiæ. Et primo præmittit orationem illius ad se dicens: *Et un di loro.* Hic erat rex Manfredus, dux [5] principaliter istius sectæ animarum, *incominciò,* supple, dicere mihi: *chiunque tu sie,* idest, quicumque tu sis, in quo tantum relucet gratia Dei, quod vivus vadis velociter ad montem, *così andando,* scilicet, ne perdas tempus, *volgi il viso,* quia jam poeta vertebat sibi tergum retrocedens [6], *pon*

---

(1) 117, et dicit.
(2) 117, per quam.
(3) E. adiverat.
(4) E. vos.
(5) E. e 117, dux principalis.
(6) E. recedens.

mente, se di là, scilicet, in mundo viventium, *mi vedesti unque;* et subdit quomodo paruit illi, dicens: *io mi volsi ver lui e guardail fiso,* cum oculo speculationis, ut viderem si faceret ad propositum meum; ideo statim describit Manfredum ab habitu corporis, dicens: *biondo era e bello e di gentil aspetto.* Ad quod nota, quod Manfredus iste fuit corpore pulcer, probus et prudens; fuit pulsator, cantor, amator joculatorum et curialium et pulcrarum puellarum, semper vestiebatur vestibus viridibus; liberalis, curialis, lætus, ideo multum amabilis et gratiosus; sed claritatem harum virtutum dehonestabant turpia vitia. Erat enim luxuriosus, epicureus, nihil spirituale sapiens, sed solas voluptates sectans, ambitiosus nimis, nullum scelus omittens cupiditate regnandi, ut qui in ore semper haberet illud dictum Cæsaris: Nam si violandum est jus, regnandi gratia violandum est; cæteris rebus, pietatem cole. Fuit ditissimus ex thesauro patris Federici et Conradi fratris, et ex regno opulentissimo; et in omnibus bellis quæ habuit cum ecclesia scivit laudabiliter gubernare regnum suum, et in bono statu conservare; propter quod multum exaltatus est in potentia mari et terra. Manfredus fecit destrui civitatem antiquam Siponti in Apulia, quæ propter paludes habebat aerem infirmum, et carebat portu; et transtulit ipsam longe per duo milliaria in ripa maris, quam a suo nomine Manfredoniam vocavit; et fecit ibi portum (¹) cum muro amplissimo intra mare, quem molum vocant; et breviter, potest dici de Manfredo illud quod dicit Livius de Hannibale: *Has tantas viri virtutes magna vitia æquabant.* Hic Manfredus natus est ex nobili domina de Marchionibus in Lombardia, cum qua Federicus rem habuit. Et quia poeta tetigerat pulcritudinem Manfredi,

---

(¹) 117, portum pulcerrimum quem molum vocant.

statim ostendit qualiter ista pulcritudo et nobilis aspectus deformata sunt in morte illius violenta; unde dicit: *ma un colpo,* idest, vulnus ensis, *avea diviso l' un de' cigli,* ita quod habebat turpem cicatricem in facie. — *Quando.* Hic poeta ostendit qualiter Manfredus manifestaverit se sibi, quia ipse non cognoscebat eum. Unde dicit: *ei disse*: scilicet, ille Manfredus mihi: *or vedi, e mostrommi una piaga a sommo il petto,* ita quod videtur habuisse duo mortalia vulnera in prœlio, unum supra oculum, aliud super cor, ubi est fons totius vitæ, *quando mi fui umilmente disdetto,* dicendo: non vidi te unquam, et reverenter propter regalem aspectum, unde dicit, *d' averlo visto mai,* idest vidisse unquam ipsum vivum: et verum dicit poeta, quia nunquam viderat eum neque vidisse potuerat; quoniam Dantes natus est eo anno quo mortuus est Manfredus. Et subdit quomodo Manfredus descripserit (¹) se a nomine, ab origine, a vitio; et dicit breviter, quod est Manfredus nepos Constantiæ imperatricis. Ad cuius literæ fortis evidentiam est sciendum quod Federicus II natus ex Constantia et Henrico filio Barbarussæ, ut dicetur plene III capitulo Paradisi, fuit electus imperator contra Othonem IV et coronatus et consecratus ab Honorio III (²) millesimo ducentesimo vigesimo, qui imperavit triginta annis. Quo tempore semper fuit infestus ecclesiæ tanquam filius ingratitudinis contra matrem, quæ nutriverat ipsum pupillum et exaltaverat ad romanum imperium; quare, tam ratione vitiorum suorum, de quibus alibi dictum est, quam avaritia prælatorum, qui omnia sibi volunt quando possunt (³), nunquam potuit habere bonam pacem cum ecclesia, quæ fecerat ipsum nasci fatalem sibi ex monacha vetula

(¹) S. manifestavit.
(²) E. Honorio III anno Domini nostri Jesu Christi millesimo.
(³) E. possunt et præsunt, nunquam.

contra legem naturæ, et omnia jura humana et divina; non memor persecutionum [1] patris eius Henrici et avi eius Federici I. Sic ergo videre potes, quare Manfredus hic subticet nomen patris, qui fuit semper flagellum ecclesiæ, et ipse reconciliatus est Deo in morte, et quia fuit naturalis filius, et quia fuit conscius mortis eius. Nunc ad literam; dicit poeta quod ille: *poi sorridendo,* quia salvus erat, quod Dantes non putabat, *disse: io son Manfredi nepote di Costanzia imperatrice;* potius denominat [2] se ab ista sancta fœmina, quam a patre peccatore. Et facit Manfredus sicut mulus, qui interrogatus a leone cuius filius esset, dicebat: sum nepos equi, cum ipse esset filius asini. Simile est ei, quod scribit Statius II Maioris de Polynice, qui interrogatus ab Adrasto rege argivorum, nolebat propalare nomen patris sui Œdipi, qui infamis genuerat eum ex matre propria. Unde dicit ibi: *sed mens sibi conscia facti Cunctatur proferre patrem.... Est genitrix Jocasta mihi.* Sic ergo patet quod Manfredus fuit nepos Constantiæ non filius vel privignus, ut quidam glosant. Hoc dicto, Manfredus facit suam petitionem Danti, dicens: *ond' io ti priego che quando tu riedi,* idest, reverteris ad mundum vivorum, quia vivus es, *vadi a mia bella figlia,* ista fuit alia Constantia [3] magna, quæ fuit filia Manfredi et uxor domni Petri regis Aragonum strenuissimi, cui successerunt tres filii, scilicet Alphonsus, qui adolescentulus mortuus est, ideo non nominat eum, Jacobum et Federicum; ideo dicit: *genitrice,* idest, matrem, *dell' onor di Cicilia e di Aragona,* idest, honorabilium regum, quia domnus Federicus fuit rex Siciliæ et domnus Jacobus rex Aragoniæ. De patre et filiis dicetur infra capitulo VII et alibi sæpe; et dicit: *e dichi il vero a lei s' altro si dice,* scilicet, qualiter sum salvus, licet

(1) S. persecutionis. (2) E. denominans.
(3) 117, Constantia denominata a Constantia magna, quæ fuit.

forte contrarium credatur, quia mortuus sum excommunicatus in indignatione ecclesiæ. Et assignat causam suæ salvationis, dicens: *poscia ch'io ebbi rotta la persona,* idest corpus vulneratum, *di due colpi mortali,* altero in facie, altero in pectore, ut jam dictum est, *io mi rendei piangendo,* ex contritione cordis, *a quei che volentier perdona,* scilicet, Deo clementissimo, cuius est proprium misereri et semper parcere. — *Orribil.* Nunc Manfredus ad confirmationem dicti sui, confitetur in genere peccata sua, ut ostendat infinitam misericordiam Dei. Unde dicit: *Orribil furon li peccati miei.* Ad sciendum plene (1) horribilitatem peccatorum Manfredi in particulari, est (2) memorandum quod Manfredus peccavit in patrem, fratrem, nepotem, et matrem ecclesiam. Solus (3) enim præsens morti paternæ, ut aliqui scribunt, prævenit horam, quod si verum fuit Federicus (4) recepit a filio naturali, quod crudeliter fecerat in filium legitimum. Conradus autem audita morte patris descendit ex Alemannia in Italiam, et venit Veronam cum favore Eccirini: deinde transiens in regnum recuperavit Siciliam et omnia præter Neapolim; quem Manfredus læte recepit, licet dolens animo, quia ipse volebat dominium. Conradus continuo obsedit Neapolim magnis viribus; qua tandem obtenta, omnes rebelles sibi amicos ecclesiæ tam religiosos quam seculares contrivit. Ex quo si diutius supervixisset videbatur futurus persecutor ecclesiæ non minus patre, avo et proavo; sed fatum sueviæ stirpis trahebat illum. Nam cum regnasset duobus annis infirmatus est, et venenatus opera Manfredi per unum medicum in uno clysterio, ex quo remansit parvulus filius Conradinus in Alemannia natus ex filia ducis Bavariæ cui pater, licet excommunicatus, reliquit ecclesiam tutricem, anno quarto post mor-

(1) 117 e E. autem plene. (2) E. est sciendum et memorandum.
(3) 117, Fuit præsens morti. (4) E. Federicus secundus recepit.

tem Federici. Mortuo Conrado, Manfredus remansit gubernator regni, quo tempore Innocentius papa IV cum magno exercitu intravit regnum; sed non multo post mortuus est Neapoli et sepultus. Manfredus autem propter longam vacationem ecclesiæ, quæ duravit pluribus duobus annis sine pastore, occupavit omnia: et magnopere studuit contrahere et confirmare amicitias fidelium imperii in Tuscia et Lombardia. Et volens facere se regem conciliavit sibi animos baronum regni. Usus est ergo fraude honesta; nam convocatis magnatibus finxit se habuisse per literas, qualiter Conradus (1) nepos infirmabatur ad mortem, de quorum consilio misit legatos in Germaniam ad explorandam veritatem. Legati igitur profecti in Germaniam, invenerunt quod mater Conradini sollicita de salute filii tenebat eum cum aliis pueris coetaneis in eodem habitu. Quæ videns magna munera missa a Manfredo, timens ne filius biberet de eo poculo quo pater, subornavit alium loco pupilli; cui ambassiatores dederunt venenum in confectione quadam, ex quo puer mortuus est. Ipsi vero credentes vere interfecisse Conradinum, reversi Venetias fecerunt fieri galeæ suæ velum et cætera instrumenta nigra, et ipsi assumpserunt vestimenta nigra, et secundum ordinem datum retulerunt mortem pueri. Manfredus assumpta veste nigra post magnum planctum, cum favore amicorum et magno consensu totius multitudinis factus est rex in Sicilia apud Montem Realem, anno (2) Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto. Post mortem Innocentii et longam vacationem electus est papa Alexander IV de Anagnia, qui sedit annis septem. Et videns Manfredum regni solio florentem absque autoritate apostolica excommunicavit eum contumacem; contra quem misit unum legatum,

(1) S. e E. Conradinus. (2) E. anno Domini nostri Jesu Christi.

sed mortuo Alexandro creatus est Urbanus IV de civitate Turonensi in Francia, qui vir ignobilis genere, sed nobilis virtute animi, videns ecclesiam conculcatam viribus Manfredi quasi in tota Italia, qui posuerat exercitum saracenorum in patrimonio Petri, fecit prædicari crucem contra eos, quos repulit (1) in Apuliam; et, ut cito dicam, celebravit concilium, in quo proposuit, quomodo ecclesia erat subiugata a Manfredo, qui non degenerabat a maioribus suis, qui semper tribulaverant ecclesiam; ideo ad revocandam libertatem videbatur sibi mittere pro Carolo fratre boni Ludoici (2) regis Franciæ, de quo facta est mentio supra. Et demum multis dictis in commendationem Caroli cum magno assensu omnium, Carolus vocatus est contra Manfredum; qui veniens in Italiam tam faciliter, quam feliciter, habuit victoriam de Manfredo apud Beneventum; postea de Conradino, ut (3) plene scripsi Inferni capitulo XXVIII. Ex dictis ergo vides si magna fuerunt peccata Manfredi; sed maior est misericordia Dei. Ideo ipse dicit: *ma la bontà infinita,* scilicet Deus, *ha sì gran braccia, che prende ciò che si rivolge a lei,* scilicet per pœnitentiam, quia recipit etiam illos quibus ecclesia claudit gremium. — *Se 'l pastor.* Hic Manfredus tangit implacabile odium prælatorum ecclesiæ contra se, quia etiam post mortem quæsiverunt vindictam de eo, faciendo ossa eius abiici extra regnum. Unde dicit: *Se 'l pastor di Cosenza,* idest archiepiscopus Consanus (4), *che fu messo,* idest, legatus, *per Clemente,* scilicet papam, *allora alla caccia di me,* idest, ad inquisitionem et persecutionem corporis mei, *avesse in Dio ben letta questa faccia,* scilicet, misericordiæ Dei, idest, si vidisset me misericorditer receptum et salvum, sicut tu me vides, *l' ossa del corpo mio serieno ancora,* sci-

(1) S. reperit.
(2) E. Ludovici.
(3) E. ut scripsi.
(4) E. Cosentinus.

licet sepulta, quia non abiecta fuissent, *in co' del ponte,* fluminis quod dicitur Calor, *presso a Benevento;* hæc civitas Samnii olim vocata est Maleventum, sed postea per romanos (¹) mutato nomine dicta est Beneventum, ut dicit Livius; et dicit: *sotto la guardia della grave mora.* In hoc tangit miseram sepulturam suam. Ad cuius intelligentiam, quia litera ista est male intellecta, est sciendum, quod Manfredus in ultimo prœlio quod gessit cum Carolo apud Beneventum, desertus et derelictus a suis ingessit se in medium furorem belli, sicut scriptum est Inferni capitulo XXVIII. Ibi (²) pugnans probiter prostratus fuit, quæsitus tribus diebus nec poterat inveniri, quia intraverat aciem sine insigniis regalibus; nec poterat sciri si esset mortuus vel captus, aut si evaserat. Tandem unus ribaldus de sua gente cognovit (³) eum per multa signa corporis sui in medio campi, ubi fuerat acrius prœlium; et ponens nobile corpus per transversum unius asini, veniebat clamando cum exultatione: O ego inveni Manfredum; sed unus baro Caroli indignans (⁴) percussit eum fuste, et corpus præsentavit Carolo. Carolus continuo faciens vocari omnes barones captos petivit si illud erat corpus Manfredi: qui omnes timide respondebant quod sic; sed potens res est amor; non timet conspectu regis victoris, non arma militum victricia, non supplicium, non carcerem, non mortem. Nam comes Jordanus videns corpus amati regis factum fortunæ ludibrium, manibus percussit sibi faciem, et clamans cum planctu dixit: Heu mihi, domine mi! quid est quod video? Ex quo fuit valde laudatus a militibus francis (⁵). Hic Jordanus fuit vir nobilis de Pedemontium (⁶) in Lombardia, affinis Manfredi, acceptus et carus sibi sua probitate et fidelitate. Ideo Manfredus fecerat illum co-

(¹) E. per rationes. (²) E. ubi pugnans. (³) S. e E. recognovit.
(⁴) S. indignatus. (⁵) E. Franciæ. (⁶) E. Pedemontio.

mitem et dederat illi terras in regno, ex quo fecerat eum ([1]) magnum dominum. Et tamen Carolus misit eum in provinciam, et mori fecit in carcere duro. Carolus rogatus a militibus suis ut faceret honorem funeris tanto regi, respondit: Libenter facerem, nisi esset excommunicatus; nec voluit quod sepeliretur in sacrato, sed sepultus est velut miles gregarius apud pedes pontis ([2]) Beneventi sine ulla pompa exequiarum; et super fossam eius singuli de exercitu Caroli jecerunt singulum lapidem, ex quo facta est ibi magna maceries lapidum. Et hoc est quod dicit: *sotto la guardia della grave mora;* unde aliqui exponunt ([3]) mora pro mola sepulturæ. Similis acervus lapidum factus est supra corpus Absalon, quando interfectus fuit deiectus in foveam; sicut enim anima fuit oppressa multitudine peccatorum, ita corpus fuit oppressum multitudine lapidum ([4]). Nec tamen ossa Manfredi diu quieverunt ibi, imo remota a terra abiecta sunt in aquam. Dicit ergo: *or le bagna,* scilicet, illa ossa, *la pioggia, e batte il vento,* quia sunt insepulta, *di fuor dal regno,* et ecce locum: *quasi lungo il Verde,* idest, prope flumen dictum Viride, quod inter regnum et Campaniam descendit in mare tyrrhenum; et dicit: *dove le trasmutò,* scilicet, ille pastor Cosentiæ, *a lume spento,* idest, candelis extinctis cum excommunicatione et maledictione. Et hic nota quod Cosentia fuit olim civitas Lucaniæ, unde fuit Henricus miles, qui pro Carolo præfato subornatus gestavit regale diadema in prœlio contra Conradinum. De ista civitate frequenter facit mentionem Livius. — *Per lor.* Hic Manfredus respondet quæstioni tacitæ, quia Dantes poterat obiicere: ergo excommunicatus potest salvari: dicit Manfredus quod sic; quia excommunicatio prælatorum non potest tollere salvatio-

([1]) E. illum. ([2]) E. montis. ([3]) 117, ponunt.
([4]) 117, lapidum; et deinde ossa Manfredi remota a terra.

nem, si homo non moritur pertinax et desperatus. Dicit ergo: *per lor maladizion,* exponunt aliqui, scilicet ossium meorum; tu vero dic et melius: scilicet, pastorum ecclesiæ, *sì non si perde,* idèst, non ita in totum tollitur, *che non possa tornar l' eterno amore,* idest, gratia Dei ad hominem, *mentre che la speranza ha fior del verde,* idest, aliquid viriditatis, quasi dicat: donec homo in vita non desperat. Et hic nota quod aliqui dicunt quod Manfredus in extremo redivit ad Deum; sed certe istud scire non potuit poeta, quia Manfredus incognitus mortuus est in medio ardore belli; in vita tamen voluit aliquando concordare cum ecclesia et facere affinitatem cum Carolo, sed papa prohibuit, ut ego vidi in quibusdam epistolis eius. Dico ergo quod Dantes hoc fingit, quia sub ista fictione intendit hanc conclusionem, quod nullus est tam sceleratus, tam excommunicatus, qui in extrema morte non possit redire ad Deum, exemplo Manfredi, qui fuit infestus ecclesiæ, licet pater plus, quem poeta jam tam posuerat damnatum inter epicureos. Et Manfredus respondet alteri quæstioni tacitæ: poterat enim dicere Dantes: quid ergo preiudicat ista excommunicatio? et quare excommunicatio justa vel injusta timenda est? Respondet Manfredus, quod excommunicatus est longius remotus a Deo, et tardius potest redire ad (1) eum. Unde dicit: *Ver è che quale,* idest, quicumque, *muore in contumacia di santa chiesa,* scilicet, quia numquam reconciliatur ecclesiæ in vita; *ancor ch' al fin si penta,* idest, in extrema morte quamvis redeat ad Deum cum spe, *star li conven da questa ripa in fuore,* idest, extra istum montem purgatorii, nec potest intrare ipsum, *trenta,* scilicet temporibus, *per ogni tempo ch' egli è stato in sua presunzion,* scilicet, excommunicatus. Et hic nota quod poeta ponit

(1) E. ad Deum. Unde.

numerum pro numero; ita enim poterat dicere decem, vel viginti, sicut dixit triginta. Manfredus enim duodecim annis quibus regnavit, fuit in contumacia ecclesiæ; ideo si ponas pro singulo anno triginta, habebis magnum numerum annorum; et sic vult dicere, quod diutius differt pœnitentiam et tardius recipit gratiam, et multiplicantur peccata eius, quia unum peccatum est causa alterius. Et vere, lector, quicumque præsumit contra ecclesiam, gravius punitur in isto mundo, etiam historice loquendo, sicut memorabile exemplum habemus in ista illustri stirpe Sueviæ; ne alia exempla quæramus, potes videre manifestum judicium Dei super eam. Primo namque: Federicus I post multa adversa transiens mare suffocatus est in flumine Antiochiæ, Oronte, quod hodie dicitur Ferrum; Henricus filius post multas infelicitates infelicius debellatus est; Federicus II omnium priorum suorum et posteriorum potentissimus, a filio proprio dicitur suffocatus; Henricus primogenitus Federici factus hostis patri, in illius carcere obiit vel se occidit, et eius duos filios Manfredus fecit in carcere mori; Conradus alter filius Federici in Italia venenatus est per Manfredum; Manfredus victus a Carolo peremptus est in prœlio, cuius filios et filias Carolus fecit in carcere mori; Conradinus adolescentulus Conradi prædicti filius, victus a Carolo, decapitatus fuit; infelix, qui evaserat ab insidiis Manfredi, lictoris gladio reservatus; Hentius mortuus est in longo carcere bononiensium; Conradus de Antiochia, qui descenderat de stirpe Federici, captus in Sicilia per Guidonem de Monforte cæcatus et castratus suspensus fuit. Hunc finem habuit domus Sueviæ toto orbe inclita. Suevi ab olim fuerunt potentissimi omnium germanorum, ut sæpe patet apud Julium Celsum; unde Julius Cæsar, qui primus romanorum ducum transivit Rhenum in Germaniam, vicit Ariovistum regem suevo-

rum superbissimum. Ex his ergo vide quod poeta noster, in ista materia in qua tractat de rebellibus ecclesiæ, de industria elegit sibi hanc domum, qua nulla unquam fuit infestior ecclesiæ; de qua domo potest dici illud quod dicit Lucanus de domo pompeiana : *O miseranda domus!* Et subdit Manfredus quod licet sic dixerit, de longo tempore relegationis potest breviari precibus justis; unde dicit : *salvo se tal decreto,* idest, judicium Dei, *non diventa più corto per buon prieghi.* Et ultimo concludit orationem suam, dicens : *vedi oramai se tu mi puoi far lieto revelando alla mia buona Gostanza,* scilicet, filiæ suæ, quæ vivebat adhuc, et in qua sola sperabat in mundo, quæ fuit clementissima domina, de qua sæpe dicetur adhuc in isto libro. Et merito vocat Constantiam bonam, quæ noluit mori in indignatione ecclesiæ, sicut pater suus Manfredus. Unde venit Romam cum rege Jacobo filio suo, et recommunicata est ecclesiæ, *come m' hai visto,* idest, qualiter vidisti me salvum, *et anche esto divieto,* scilicet, qualiter vetor intrare purgatorium, *che qui,* idest, in isto loco, *molto s' avanza per quei di là,* idest, per viventes in sæculo vestro ad quod rediturus es.

CANTUS QUARTUS, *in quo tractat sicut secutus est Virgilium super montem declarantem sibi alia de planetis; et sequitur sicut invenerunt spiritus illorum qui negligentes fuerunt, sub titulo Belacquæ, loquentes Danti et declarantes ei quæstionem restaurandi tempus.*

Quando per dilettanze ovver per doglie. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit ([1]) et determinavit de secunda specie negligentium, qui distulerunt pœnitentiam ad ultimum vitæ propter excommunicationem; nunc consequenter in isto capitulo quarto agit et tractat de tertia specie negligentium, qui cessaverunt facere opera meritoria usque in finem propter solam pigritiam et ignaviam. Et præsens capitulum videtur ([2]) per se distinctum in tres partes generales; in prima quarum poeta continuans se ad præcedentia describit suam dispositionem et viam per quam intravit in montem. In secunda describit dispositionem cœli illius hemisperii inferioris, ibi: *A seder ci ponemmo.* In tertia et ultima describit sectam istorum pigrorum, et unum illorum in speciali, qui moderne fuerat sibi notus in vita, ibi: *Ma se a te piace.* Ad primum dico quod poeta describit per continuationem dispositionem suam circa materiam præcedentem. Et istud capitulum non est minus subtile quam præcedens; cuius prima pars est naturalis, secunda astrologica, tertia moralis. Et in ista prima parte continuativa, poeta sententialiter vult dicere, quod ipse cum tanta attentione steterat intentus ad audiendum regem Manfredum loquentem secum, quod multum

([1]) E. tractavit et examinavit seu determinavit.
([2]) E. dividitur in tres.

temporis transiverat, quod ipse non perpenderat. Volens autem hoc ostendere præmittit abstractionem quæ aliquando accidit animæ nostræ, scilicet quod ita interdum occupatur tota circa unam passionem, quod non vacat (1) alicui alteri rei de mundo; sicut contingit in forti lætitia vel tristitia; sicut (2) ita abstrahitur circa cantum, vel planctum, quod nihil aliud sentire videtur. Nunc ordina literam, quæ non est minus intricata quam sententia abscondita, et construe sic: *l'anima,* scilicet rationalis intellectiva, *par ch' a nulla potenzia più intenda,* idest, videtur vacare nulli (3) potentiæ particulari, sed tantum soli potentiæ intellectivæ: *quando ben si raccoglie ad essa,* idest, quando ipsa anima fortiter se restringit ad se, *per dilettanze ovver per doglie,* idest propter gaudia magna, vel dolores, *che alcuna vertù nostra comprenda,* idest, quas delectationes et (4) dolores, aliqua nostra potentia, sicut auditiva vel visiva, ita capiat et recipiat fixe: aliqui tamen textus habent *l'anima buona,* sed prima litera est melior. Et continuo confirmat et glosat dictum suum per effectum, dicens: *e però, quando s' ode cosa o vede,* scilicet, aliquid delectabile vel tristabile per potentiam sensitivam, *che tegna forte a sè l' anima volta,* idest, potentiam intellectivam intentam et ligatam circa illud unum, *vassene 'l tempo e l' uom non se n' avvede,* idest, non perpendit; et declarat hoc dicens: *ch' altra potenzia è quella che l'ascolta,* idest, sensitiva per auditum, *et altra quella che ha l'anima in terra,* scilicet, intellectiva; *questa è quasi ligata,* scilicet intellectiva, quæ est tota dedita uni ex passionibus suis, *e quella sciolta,* idest et potentia sensitiva est libera ab intellectu. — *E questo.* Hic poeta incidenter damnat unum errorem. Ad cuius cognitionem est notandum, quod fuit opinio quorumdam

(1) E. vacat alteri.
(2) E. ut ita.
(3) E. nulli potentiæ intellectivæ, *quando.*
(4) E. et quos dolores.

philosophorum antiquorum quod in homine esset triplex anima distincta, scilicet vegetativa, sensitiva et rationalis; et quod per vegetativam fœtus reciperet incrementum, sicut plantæ: per sensitivam haberet sensus postquam fœtus esset formatus et organizatus, sicut et bruta habent; et per rationalem intelligeret (1), et esset homo. Et sic una anima accendebatur supra aliam, ut dicitur in litera; quem errorem poeta reprobat, quia, si hoc esset verum, sequeretur quod in quolibet puncto vel instanti quælibet istarum trium animarum operaretur potentiam suam per se, quod patuit nunc esse falsum circa casum eius, quia anima eius sic vacavit potentiæ intellectivæ, quod sensitiva non perpendit de cursu solis. Veritas autem est quod una et eadem anima rationalis habet dictas tres potentias, sicut dicetur XXV huius Purgatorii. Ad literam ergo; poeta dicit: *e questo,* scilicet, quod dictum est de anima in totum occupata, *è contra quell' errore,* scilicet pravum, *che crede,* et male, *che un' anima sovr' altra in noi s' accenda,* et est hic parenthesis, idest, una interpositio. — *Di ciò.* Hic poeta applicat casum positum de anima occupata ad suum propositum, dicens: *di ciò,* idest, de tali occupatione, *ebb' io esperienzia vera, udendo,* scilicet, cum integritate animæ, *quello spirto,* scilicet Manfredum regem, *et ammirando,* quia dicebat tam pulcra et notanda de infinita misericordia Dei. Et vere potentia intellectiva nostri poetæ fuit valde occupata circa pulcram fictionem factam de Manfredo, ita quod multum expenderat temporis, licet non inutiliter; unde dicit: *chè ben cinquanta gradi salito era lo sole:* vult dicere quod jam transierant quasi tres horæ diei, quia sol ascenderat supra hemisperium illud per quinquaginta gradus. Nam totus zodiacus dividi-

(1) E. intellectum.

tur in duodecim signa, et quodlibet signum (1) habet triginta gradus, et sic totus zodiacus secundum astrologos continet gradus tercentum sexaginta; et non intelligas de motu proprio solis, quia sol stat per unum mensem in (2) uno signo, sed de motu firmamenti violento. Unde nota quod firmamentum movetur ab oriente in occidentem suo motu naturali, et trahit secum omnes speras planetarum in una die naturali, videlicet in viginti quatuor horis; sed sol et cæteri planetæ moventur motu proprio contra firmamentum. Accidit igitur de sole sicut de formica supra rota, quæ moveatur motu contrario motui rotæ, ita quod rota facit sæpe totam revolutionem suam antequam formica percurrat unum clavum rotæ. Sol ergo movetur in suo signo, sed velociter tractus a firmamento circuit totum cœlum in una die. Dicit ergo poeta: *et io non m' era accorto,* scilicet de tanto ascensu solis, *quando venimmo,* ad locum, *dove quelle anime ad una,* idest, simul, *gridaro a noi: qui è vostro dimando,* quasi dicat: hac debetis intrare. — *Maggiore.* Hic poeta describit introitum montis arctum et asperum per unam comparationem domesticam de vado arcto et aspero vineæ, quod vinitor claudit cum paucis spinis, quando uva incipit maturari; unde dicit: *l' uom della villa,* custos vel cultor vineæ, *impruna,* idest, inspinat; nam prunus est arbor spinosa, *molte volte con una forcatella di sue spine,* idest, cum pauculis spinis, quas cœpit cum furcula, *quando l' uva imbruna,* idest, maturescit, quia in uva nigra citius apparet maturitas, et talis habetur communiter Florentiæ, *maggior aperta,* idest, vadum latius, *che non era lo calle,* idest, stricta semita, *onde saline lo duca mio,* idest Virgilius qui semper præcedebat, *et io appresso soli,* quia aliæ animæ

(1) E. signorum. (2) E. in quolibet signo.

non intraverunt (1) viam istam, unde dicit: *come da noi la schiera si partìne,* idest, quam cito acies illarum animarum, quam ducebat rex Manfredus, recessit a nobis, quia potest vagari circa montem, sed non ingredi. Et hic nota quantum ista comparatio, quæ videtur tam rustica, est civilis; nam poeta noster velut rusticus hucusque fuerat sylvestris et ambulaverat per sylvam, idest materiam vitiorum asperam, incultam; nunc autem volebat intrare vineam cultam, idest, materiam virtutum, in qua virtus fuerat sibi acerba hucusque, sed nunc incipiebat parva (2) rimula sentire maturitatem et dulcedinem eius; sed adhuc aliquæ spinæ peccatorum claudebant sibi viam, quæ ab initio videtur valde arcta et ardua, ut bene jam dictum est, sed melius et plenius tangitur in isto capitulo. Nota etiam quod hic est primus ingressus montis, de quo poeta breviter vult dicere, quod licet introitus vineæ sit difficilis ad intrandum tali tempore, tamen iste introitus montis erat difficilior sine comparatione, ut statim monstrabunt comparationes sequentes. — *Vassi in Sanleo.* Hic poeta noster explicat difficultatem et asperitatem istius (3) loci per comparationes pulcriores; et videtur (4) velle dicere summarie: si bene recogito et revolvo in mente mea, nunquam reperi in mundo nostro aliquem locum ita asperum, ad quem non possit fieri ascensus et descensus aliquo modo. Nam cum pedibus itur in omnem montem altissimum Italiæ; sed ad istum non sufficiunt pedes et manus sine alis. Dicit ergo: *vassi in Sanleo,* idest, ascenditur ab homine vivente. Ad (5) quod sciendum quod Sanctus Leo est civitas Romandiolæ in Montefeltro, jam satis deserta tempore nostri poetæ, et hodie plus; in altissimo monte sita, montibus altissimis aggregatis cir-

(1) E. intraverant. (2) S. parvula rimula. (3) E. huius.
(4) E. videtur dicere. (5) 117, Hic nota quod Sanctus Leo.

cumcincta [1], ita quod colligit intra fortilitium fructus et omnia necessaria ad victum [2] et substentationem humanæ vitæ, sicut et Samarinum castrum naturali situ munitissimum et optimum distans a Sancto Leone per quatuor milliaria, et ab Arimino per decem, mirabile fortilitium. Et nota quod comparatio est propriissima; nam recte civitas purgatorii est similis Sancto Leoni, quia est in altissimo monte situata, et est deserta, habens raros habitatores, ubi infernalis est frequens gentibus; et est fortissima, tuta ab insidiis et insultibus hostium, sicut Sanctus Leo. Et dicit: *e discendesi in Noli:* Noli est quædam terra [3] antiqua in riperia Januæ supra mare, subiecta monti altissimo scabroso, ad quam est difficillimus descensus, ita ut Noli videatur recte dicere descendenti: noli ad me accedere, quasi dicat poeta tacite: ego descendi cum pedibus usque in profundum abyssi, sed huc non poteram ascendere sine alis; quia difficilius est ascendere quam descendere, ut dicetur infra. Et dicit: *Montasi in su Bismantoa.* Et hic oportet scire quod Bismantoa est petra montanea in montibus Regii, tota saxea viva altissima, ita quod superat omnes colles vicinos, et habet unam solam viam in circuitu, quam pauci defenderent a toto mundo; in cuius summitate est planities, quæ colitur quando est opportunum, et loca circumvicina sunt sylvestria et aspera; unde habitantes [4] in plano inferius refugiunt ad istum locum tutissimum tempore belli. Accidit autem quod tempore, quo Henricus VI venit in Lombardiam, cum Ghibertus de Corigia [5] dominus Parmæ convenisset cum eo [6], quem tamen postea deseruit, nobiles regini multum timentes sibi ab Henrico, deliberaverunt

(1) E. circum circa.
(2) E. ad vitam et.
(3) E. civitas antiqua.
(4) E. unde inhabitantes in.
(5) S. Corigio.
(6) S. cum ea.

relicta patria, sicut olim athenienses fecerunt, reducere se ad prædictam petram inexpugnabilem, et ibi expectare ad tempus ad evitandum impetum belli; sed non fuit expediens, quia dictus Ghibertus, recedens a campo imperatoris incitavit bononienses, florentinos et alios contra illum. Erat autem civitas Regina in magno flore, frequens multitudine populi, abundans multis nobilibus domibus, quæ in tam brevi cursu devenit ad tantam desolationem, quod eius cives sunt dispersi per totam Italiam. Et hic nota quod hic mons Bismantoæ videtur habere (1) magnam similitudinem cum monte purgatorii, quia est altissimus mons, elatus ad sidera, fortissimus, ex vivo saxo, ad quem non ascenditur nisi per unam viam tortuosam; et in summitate est fertilis, ubi homo stat tutus ab hostibus, circumsonantibus undique strepitibus bellorum; et hæc omnia invenies in isto monte purgatorii, si voles perspicaciter intueri. Unde homo stans in summitate huius petræ, videtur omnia habere sub pedibus, ita quod terra inferior videtur esse infernus infimus illi. Ita vir positus in summitate montis purgatorii, idest, in perfectione virtutis, videt infernum sub pedibus suis, qui est locus suppositus et oppositus isti; et sic propinquius cœlo speculatur alta et divina. Ergo bene dicit poeta: *montasi su Bismantoa,* idest, usque ad summitatem quæ plana est; et addit, *in cacume,* hoc dicit, quia in ista summitate est una pars in extremo eminens et altior. Modo vult dicere autor quod non solum ab homine potest iri ad summitatem huius (2) montis, sed etiam ad ipsum cacumen particulare. Non ergo dicas, sicut aliqui ignoranter, quod *cacume* sit alius locus distinctus ab isto, scilicet unum castellum altissimum, nescio ubi; quod totum est vanum,

(1) E. habere similitudinem.
(2) E. ipsius montis, sed etiam ad cacumen.

et præter intentionem poetæ; et ut cito dicam, iste est singularis locus fortissimus in Lombardia, sicut Samarinum in Romandiola, et tamen uterque [1] aditur; unde dicit: *con esso i pei,* quasi dicat cum labore corporali; *ma qui,* scilicet ad montem purgatorii, *conven ch' uom voli;* et quia dixerat in præcedenti capitulo quod ipse non habebat alas, sicut Angelus, ad ascendendum [2], ideo ne videatur nunc desperare, glosat dictum suum, et ostendit [3] quod homo potest sibi facere alas; unde dicit: *dico con l' ali isnelle,* idest, velocibus, *e con le piume del gran disio,* idest, et cum pennis magni desiderii, idest, cum labore animi præcedente ratione; ideo dicit: *diretro a quel condotto,* idest Virgilio qui faciebat sibi scortam et securum conductum, *che speranza mi dava,* scilicet ascendendi licet videretur durus callis, *e facea lume,* quia erigebat eum in altum. — *Noi.* Hic poeta descripta difficultate introitus valde egregie, nunc describit ipsum iter eorum dicens: *Noi salivam,* idest, ascendebamus [4] a parte orientis, ut dicet paulo post, *per entro il sasso rotto,* idest, viam excavatam [5] intra montem, quæ via erat a lateribus arcta, et inferius aspera; unde dicit: *e d'ogni lato ne stringea lo stremo,* ita quod a dextra et sinistra tangebat ripam, quia angusta est via [6] virtutis, et quod plus est, *e il suol,* idest, terra, *di sotto voleva e piedi e man,* idest exigebat quod manus succurreret pedi, sicut videmus accidere ascendentibus montem asperum. Per pedem potes intelligere amorem et affectionem, per manum operationem, quia virtus moralis in operatione consistit, ut vult philosophus primo Ethicorum; vel dic quod non solum bona animi dispositio, sed etiam operis sa-

---

(1) E. utrique. (2) E. descendendum.
(3) 117, ostendit quod non potest sibi facere alas.
(4) 117, descendebamus. (5) E. concavatam.
(6) E. via veritatis, aliter virtutis.

tisfactio requiritur tendenti ad pœnitentiam. Et subdit quomodo petiverit a Virgilio de ulteriori via tenenda dicens: *Maestro mio,* idest, o Virgili, qui docuisti me omnem viam, *diss' io: che via faremo? poi che noi fummo in su l' orlo supremo,* idest, postquam pervenimus ad finem illius viæ cavatæ in ultima extremitate, *dell' alta ripa,* ipsius montis, *a la scoperta piaggia,* idest, ripam, quia prius iverant cooperti intra (1) illam viam. — *E quegli.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii cum optimo consilio circa viam novam dicens: *e quegli a me,* scilicet Virgilius respondit: *nessun tuo passo caggia,* idest, declinet in dexteram vel sinistram, quia ibi non erat signata (2) via certa, ideo non erat recedendum a duce, qui tenebat medium rationis: unde dicit: *pur suso al monte,* tendens in altum, *dietro a me acquista,* sequens vestigia mea, *finchè n' appaia alcuna scorta saggia,* idest, quæ sciat docere nos viam, sicut paulo ante fecit alia turba animarum. Et describit poeta altitudinem montis, et rectitudinem viæ per unam nobilem comparationem, dicens: *lo sommo era alto,* idest, cacumen montis erat altum, et tam altum, *che vincea la vista,* quia oculus humanus non potest (3) attingere summitatem huius montis qui attingit cœlum, ut sæpe jam dictum est et sæpius dicetur, *e la costa,* idest, tumorositas et repentia montis, *assai più superba,* idest, multo plus rigida et recta, *che lista,* idest, linea, *da mezzo quadrante a centro.* Et non intelligas, lector, sicut multi male intelligunt hic, quod ista costa esset ita recta, sicut una linea longa, quæ respicit sursum, quia si ripa fuisset ad modum muri, nunquam Dantes potuisset ire cum pedibus suis: unde vidisti, quod jam totiens Virgilius portavit ipsum in inferno, quando invenerunt tales vias;


---

(1) S. in illam viam. (2) S. assignata. (3) 117, non poterat.

sed per purgatorium nunquam portabit ipsum. Sed ad intelligentiam huius comparationis debes notare quod tria sunt instrumenta quibus communiter utuntur astrologi, scilicet, spera materialis per quam ostendunt corpus cœli cum circulis suis, cuius cognitio est necessaria ad cognitionem poetarum: secundum vocatur astrolabium, quod est instrumentum spericum recte ad modum incisorii, in quo ostenditur tota dispositio cœli: tertium vocatur quadrans, et est quarta pars astrolabii, in quo continetur breviter quicquid est in astrolabio. Et ut dem exemplum grossum, istud instrumentum est recte sicut si dividas unum incisorium in quatuor quarteria æqualia: una pars vocabitur quadrans. Modo ad propositum in isto quadrante est una linea media quæ incipit a centro, idest, ab illa puncta acuta et trahitur æquidistanter usque ad extremam circumferentiam; et ista linea, si ponis quadrantem in plano in uno latere suo, videbis clare quod stabit satis alta, sed non nimis (1), ita quod si autor dicit quod costa montis erat magis superba quam linea ista, vult dicere in effectu quod erat multum difficilis ad ascendendum, sed non tamen impossibilis, sicut potes clare videre in figura hic a latere posita (2). — *Io.* Hic poeta describit lassitudinem suam, quam in brevi contraxit ex itinere isto cum (3) consilio Virgilii, dicens: *Io era lasso,* scilicet valde cito, *quando incominciai,* scilicet, dicere Virgilio qui nimis celeriter procedebat in via: *O dolce padre, volgiti,* scilicet retro, *e rimira com' io rimango sol,* sine te, *se non ristai,* idest,

(1) E. nimis superba, ita quod.

(2) Nel Codice Estense vi è in questo punto la figura così delineata:



(3) E. et cum consilio.

nisi arrestes te, et expectes, et des spatium respirandi; et per hoc poeta vult dicere, quod licet haberet animum promptum, tamen habebat corpus debile. Et vere homini tendenti nuper ad tam arduum montem, modicus labor est sanus et de facili fatiscitur ([1]); ideo ponit responsionem Virgilii, dicens: et ille Virgilius, *disse: figliuolo mio,* vocat eum filium, quia vocaverat eum patrem, *infin quivi ti tira,* idest, usque ad istum locum certum; unde dicit: *et additommi un balzo,* idest, et digito demonstravit unum gradum, *un poco in sue,* scilicet, propinquum sibi, *che da quel lato il poggio tutto gira,* idest, mons totus declinat et dilatatur: et per hoc moraliter admonet, quod homo tendens primo ad virtutem debet cum moderamine certo gradatim ascendere et eligere sibi omni die certam particulam, quia totam virtutem non posset simul vel cito amplecti ([2]); ideo bene Virgilius assignavit sibi certum terminum. Idcirco statim ponit bonum effectum huius boni consilii, dicens: *sì mi spronaron le parole sue,* idest, adeo me incitaverunt ad viam, *ch' io mi sforzai, carpando apresso a lui,* quia quando homo est factus certus ([3]) termino propinquo, non ita gravatur quantumcumque fessus; unde dicit: *tanto che 'l cinghio sotto i piè mi fue,* idest, donec ascendi illum gradum quem monstraverat mihi. Cinghium enim appellant montani zonam quamdam, quæ apparet naturaliter in saxo, et sic requievit ibi cum corpore, sed non cum animo.

A seder ci ponemmo. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta noster describit dispositionem cœli illis existentibus in illo hemisperio; et primo continuans dicta dicendis ostendit quomodo dederit se quieti corporis et labori mentis, dicens: *ambedui,* scilicet, ego Dantes fessus et Virgilius gratia mei, *ci ponemmo a seder ivi,* sci-

---

([1]) E. satisfacitur. ([2]) E. complecti.
([3]) 117 e E. certus de termino.

licet, in illo balcio sive cinghio præostenso; et vere erat opus quiete bona ad istam speculationem describendam; *volti a levante,* idest, volventes visum versus ortum solis, *onde eravam saliti,* idest, a qua parte orientis intraveramus primo ascensum montis, *chè,* idest, qui oriens, *suole giovar,* idest, delectare, *altrui a riguardare.* Et tangit modum suæ inspectionis, dicens, quod, ut vigoraret visum ad respiciendum melius solem, reflexit oculos ad terram; unde dicit: *gli occhi prima drizzai ai bassi liti,* idest, ad extremam ripam illius insulæ planæ et bassæ, ubi sol primo oriebatur, ubi fuerat lotus rore et cinctus junco a Virgilio, quasi dicens tacite in mente sua: si non tantum me humiliassem, non essem jam tantum exaltatus; et ab inde oritur sol, idest, gratia Dei facientibus tale iter. Unde dicit: *poscia gli alzava al sole et ammirava,* quia videbat contrarium eius, quod erat solitus videre; et ecce, *che da sinistra n' eravam feriti,* scilicet ab ipso sole, et sic umbra erat proiecta in dextram. Unde nota quod si homo est conversus ad orientem in isto nostro hemisperio habitabili, sol ferit ipsum a dextra et jacit umbram a sinistra. In illo hemisperio inferiori facit contrarium; ideo nunc sol feriebat Dantem a sinistra et jacebat umbram in dextram, quia noster occidens est ibi oriens et e converso; et ita quando in nostro est nox, in illo est dies. Nota etiam quanta arte utitur hic poeta noster in ista fictione, quia tacite dat intelligi quod vir sapiens, qui nunquam vult perdere tempus, quando fessus cessat ab operatione virtutis, vacat scientiæ meditando cum mente circa aliqua pulcra, sicut ipse nunc circa subtilia contra pigros et ignaros qui faciunt residentiam hic. — *Ben.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius perpendit de eius admiratione et admirationis causa, dicens: *Ben s' avide il poeta,* idest, bene perpendit Virgilius, *ch' io stava stupido tutto,* idest, stu-

pefactus novitate rei mirabilis et insolitæ mihi, *al carro della luce,* idest, solis, cui poetæ attribuunt quadrigam, idest, currum quatuor rotarum, quia sol efficit nobis quatuor tempora anni, quibus velociter currit, et lucem suam dispensat et distribuit omnibus; et dicit: *ove tra noi et Aquilone intrava,* idest, inter ipsos et septentrionem; et intellige quod Virgilius et Dantes erant nunc in hemisperio illo inferiori, quoniam in nostro hoc est impossibile. Videmus enim solem nasci ex dextra parte, quasi inter orientem et austrum, et occidere in sinistra parte in obliquum quasi inter occidentem et septentrionem: hoc autem certum est contingere non ex motu ipsius solis, sed ex motu firmamenti, a quo quotidie refertur ad occasum, quod firmamentum movetur oblique nobis; ideo bene dicit Dantes quod sol intrabat ibi inter eos et septentrionem, quia occidens nostrum est oriens ibi. Unde nota ulterius quod a tribus partibus terræ, scilicet oriente, occidente, meridie, splendor solis potest intrare in quamcumque domum, sed a septentrione nunquam; quod ideo contingit, quia sol nunquam venit ad septentrionem. — *Ond' elli a me.* Hic poeta noster ostendit qualiter Virgilius declaraverit sibi quare et qualiter sol intrat aliter in illo hemisperio, aliter in nostro. Sed antequam descendam ad expositionem literæ, ad illius claram intelligentiam oportet primo aliqua notare. Et primo quod cœlum est corpus spericum, in cuius medio est unus circulus, dividens ipsum cœlum in duas partes æquales, qui vocatur æquinoctialis: sunt et alii duo circuli æquidistantes ab illo, alter a dextra, alter a sinistra, qui dicuntur tropici; quorum unus vocatur tropicus cancri, sive æstivalis, quia cum sol pervenerit ad circulum istum in signo cancri facit nobis æstatem; alter (1)

(1) S. e E. alius vero.

vero appellatur tropicus capricorni, sive hyemalis, quia quando sol pervenit ad istum circulum in signo capricorni facit nobis hyemem: et dicitur tropicus, idest, conversivus, quia cum sol pervenit ad utrumque istorum convertit cursum suum, et retrocedit; unde nunquam potest exire istos confines. Ulterius cœlum in extremitatibus suis habet duo puncta super quæ volvitur, quæ appellantur poli, quorum unus est in septentrione altus et elevatus nobis, ubi est tramontana; alius est in meridie nobis bassus et occultus. Adhuc est in cœlo quidam circulus obliquus qui per transversum amplectitur tres primos circulos, scilicet æquinoctialem, et duos tropicos; et iste circulus græce vocatur zodiacus, idest, circulus animalium, quia in eo sunt signa sub quibus continuo currit sol et cæteri planetæ; tamen sol semper vadit per mediam lineam zodiaci, quæ vocatur ecliptica; alii planetæ non. Est etiam sciendum, quod sex signa [1] appellantur septentrionalia quia respiciunt septentrionem, scilicet aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo; et quando sol est in istis facit nobis æstatem et calorem, quia respicit nos magis alte et recte. Alia sex signa appellantur meridionalia, quia respiciunt meridiem, scilicet libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces; et quando sol est in istis signis facit nobis hyemem et frigus, quia respicit nos magis oblique et basse, ut hæc omnia habentur clare in tractatu speræ. Nunc veniamus ad literam, cuius sententia prius est summanda. Dico ergo quod Virgilius vult dicere in effectu quod si sol qui est modo in ariete, esset ita in signo geminorum, ipse videret zodiacum volvi vicinius [2] septentrioni; et hoc est verum, quia, sicut patet ex jam dictis, signum geminorum est juxta signum cancri, in

---

[1] E. signa ex istis duodecim appellantur. [2] E. citius.

quo est sol altissimus, ita quod si sol esset in geminis melius videretur zodiacus ea parte, qua respicit polum nostrum, et ita si esset in cancro multo plus. Ordina sic literam: *Ond' elli a me,* supple Virgilius dixit: *tu vedresti il zodiaco rubecchio,* idest, rubicundum, qui habet in se duodecim signa flammantia, unde appellatur signifer, *rotare,* idest, circuire, *ancor più stretto,* idest, magis prope, *all'Orse,* idest polo arctico, ubi sunt duæ ursæ, scilicet maior et minor, de quibus dicetur alibi sæpe et præcipue Paradisi capitulo XIII, *salvo se non uscisse,* scilicet, ille zodiacus, *fuor del camin vecchio,* idest, antiquo, quod facit inter duos tropicos, quod est impossibile per naturam. Et hoc dicit: *se Castor e Polluce,* idest, gemini, *fossero in compagnia di quello specchio,* idest, corporis luminosi, scilicet solis, in quo se cætera lumina speculantur; unde dicit: *che giù e su del suo lume conduce,* idest, in hemisperio inferiori et superiori, vel ad superiores et inferiores stellas. Sed ne remaneat aliquid obscurum in ista litera tam bene declarata, est ulterius inquirendum, quare Castor et Pollux ponuntur hic pro signo geminorum. Ad quod est sciendum quod Jupiter rex cretensis tempore quo regnavit, viguit tanta magnanimitate (¹) et felicitate, quod omnes viri illustres, et mulieres græcorum finguntur a poetis græcis traxisse originem ab eo. Finxerunt ergo quod ex Jove in specie cigni, idest forma pulcritudinis, et ex Leda uxore Tyndari nati sunt duo filii gemelli ex uno ovo, idest, ex uno germine et semine, et duæ filiæ (²) gemellæ ex alio ovo, idest (³), germine. Gemelli fuerunt Castor et Pollux duo fratres, qui simul nati habuerunt parem formam, virtutem et fatum. Gemellæ fuerunt Helena et Clytemnestra eodem partu natæ, quæ habuerunt

(¹) E. magnitudine. (²) 117, fœminæ. (³) E. idest ex alio germine.

paritatem vitii et vituperii, scilicet libidinis; quia Helena adultera Paridis fuit causa tanti belli et excidii nobilissimæ Troiæ; Clytemnestra vero adultera Ægisthi sacerdotis, fuit causa mortis ([1]) nobilissimi ducis græcorum contra Troiam. Ad propositum ergo: cum Paris rapuisset Helenam, isti duo reges fratres eius, audito rumore infami, subito ascenderunt unam galeam, et velocissime secuti sunt eum; sed statim orta valida tempestate absorti sunt in ([2]) mari; et quia nunquam postea visi sunt, nec scitum fuit de eorum morte vel sepultura, facile persuasum est vulgo, quod fuerant rapti in cœlum propter eorum virtutem et gloriam, sicut recte accidit de Romulo in simili casu tempore mortis violentæ eius. Poetæ vero finxerunt quod erant conversi in sidera geminorum; unde Homerus XI Odysseæ introducit Ulyxem dicentem: *Et Ledam vidi Tyndari uxorem, quæ sub Tyndaro fortissimos genuit filios, Castorem equo bellicosum, pugillo bonum Pollucem.* Aliquando certe vicissim vivunt, aliquando autem moriuntur, idest, quia quando unus vivit alter moritur, et e converso; quod ideo fictum est, quia eorum stellæ ita se habent, quod una apparente, altera latet et e converso. Est autem signum geminorum signum humanum, quo ascendente, poeta noster natus est; ideo fecit libentius mentionem de signo geminorum, quod libentius contemplabatur in zodiaco, cum ita bene, imo melius, posset dicere de cancro, qui magis distat ab æquinoctiali et magis appropinquat polo. — *Come.* Hic Virgilius docet poetam cognoscere diversum introitum solis et diversam umbram, per unam figuram et demonstrationem claram; et breviter dicit: considera in mente tua quod mons Syon qui est in Hierusalem, quæ est in medio mundi in terra habitabili, sit

([1]) 117, mortis Agamemnonis nobilissimi ducis. ([2]) S. in mare.

directe oppositus huic monti purgatorii, in quo nunc es; et videbis clare quomodo sol movetur [1] nobis dispariter ab illis qui sunt ibi, quia scilicet ferit illos a dextra, et facit umbram a sinistra; nobis vero e converso. Dicit ergo Virgilius: *Se lo vuoi pensare come ciò sia,* scilicet, quod sol intret inter nos et aquilonem, et facit [2] umbram a sinistra, de qua re tu miraris, *tu raccolto dentro,* scilicet in mente tua, quia non potes hic videre montem Syon cum oculo corporali, *imagina Sion;* hic mons erat olim intra Hierusalem et bene habitatus, unde appellabatur civitas David; ideo poeta potius facit mentionem de eo quam de monte Oliveto vel Calvario; unde Sacra Scriptura sæpissime nominat [3] eum et maxime psalmista: *stare in su la terra,* in vestro mundo, *con questo monte,* idest, ita recte sicut iste mons purgatorii stat in medio huius terræ, ita quod isti duo montes sunt oppositi; unde dicit: *sì ch'ambedui,* scilicet Syon et hic mons, *hanno un sol orizon,* qui est circulus dividens hemisperium superius ab inferiori, sicut plene declaravi capitulo secundo huius libri, circa principium; ideo dicit: *e diversi emisperii; onde la strada,* idest, zodiacus, qui est vere strata semper frequentata, per quam impausabiliter discurrunt sol et cæteri planetæ; quod declarat cum dicit, *che mal non seppe carreggiar Feton.* Jam [4] pluries in inferno tacta est et exposita fabula Phætontis, qui filius solis male scivit regere currum paternum; nam exivit stratam prædictam antiquam, scilicet zodiacum; ideo bene dicit: *mal,* idest, malo suo et aliorum nescivit aurigare, quia ipse fulminatus fuit et suffocatus in Pado, et omnia flumina et germina aruerunt: ergo bene, male cessit quia nescivit gubernare currum onustum tanta luce. Ergo hac imaginatione fa-

(1) 117, moveatur.
(2) E. faciat.
(3) E. nominat montem Syon, præcipue psalmista.
(4) E. Quam pluries.

cta, *vedrai,* idest, faciliter cognoscere poteris, *come,* ille zodiacus et per consequens sol, *conven che vada a costui,* scilicet, huic monti purgatorii, *da l' un fianco,* idest, ab uno latere, scilicet dextro, *quando a colui,* scilicet, monti Syon vadit, *da l' altro,* scilicet, *fianco,* idest, a latere sinistro, quia zodiacus amplectitur oblique utrumque hemisperium; et dicit: *se l' intelletto tuo ben chiaro bada,* idest, si bene respicis cum speculatione intellectuali. — *Certo.* Hic poeta noster fatetur Virgilio se melius intelligere nunc istum motum zodiaci et melius ipsum declarat. Dicit ergo: *diss' io,* illi [1] Virgilio, *Maestro mio,* qui tam bene declarasti mihi istum passum obscurum, et removisti admirationem meam, *certo unquanco non vid' io chiaro,* quasi dicat, sciebam, sed non ita clare, *come or discerno là dove il mio ingegno parea manco,* idest, aliqualiter defectivum. Et certe verum dicit, quia bene debes imaginari, quod poeta noster nunc studiosius discussit istam materiam, et clarius intellexit volens eam nunc describere; et ecce quid: *che 'l mezzo cerchio,* idest, circulus æquinoctialis dividens speram in duo æqualia secundum omnem partem sui, æqualiter distans ab utroque polo, *del moto superno,* unde dicitur etiam circulus primi motus, *che si chiama equator,* diei et noctis: dicitur enim sic, quia quando sol transit per illum, quod accidit bis in anno, scilicet in principio libræ et arietis, est æquinoctium in universa terra: et dicit medius, quia sic est in spera, *in alcuna arte,* scilicet, in astrologia; et dicit: *e che sempre riman tra 'l sole e 'l verno.* Hoc pro tanto dicit, quia quando sol vadit per signa septentrionalia, tunc facit nobis æstatem et aliis hyemem, a quibus est elongatus; et e converso quando vadit per signa meridionalia, facit nobis hyemem, et illis

---

[1] E. scilicet illi Virgilio.

æstatem; et ita æquinoctialis semper est medius inter æstatem et hyemem, quia sub æquinoctiali est maximus calor, quamvis [1] Avicenna dicat quod sit pars temperata sub eo, vel habet respectum ad extrema, ad quæ sol nunquam accedit, ubi est perpetuum frigus. Et assignat causam, dicens: *per la ragion che di', quinci si parte,* idest, quia ex hac parte removetur a nobis, *verso il settentrion,* idest, contra aquilonem, ubi oppositum fit nobis, unde dicit: *quando gli ebrei,* idest, judæi, qui erant commorantes in Syon in Hierusalem, *vedevan lui,* scilicet solem, *verso la calda parte,* idest, meridiem. Et dicit notanter: *vedevan,* de præterito, quia de præsenti judæi non habitant in Hierusalem. Unde nota quod poeta ita poterat dicere de italicis et gallicis et aliis habitatoribus nostræ terræ sicut de hebræis [2]; quia fecerat mentionem de Syon monte, ideo magis proprie dixit de habitatoribus eius.

Ma se ti piace. Ista est tertia pars moralis et pulcra, in qua autor describit [3] naturam et proprietatem istorum pigrorum et unum illorum in speciali. Et primo antequam perveniat ad istam gentem describit naturam et proprietatem montis, dicens, quod ipse resumptus a labore corporis per quietem, auditis istis delectabilibus, dixit [4] Virgilio: *ma se ti piace,* quia videor multum fatigasse te, *volentier saprei quanto avemo ad andar,* timebat laborem longæ viæ; unde dicit: *chè 'l poggio sale,* idest, mons tendit in altum, *più che salir non posson gli occhi miei;* quia visus non poterat attingere cacumen montis, quod erat contiguum cœlo; et talis est recte virtus quæ tendit ad cœlum. Et subdit responsionem [5]

---

(1) 117, quamvis aliquis dicat.

(2) E. de hebræis, sed potius fecit mentionem de hebræis quia fecerat mentionem de Syon, ideo.

(3) S. tangit. (4) 117, dicit Virgilio. (5) E. rationem.

Virgilii, qui pulcre exprimit naturam virtutis; unde dicit: *et egli a me: questa montagna è tale,* idest, talis naturæ et proprietatis, *che sempre al cominciar di sotto è grave,* sicut jam expertus fuerat, *e quanto più va su e men fa male,* quia minus gravat. Et hic nota, lector, quod poeta hic elegantissime describit virtutem sub figura montis, qui ad radices est asperrimus, sed in summitate est amœnissimus. Per hoc enim ostendit, quod virtus est de facili, et a principio videtur dura, sed in fine (1) est suavissima. Quod autem virtus sit de facili patet, quia (2) difficilius est attingere medium, quam extrema, ut probat philosophus primo Ethicorum; item difficilius est naturaliter ascendere quam descendere; unde plus trahit unus deórsum, quam decem sursum; corpus autem corruptibile aggravat animam trahens illam deorsum ad malum, et non erigens sursum ad bonum; præterea bonum fit tantum simpliciter, scilicet bene agendo, malum vero multipliciter, scilicet male agendo et cessando a bono. Adhuc illud quod movet nos ad bonum est extra nos, et est futurum, scilicet æterna felicitas; illud vero quod nos movet ad malum est intra nos et est præsens; igitur delectabile apprehensum per sensum seu imaginationem de necessitate movet concupiscentiam, sed tamen in fine virtus est maxime (3) delectabilis, scilicet quando est bene habituata. Unde philosophus primo Ethicorum: *signum generati habitus est delectatio.* Virtus enim, sicut et scientia est arbor altissima cuius radices sunt amarissimæ, fructus vero dulcissimi. Ideo bene concludit Virgilius: *però quand' ella,* scilicet montanea, *ti parrà soave,* idest, facilis, *tanto che 'n su andar ti fia leggiero,* scilicet sine labore; quod declarat pulcra metaphora, *come a seconda giù l' andar per nave,* sup-

(1) E. fine suavis est.
(2) E. quia difficilis est, et difficilius. (3) S. magis.

ple est facile, et sine labore, *allor sarai al fin d' esto sentiero,* idest in summitate montis, in paradiso deliciarum, in fine laborum; unde dicit: *quivi di riposar l' anima* vel *affanno, aspetta,* quia ante non poteris habere veram quietem. Nam cum pervenerit ad dictum ([1]) locum non laborabit amplius in ascendendo, sicut videbis, quod ascendendo per omnes speras cœli nunquam poeta fingit se sentire laborem; et dicit: *più non rispondo,* quia satis potes me intelligere, *e questo so per vero,* scilicet ex certa scientia et experientia faciet te certum. Primam autem amaritudinem perhorrescit gustus pigri, sicut statim patebit de uno pigerrimo. — *E come.* Hic poeta volens describere sectam pigrorum pulcre fingit, quod Virgilio talia dictante, et persuadente ascensum montis, una vox venit de transverso ad dissuasionem huius. Unde dicit: *e com' egli,* scilicet Virgilius, *ebbe sua parola detta, una voce di presso sonò.* Hic est sciendum quod ista fuit vox cuiusdam pigri, qui vocatus est Bilaqua. Iste fuit ([2]) de Florentia, qui faciebat citharas et alia instrumenta musica, unde cum magna cura sculpebat et incidebat colla et capita cithararum, et aliquando etiam pulsabat. Ideo Dantes familiariter noverat eum, quia delectatus est in sono; unde sicut superius in secundo capitulo posuit unum amicum cantorem, ita nunc ponit alium sonitorem ([3]); et quia noverat istum tam pigrum ad omnia, non tamen pravum, sed satis purum, ideo cum bona conscientia fingit ipsum salvum. Dicit ergo vox eius: *forse che di seder in pria avrai distretta,* quasi dicat: antequam pervenias ad summitatem suavem habebis necessario ponere te ad sedendum, sicut jam te posuisti semel, quasi dicat irrisive: tu non es adhuc ibi. Et ostendit poeta quomodo devenerit ([4]) in

([1]) E. prædictum.
([2]) S. erat.
([3]) E. sonatorem.
([4]) 117, devenerunt.

cognitionem istorum pigrorum, quorum morem describit; unde dicit: *ciascun di noi,* scilicet Virgilius et Dantes, *si torse,* idest, volvit se, *al suon di lei,* idest, illius vocis dissonantis multum ab eorum nobili intentione, *e vedemmo a mancina,* idest, a sinistra, a qua parte sunt semper reponendi isti tristes, *un gran petrone,* idest, magnam petram, sive saxum, quod faciebat magnam umbram, *del qual,* scilicet saxo, *nè el nè io,* idest, nec Virgilius, nec Dantes, *prima s' accorse,* scilicet, antequam audiremus illam vocem, quæ traxit oculos nostros ad locum unde procedebat, et ideo non perpenderant, quia erant dediti meliori speculationi: ergo, *là ci traemmo,* versus petronem, *et ivi eran persone,* idest, animæ pigrorum quorumdam, *che si stavano all' ombra dietro al sasso;* et vide quam bene poeta tangit in brevibus verbis propriam naturam istorum vilium, qui in frigore stant ad solem, et in sole stant ad umbram. Nunc enim erat sol altus, ideo retraxerant se ad umbram post saxum; nam isti tales omni in loco, omni tempore vitant laborem, fugiunt calorem et frigus, et ideo velut umbra vanescunt. Ideo de eis tam breviter, tam leviter poeta pertransit; unde vide quod qualis est secta captivorum in inferno, talis est secta istorum pigrorum in purgatorio. Et tangit quare sic stabant, quia non aliqua necessitate vel causa, sed ex mera pigritia; unde dicit: *com' uom per negligenzia a star si pone.* Unde isti pigri non solum sunt negligentes ad opera meritoria, sed etiam ad omnia acta [1] propria, ita quod permittunt domum ruere super se, et guttam cadere in oculum suum. — *Et un.* Nunc poeta noster describit in speciali unum amicum, cuius pigritia suo tempore omnes antecessit inter sibi notos. Et specificat eum ab habitu

---

[1] 117 e E. facta propria.

vere pigri, dicens: *Et un di lor.* Is (¹) erat Bilaqua, cuius vox male sonuerat (²) supra, *che mi sembiava lasso,* idest, qui videbatur fessus sedendo, quia nunquam faciebat nisi sedere, *sedea;* unde cum Dantes aliquando in vita increparet eum de pigritia sua, iste erat solitus respondere quod anima sedendo et quiescendo fit sapiens; sed certe sedent sapientes, sedent negligentes. Unde nota quod duplex est otium; alterum viri sapientis qui negotiatur circa studia honesta, et hoc otio nihil est dulcius; aliud est negligentis, qui sola requie delectatur, et tali otio nihil est fœdius, nihil similius sepulcro. Primum est studiosorum, a quo proveniunt egregia opera utilia et delectabilia mundo, quale est istud opus gloriosum nostri poetæ. Secundum otium est aptum tristibus deditis ventri et somno, quod secundum Virgilium est consanguineum mortis, vel saltem est quædam imago eius. Labor ergo est materia virtutis et gloriæ; otium vero parit vitium et infamiam, quale erat otium Bilaquæ. Unde audi si bene sedebat; dicit enim: *et abbracciava le ginocchia, tenendo il viso giù basso tra esse,* idest, inter illa genua. Dignum ergo est quod diu tardet videre cœlum, qui diu non cessavit respicere terram. Et subdit quomodo ostenderit illum Virgilio cum exprobratione pigritiei (³). Dicit ergo: *diss' io:* scilicet Virgilio: *o dolce padre mio, adocchia,* idest, cum oculo respice, si vis bene ridere: *colui che mostra se più negligente,* ex habitu corporis, *che se pigrizia fosse sua sirocchia,* idest, soror, quasi dicat: ac si ipse et pigritia nati essent ex eodem utero naturæ. — *Allor.* Hic poeta ostendit quomodo se habuerit ille audiens sibi improperari pigritiam, et quomodo recognoverit eum ex actibus et verbis eius. Dicit ergo: *allor,* idest, tunc ille spiritus sentiens se tangi ad

(¹) E. idest Bilaqua.
(²) E. e 117, sonaverat.
(³) E. pigri otii. Dicit.

vivum, *si volse a noi,* idest, ad me et Virgilium, *e pose mente, movendo il viso pur su per la coscia,* quia non sustinuit levare caput gravatum humore terræ. Otium enim et quies sunt duæ pestes hominis quæ pariunt tumorem corpori et rubiginem animo; et audi verbum tristius ipso actu; *e disse: or va tu su che sie' valente.* Ita dicit piger (1) vilis, tota die quando arguitur de pusillanimitate sua: vade tu, quia habes bonas carnes, quasi dicat: ego non sum angelus, nec habeo ducem sicut tu, ut possim ascendere montem arduum. Et ideo dicit poeta: *conobbi allor chi era,* ex loquela sua, quia ducebat labia sua ita lente, et linguam sicut et cætera membra. Ideo quantumcumque fessus accessi libenter ad ipsum otiosum; unde dicit: *e quella angoscia, che m' avanzava un poco ancor la lena,* quia eram ita fessus, quod vix poteram respirare, *non m' impedì l' andar a lui,* quia putavi modicum recreari sermone eius; unde dicit: *e poscia ch' a lui fui giunto, alzò la testa appena;* vide quomodo ille tristis bene assurrexit duobus tantis poetis, et quomodo recepit honorifice concivem suum ibi vivum, ad quem videndum cæteri spiritus concurrebant et revertebantur (2). Et audi quod (3) dixit, *dicendo,* irrisive; *hai ben veduto, come il sole mena il carro dall' omero sinistro?* idest, a spatula tua sinistra. Iste enim Bilaqua non visus ab autore latens post saxum tacite auscultaverat collationem quam fecerat (4) cum Virgilio circa motum solis, qui in illo hemisperio feriebat eum a sinistra et faciebat umbram a dextra. Unde vide quod iste piger superius damnavit laborem Dantis circa opus virtutis, nunc iterum damnat laborem eius circa studium scientiæ. Et hic, lector, volo te parum morari cum animo et imaginari, quod poeta noster non sine quare introducit istum irri-

(1) 117, piger nobis tota die.

(2) 117, reverebantur.

(3) E. quid.

(4) S. fecerat Virgilius circa motum.

dentem pulcram speculationem suam iniuste, quia ipse juste irriserat pigritiem turpem illius. Unde nota quod secundum Ptolomæum in principio sui quadripartiti, astrologia habet duas partes, quarum una est de judiciis, altera de motibus: prima si sit vera vel scibilis, tamen nondum videtur scita; ideo qui laborat circa eam, merito videtur irridendus non solum ab ignorantibus, sed etiam a viris sapientibus. Hanc partem astrologiæ poeta noster damnavit et increpavit egregie XX capitulo Inferni, quia inducit homines ad [1] errores multos. Alia pars astrologiæ est de motibus, et ista est valde nobilis, utilis et necessaria. Unde enim Ecclesia habet Calendarium et aureum numerum, et alia multa nisi ab astrologis? Ideo [2] ad propositum: iste piger inutilis indigne irridebat Dantem vacantem nunc speculationi motuum cœlestium, sicut e contra Virgilius digne increpuit eum deplorantem infelicitatem astrologorum divinatorum, ut patet prædicto capitulo XX. Sic ergo patet quod poeta noster sub ista fictione dat nobis intelligere morem pigri qui truffatur de viris sapientibus, qui fatigant animum circa cognitionem rerum occultarum et subtilium, cum ipsi marceant otio, et audent dicere: nulli noceo, nihil mali facio; sed impossibile est bene agere agentem nihil, ut testatur philosophus libro Politicorum. Vadat ergo Bilaqua et marceat cum aqua sua. Et tu, lector, non mireris si poeta induxit istum tam obscurum in tam nobili materia, et exemplum poetæ studeas imitari. — *Li atti.* Hic poeta ostendit quomodo ex actibus et verbis istius ipse receperit risum et consolationem simul, dicens: *Li atti suoi pigri,* quales fuerunt [3] audivisti, *e le corte parole,* quia dixerat tantum duo verba, quæ fuerant duo scommata sua, *mosser le labra mia un poco a*

(1) S. e E. in errores.
(2) E. Modo ad propositum: ideo iste piger.
(3) S. e E. fuerint.

riso; qui tamen raro vel nunquam erat solitus ridere; sed certe sine risu nunquam potui legere vel scribere istam literam: *poi cominciai,* supple dicere illi: *o Bilaqua,* et est nomen conveniens homini; bene enim Bilaqua ostendebat se nunquam bibisse vinum, ita erat gelidus et tardus, *a me non duole di te omai;* postquam video te salvum. Et continuo petit de causa tarditatis eius, dicens: *ma dimmi: perchè sie' affisso qui ritto?* idest, quare es tu firmatus hic? *attendi tu iscorta?* idest, expectas tu ducem, qui te conducat per montem, sicut ego habeo? *o pur t' hai ripreso,* idest, vel solum resumpsisti, *lo modo usato,* idest, pigritiam quam eras solitus habere semper tecum in vita. — *Et elli.* Hic poeta ponit responsionem Bilaquæ ad petitionem suam, qui non loquitur amplius displicenter, sed reverenter confitens culpam suam; unde dicit: *et elli,* scilicet, Bilaqua, respondit mihi: *o frate,* et amice, *l' andar in su che porta?* quasi dicat: nihil prodest, et ecce causam: *chè l'Angel di Dio che siede su la porta,* sacerdos [1] Domini qui stat in introitu veri purgatorii, ut patet capitulo VIIII, *non mi lascerebbe ir ai martìri,* idest, ad pœnam quæ irrogatur unicuique intra purgatorium, ubi suo tempore purgabor currendo sollicite per circulum accidiosorum, ubi nunc semper sedeo hic; et ecce quare: *prima conven che tanto il ciel m' aggiri,* idest, tantum tempus, *di fuor da essa,* scilicet portam, *quant' io feci in vita,* idest, quanto tempore vixi in mundo; *perch' io indugiai al fine i bon sospiri,* scilicet contritionem et pœnitentiam, *salvo se orazione in prima non m' aita,* breviando mihi terminum; et dicit: *che sorga su di cor che 'n grazia viva,* idest, alicuius justi viventis in mundo vestro, sicut etiam petebat Manfredus in capitulo præcedenti. Et bene dico

---

[1] 117 e E. idest, sacerdos.

in grazia, quia, *l' altra,* scilicet oratio (1) iniusti, *che val,* nihil, *che 'n ciel non è udita?* idest, non exauditur a Deo. Et hic repete illud quod notavi supra II et III capitulo de istis qui videntur stare sine pœna. — *E già.* Hic ultimo poeta claudens capitulum describit recessum eorum a loco isto, dicens: *e già il poeta,* scilicet Virgilius, *innanzi mi saliva,* scilicet per montem, quia videbatur sibi nimis stetisse cum istis pigris; ideo admonebat non esse perdendum tempus (2), *e dicea: vienne omai,* quia tempus est. Ideo describit statim tempus, et videtur breviter dicere, quod jam est hora meridiana in illo hemisperio eorum inferiori, et in nostro jam nox dilatavit se usque ad (3) occidentem. Dicit ergo: *vedi ch' è tocco meridian dal sole,* idest, circulus meridianus est tactus a sole; quasi dicat: est meridies. Quid sit meridianus dictum est plene III capitulo circa principium, *che,* idest, quia vel et quod, *la notte,* procedens ab oriente, *copre Marocco,* idest Mauritaniam, quæ est regio Africæ in fine occidentis, et ponitur pro parte occidentali, *col piè,* quia jam pervenit in occidentem, ita quod dat pedem nocti, *da la riva,* idest, in extremo littore Marochi. Unde nota quod sicut non fit dies æqualiter omnibus, quia prius fit in oriente quam in meridie, et prius in meridie quam in occidente, ita fit nox similiter diversimode.

---

(1) E. oratio invisa, *che.*

(2) 117, tempus; unde dicit: *e dicea.*

(3) E. in occidentem.

CANTUS QUINTUS, *in quo tractat de spiritibus illorum qui fuerunt interfecti sub titulo multorum, et maxime domini Guillielmi de Fano, qui cum Dante multa recitavit, et sub titulo Boncontis, et de modo suæ mortis; et in fine aliqua cum la Pia de Senis recitavit.*

Io era *già da quelle ombre partito.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de tertia specie negligentium pœnitentiam sola pigritia naturali, nunc consequenter agit et tractat de quarta specie eorum, qui distulerunt suam conversionem ad Deum præventi morte violenta. Et totum istud capitulum quintum dividitur in quatuor partes generales. In prima quarum poeta ad complementum tractatus præcedentis describit specialem actum supradictarum animarum erga se, et sui erga illos cum increpatione Virgilii. In secunda describit quartam speciem animarum relegatarum extra purgatorium, et morem earum ad se, ibi: *E intanto.* In tertia describit in speciali animam unius moderni qui narrat modum suæ mortis violentæ, ibi: *Et uno incominciò.* In quarta describit alium spiritum modernum, qui narrat formam suæ mortis violentæ et sepulturæ incognitæ, ibi: *Poi disse un altro.* Ad primum veniens dico, quod poeta ad pleniorem perfectionem tangit adhuc aliquid de materia supradicta. Nec videatur tibi superfluum si poeta reflectit se ad materiam pertractatam; nam si hoc non fecisset, ordo datus videbatur imperfectus, quia per totum infernum non invenit sectam aliquam, quæ non miraretur quod ipse vivus iret per terram mortuorum; et illud idem reperit in purgatorio hucusque. Et quia de admiratione istorum

pigrorum nihil dixerat, ideo nunc plene hic addit. Dicit ergo continuans se ad præcedentia: *Io era già partito da quell' ombre,* scilicet, illorum pigrorum qui stabant cum Bilaqua, quia satis videbatur dictum de materia tam vili, *e seguitava l' orme del mio duca,* scilicet vestigia Virgilii qui præcedebat me sursum, et vocabat ad altiorem materiam, *quando una,* illarum animarum, *gridò diretro a me,* bene dicit, quia ipse recedebat, et illi pigri remanebant in sessione sua, *drizzando il dito,* ostendens me aliis, quia nullus istorum adhuc perpenderat de umbra eius, quia erant ita lenti et tardi animo sicut corpore, et quia attente notaverant ipsum loquentem cum Bilaqua. Et ecce quid dixit: *ve', che non par che lo raggio,* scilicet solis, *da sinistra,* idest, qui est a sinistra, *luca,* idest, luceat in dexteram, *a quel di sotto,* propter umbram corporis, et per consequens videtur vivus; unde dicit: *e come vivo par che si conduca,* respirando post ducem suum. Et ostendit poeta quod valde placuerit sibi videre et audire, quod haberetur in tanta admiratione; unde dicit: *gli occhi rivolsi,* cum animo læto, *al suon di questo motto,* quod cedebat in laudem meam, *e vidile guardar per meraviglia pur me, pur me,* et nullum alium propter vitam, *e 'l lume ch' era rotto,* propter umbram. Et hic nota, lector, quod istud capitulum, quod multis videtur clarum, habet in se multos passus obscuros, ut patebit. Et ecce primo non debes intelligere ita nude, quod isti mirarentur de eo, quod poeta erat vivus, et quod ipse de hoc gloriabatur, et Virgilius de hoc increpuit eum. Isti enim merito mirabantur de Dante qui erat vivus inter tot mortuos, quia ante tempus (1) mortis venerat ad purgatorium ad emendandam vitam vitiosam; mirabantur etiam quod erat sapiens inter tot

(1) E. tempus venerat.

ignorantes; nam secundum philosophum conscii propriæ ignorantiæ admirantur sapientes homines; et solus faciebat tam sanctum opus, per quod invitabat viventes adhuc in mundo, ut exemplo sui venirent ad conversionem dum tempus haberent. Ipse autem audiens voces istorum, quæ sonabant laudes eius, gloriabatur audire eos, et libenter audiebat dici, quod ipse solus erat vir singularis excellentiæ, et qui non haberet (1) parem, ubi debebat potius cum apostolo dicere: gratia Dei sum id quod sum. — *Perchè.* Hic poeta ostendit qualiter Virgilius perpendens quod ipse inflammabatur (2) vanis laudibus istius multitudinis imperitæ, increpuit rigide eum; unde dicit: *disse 'l maestro,* scilicet, Virgilius, qui habebat corrigere errores meos: *Perchè l' animo tuo tanto s' impiglia?* idest, implicat se aliis rebus vanis, cum ex proposito tendat ad virtutem; ideo, *che l' andare allenti,* idest, retardas; et dicit: *che ti fa ciò che quivi si pispiglia?* idest, quid confert virtuti id quod isti de te loquuntur tacito murmure? quasi dicat: nihil, imo potius derogat et retrahit (3) te. Et hic nota quod Virgilius juste increpat Dantem hic, qui (4) videbatur gloriari laudibus vulgarium ignarorum, quia vir sapiens non debet magnipendere vanum judicium vulgi; ideo bene dixit Fabius Maximus, vir sapientissimus, Paulo Æmilio nobilissimo: *gloriam vanam qui spreverit, veram habebit,* ut scribit Livius: et Augustinus de Civitate Dei: *Virtutes habenti magna virtus est spernere gloriam.* Unde Persius poeta eleganter dixit: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter; at pulcrum est digito monstrari, et dicere hic est.* Quod dictum a multis male intelligitur: loquitur enim Persius ironice, quasi dicere volens: o homo (5) valens, putas tu tuam scientiam esse nullam si

(1) E. habebat. (2) E. e 117, inflabatur. (3) 117, detrahit.
(4) E. quia. (5) E. o homo, putas.

fama tua non prædicatur ab aliis? et reputas tu tibi ad gloriam si monstraris digito in populo, et de te dicatur inter homines: Hic est ille? Ad propositum ergo, vult nunc Virgilius dicere Danti: popularis auræ vile mancipium non te moveat vulgi stupor; nam melius et tutius est fieri clarum virtute, quam fama talium. Non est vera virtus cui testimonium conscientiæ non sufficit. Et dat Virgilius optimum consilium Danti, dicens: *vien dietro a me,* qui duco te ad virtutem, non ad inanem gloriam istorum vilium, quasi dicat: consule judicium rationis, non vulgi, in examinando te; unde dicit: *e lascia dir le genti,* quotiens putas hoc accidisse nostro poetæ dum transiret per terras Italiæ, quod oculi omnium convertebantur in eum et ora omnium loquebantur de eo, et ipse in animo complacebat sibi. Ideo contra ventum istum dicit: *sta', come torre, fermo,* scilicet constans et fortis, *che non crolla giammai la cima,* sicut tu volvebas modo caput, *per soffiar di venti,* idest, gloriæ vanæ quæ recte assimilatur vento, ut dicetur infra: et assignat causam sui dicti dicens: *che sempre l' uomo in cui pensier rampolla,* idest, repullulat, *sopra pensier,* quasi dicat: quando cogitamen [1] vanum nascitur supra cogitamen bonum impedit acquisitionem primi; ideo dicit: *da se dilunga il segno,* idest, finem principaliter intentum, quasi dicat, perdit substantiam pro accidente; et ecce quare: *perchè la foga,* idest, pressura, *de l' altro,* scilicet, cogitaminis secundario advenientis, *insolla l' un,* idest, privat, vel debilitat primum. — *Che potea.* Hic poeta ostendit suam bonam correctionem ad increpationem Virgilii, quia fecit more boni viri, qui non indignatur et non nititur excusare errorem suum, imo reverenter et prudenter subiicit se correctioni et paret præcepto. Di-

[1] E. cogitamen nostrum vanum.

cit ergo interrogative: *che potea io ridir?* quasi dicat: quid poteram de jure aliud respondere, *se non, io vegno,* scilicet post te? ergo *dissilo, alquanto consperso del color,* idest, respersus rubore verecundiæ, *che fa l'uom di perdon tal volta degno.* Et nota quod in hoc poeta ostendit se nunc vere ire per purgatorium, quia tam cito et tam faciliter pœnitet; nam pudor et dolor sunt duæ præcipuæ scalæ, quibus homo ascendit purgatorium. Sed certe, lector, hic tacere non possum, quia invenio omnes autores, puta philosophos, poetas, oratores, historicos eodem errore laborare, quia omnes clamant, latrant, disputant contra vulgus. Unus dicit vulgus indoctum, alter vulgus insanum, alius vulgus vanum, alius vulgus mobile, et ita de mille; et omnes damnant judicia vulgi, opiniones, sententias, mores, vitam, dicta et facta vulgi; et tamen in mala hora omnes quærunt arte et ingenio, labore et studio favorem vulgi, laudes, famam, honores, sicut facile patet. Ad propositum ergo poeta noster erubuit sentiens se juste increpari de eo quod vane gaudebat nunc vanis vocibus istorum plebeiorum.

E intanto. Ista est secunda pars generalis in qua poeta describit novam sectam animarum, quæ supervenit cantans devote. Dicit ergo: *E intanto,* idest, interim me sic confitente errorem meum, *gente,* idest, novum genus hominum diversum ab (1) his quos dimittebamus, quia illi stabant, isti ambulabant; illi fuerant valde frigidi et timidi, isti multum calidi et audaces, *venian innanzi a noi un poco per la costa di traverso,* non per viam rectam, quia non poterant ascendere sursum ad purgatorium, *cantando: Miserere.* Hic nota quod David fecit hunc psalmum, cum nimis graviter offendisset Deum, de quo psalmo dicetur magis proprie Paradisi capitulo XXXII.

(1) S. e E. ab aliis, quod dimittebamus.

Isti autem graviter offenderant Deum, nec pœnituerant in vita sicut David; ideo merito suppliciter implorant divinam misericordiam confitentes culpas suas dicentes simul illud David: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* etc. Deus enim ut dicit devotus Bernardus, dicitur Pater misericordiarum, non ultionum vel judiciorum, quia miserendi causam et originem sumit ex proprio, ulciscendi autem magis ex nostro, imo quadam justitia videtur misereri, quia impia est justitia quæ humanæ fragilitati non novit ignoscere. Et dicit: *a verso a verso.* Ad quod nota quod David scripsit psalmos suos sub lege metri, sicut et Jeremias planctus. Unde Arator poeta dicit (¹): *Metrica vis sacris non est incognita libris Psalterium lyrici composuere modi.* Nota etiam quod David fecit centum quinquaginta psalmos, et versus duo millia sexcentos sex (²). Unde versus: *Ter quinquagenos David canit ordine psalmos, Versus bis mille sexcentos sex canit ille.* De quibus psalmis septem appellantur spirituales, sive pœnitentiales; ad quorum similitudinem Petrarcha noster fecit alios septem; et unus devotissimus, qui magis videtur vocare Deum ad misericordiam, est iste psalmus: *Miserere.* Ideo bene isti tendentes ad pœnitentiam cantant istum psalmum pœnitentialem, et isti similiter admirati sunt de Dante vivo. Unde dicit, quod isti *quando s' accorser ch' io non dava loco al trapassar de' raggi,* scilicet, solarium, *per lo mio corpo,* quod non erat pervium, et ideo faciebat umbram, *mutar lor canto,* scilicet devotionis, *in un O lungo e roco,* quod fuit signum admirationis, quia cœperunt omnes pariter clamare: o quale miraculum quod unus vivus vadat

(¹) E. dixit.

(²) E. sex: unde dicitur: *Ter.*

per purgatorium! Et vere mirabile videbatur eis, quia iste solus inter eos non distulerat emendationem suæ vitæ ad senectutem vel mortem, imo in medio itinere vitæ humanæ redibat ad virtutem et salutem. — *E duo.* Hic poeta ostendit qualiter duo principales ex acie illa præcucurrerunt ad explorandum qui ipsi erant; unde dicit: *E duo di lor;* isti duo forte erant quidam dominus Jacobus del Cassaro et Bonconte de Montefeltro, *in forma di messaggi,* tanquam missi pro parte cæterorum, *corsero,* scilicet per costam, *contra noi;* isti duo cucurrerant (¹) multum tempore noctis, unus eques, alter pedes, ut evaderent a morte, quorum unus promptus (²) lingua, alter manu, ut statim dicetur; ideo nunc velociter pervenerunt, *e dimandarne: di vostra condizion fatene saggi;* quia videbantur magnæ autoritatis isti duo magni poetæ, et unus eorum erat vivus. Et continuo ponit responsionem Virgilii ad illos dicens; *e 'l mio maestro,* scilicet Virgilius, dixit eis, nam Virgilius semper assumit (³) partes Dantis, quando dictum cedit ad laudem eius, quia laus in proprio ore sordescit: *Voi potete andarne,* ne perdamus tempus, *e ritrarre,* idest, referre, recitare, *a quei che vi mandaro,* ad nos, *che 'l corpo di costui,* qui sequitur me, *è vera carne,* idest, non fictitia, et ideo: *se,* idest, si, pro quia, *restaro per veder l' ombra sua,* quia firmaverant se, *com' io avviso,* bene extimabat Virgilius quod isti mirarentur de eo de quo cæteri, *assai èe lor risposto,* nec est opus pluribus verbis; et ideo: *faccianli onor,* quia magni poetæ honoraverunt eum in inferno, ideo isti multo magis qui sunt salvandi; et dicit; *et esser può lor caro,* quia iste tanquam poeta magnus potest dare eis longam famam, et

---

(¹) 117, cucurrerunt.
(²) 117 e E. fuit promptus.
(³) E. assumpsit.

quia potest rogare pro eis quia est in statu gratiæ positus. — *Vapori.* Hic poeta describit celerem reditum istorum duorum ad suos per nobilem comparationem. Ad cuius declarationem oportet primo notare, quod sicut scribit philosophus libro Methaurorum, vapores attracti a terra ascendunt plus et minus secundum eorum qualitatem; quidam enim sunt ita materiales et grossi quod non excedunt mediam regionem aeris, sed ibi congelantur a frigore, vel resolvuntur et cadunt; quidam sunt subtiliores et magis ascendunt, quorum aliqui sunt ita viscosi, quod non possunt resolvi in ventum, sed ascendunt in tantum quod propter vicinitatem speræ ignis et motuum accenduntur, et si sunt modicæ quantitatis cito cadunt, et per motum eorum videtur quod cœlum aperiatur, et plus non faciunt; sed si sunt magnæ quantitatis multum tardant ad resolvendum, aliquando per plures dies, aliquando per plures menses, sicut cometæ, de quibus dicetur alibi. Ad propositum ergo poeta facit hic comparationem de illis vaporibus qui sunt modicæ quantitatis et materiæ subtilioris et viscosæ. Ad literam ergo: dicit ipse: *non vid' io mai vapor accesi fender sereno,* quia hoc accidit in æstate, *di prima notte,* scilicet in sero. Et facit etiam comparationem de nubibus, quæ per caliditatem aeris descendunt ad terram, quasi expulsæ a dicto calore; et hoc accidit sæpe de mense augusti, quando sol est in leone, vel prope canem maiorem, qui eo tempore ascendit cum sole, ut patet per Albumasar in suo Introductorio. Dicit ergo: *nè sol,* idest, nec vidi solem scandere [1] serenum, *calando nuvole,* idest, cadentibus nubibus expulsis, *d' agosto;* et applicat utramque comparationem ad propositum, dicens: *che color,* scilicet, duo nuncii, *non tornasser suso in meno.*

---

[1] 117 e E. scindere.

Per hoc ostendit quod redierunt in instanti, tum quia erant velocissimi de se, tum quia facti erant avidi ex verbis Virgilii, audito quod iste erat unus vivus, qui poterat breviare eis tempus et longare famam, sicut videbis quod ipse faciet memoriam perpetuam de his duobus. Et est comparatio valde propria de spiritibus istis calidis, subtilibus [1], ad vapores subtiles, accensos, leves; et ita ad nubes veloces, quæ subito currunt per aerem, sicut nunc isti, imo sine comparatione velocius iverunt et redierunt, quam aliqui vapores ascendant, quia animæ sunt incorporeæ; ideo bene dicit, quod numquam vidit tantam velocitatem. Et tangit quid fecerunt, dicens: *e giunti là, dier volta a noi con gli altri,* idest, cum cætera multitudine magna valde, quæ facta est avida, audita re tam mirabili, a simili, *come schiera che corre senza freno,* idest, sine ordine aliquo absque eo quod unus differret [2] alteri, et ita isti fuerant ardentes spiritus effrœnati in vita. — *Questa.* Hic poeta ostendit consilium Virgilii circa istam turbam numerosam servandum, ne expendatur nimium temporis inutiliter, dicens: *disse 'l poeta,* scilicet, Virgilius: *questa gente, che preme,* idest, cum pressura venit, *a noi,* avida videndi et audiendi te, *è molta,* quia, ut per se patet, multi sunt et innumerabiles illi qui interficiuntur tota die, quorum multi, si supervixissent diutius, forte venissent ad pœnitentiam ante mortem; *e vegnonti a pregar,* sicut statim videbis in tribus spiritibus, qui precabuntur Dantem, ut ipse precetur pro eis; et de multis aliis dicetur in principio sequentis capituli, unde nimis haberes facere, *però pur va',* idest, non remoreris, *et in andando ascolta,* quia non est hic opus magna speculatione animi in ascultando istos, sicut supra in audiendo regem Manfredum, cum

---

(1) 117, subtilibus, velocibus ad vapores. (2) S. e E. deferret.

quo nimis ([1]) temporis expendisti. — *O anima.* Hic poeta describit orationem istorum venientium, qui captantes benevolentiam faciunt petitionem suam; unde dicit: et illæ animæ, *venian gridando,* a longe, *o anima,* et bene dicunt, quia Dantes cum animo ibat per regionem mortuorum, licet vivens adhuc cum carne, *che vai per esser lieta,* quia scilicet, tendis ad cœlum per purgationem peccatorum, *con quelle membra con le quai nascesti,* quod est singulare donum Dei, *un poco il passo queta,* idest, remorare modicum. Et adverte hic quod ista litera non videtur bene sonare, quia, ut jam dictum est, animæ istæ erant velocissimæ, et uno momento attigissent Dantem tardissimum gravitate corporis. Dicendum breviter, quod non oportebat quod Dantes arrestaret se propter expectare, sed quia non videbatur dignari ascultare eos eundo continuo. Unde dicunt: *guarda, s' alcun di noi unqua vedesti,* scilicet viventem in mundo, *sì che di lui di là novelle porti.* Et quia poeta, juxta præceptum Virgilii, non se arrestabat, et non se revolvebat ad eos, dicunt suppliciter: *Deh!* quæ est dictio deprecativa, *perchè vai,* idest, quare non cessas ab eundo? *deh perchè non t' arresti?* Et videntes, quod Dantes non videbatur flecti ad preces eorum, ut moveant ipsum ad commiserationem narrant eorum miserabilem mortem, et dicunt: *noi fummo già tutti per forza morti,* idest, interfecti, et viri valentes mundo, *e peccatori infino all' ultima ora,* sine pœnitentia in vita, et tamen meruimus veniam apud Deum; unde dicit: *quivi,* scilicet in ultimis, *lume del ciel,* idest, gratia Dei, *ne fece accorti;* et bene dicit, quia singularis gratia Dei est in talibus, cum dicat Augustinus: *Hac animadversione concutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.*

([1]) E. nimium.

Et vide quomodo isti bene persuadent poetæ: videntur enim dicere tacite: Deus non reiecit [1] nos precantes in extremo, et tu non [2] videris dignari velle videre vel audire nos. Et tamen poeta non faciebat hoc ex arrogantia, sed ex obedientia; ideo solum ambulando audivit [3] verba paucorum. Et ecce quomodo illuminati sunt in morte: *sì che pentendo,* peccatorum nostrorum, *e perdonando,* occisoribus nostris, *uscimmo fuora di vita,* idest, mortui sumus feliciter, *a Dio pacificati,* idest, reconciliati, cui eramus rebelles, *che,* idest, qui Deus, *n' accuora,* idest, anímat, *del disio,* idest, desiderio, *di sè veder,* in quo solo est felicitas, sed non possumus adhuc ire, sicut tu vadis. — *Et io.* Hic poeta ostendit qualiter tandem violentatus precibus istorum violenter interfectorum, reddiderit se placabilem et favorabilem his. Unde dicit excusans se: *Et io:* scilicet, dixi: *perchè nei vostri visi guati,* idest, quamvis respiciam in facies vestras, *non riconosco alcun,* quem viderim in vita, intellige, dignum nota, de quo velim facere memoriam; et tamen offert se totum ad vota eorum ex caritate, dicens: *ma se a voi piace cosa ch' io possa, spiriti ben nati,* postquam estis salvati, *voi dite, ed io farò,* quia videmini mihi viri honorabiles, et jurat, *per quella pàce,* scilicet, æternam, *che mi si face cercar,* cum tot laboribus, *di mondo in mondo,* quia primo percucurri regnum peccatorum, nunc percurro regnum pœnitentium, ut sic tandem perveniam ad regnum beatorum, *dietro a' piedi,* idest, post vestigia, *di sì fatta guida,* idest, tam excellentis poetæ.

Et uno incominciò. Ista est tertia pars generalis in qua poeta agit et tractat de uno spiritu moderno in speciali, qui procuravit sibi mortem sua temeritate. Et ad

---

(1) E. reicit.
(2) E. non dignaris videri velle nos videre vel audire. Et.
(3) E. audivit peccatorum verba paucorum.

intelligentiam huius literæ, quæ est satis male intellecta apud extraneos ([1]), volo te scire, quod Azo III marchio estensis magis famatus fuit apud modernos quam Azo II vel I, non ratione maioris virtutis sed potentiæ et magnificentiæ: fuit enim dominus Ferrariæ, Mutinæ et Regii, et cognatus regis Roberti ([2]), cœpit grave bellum contra civitates Parmæ et Bononiæ, quæ tunc temporis erant florentes et potentes. Causa belli fertur fuisse, quod marchio quærebat dominium Parmæ, sperans per hoc faciliter occupare Bononiam; quapropter bononienses cum parmensibus fecerunt confederationem inter se, ut obviarent conatibus Azonis. Pars illorum de Sancto Vitali de Parma, quæ favebat rebus Azonis, expulsa est cum episcopo, qui erat de domo illa; et marchio indignans ([3]) conabatur reducere eam. Igitur anno Domini MCCXCV marchio convertens totum impetum belli supra Bononiam, invasit eam a duobus lateribus. Nam ex una parte colligavit se cum Maghinardo Pagano domino Faventiæ, et aliis ghibellinis de Romandiola, scilicet cum Scarpetta de Ordelaffis de Forlivio, Ugucione ([4]) de Fazola et Lambertatiis exulibus Bononiæ. Maghinardus, contractis undique auxiliaribus cum subsidio equestri et pedestri Azonis, venit contra Imolam, quam tunc tenebant bononienses, numero quatuor millia: qui exiverunt obviam, ut impedirent transitum fluminis Santerni, quod tunc intumuerat valde, sicut est de more illius fluvii. Sed Maghinardus audax et intrepidus compresso impetu aquæ, cum fortibus equis, sicut olim Cæsar in transitu Rubiconis, transivit flumen, et bononienses convertit in fugam, et Imolam cepit, capta magna parte bononiensium. Ex altera parte marchio faciebat reædificari unum castellum nomine Bazanum,

([1]) E. externos.
([2]) E. Roberti: quo tempore cœpit.
([3]) 117, indignatus.
([4]) E. Uguiccione de Fazola.

quod ex antiquo pacto facto inter bononienses et mutinenses debebat stare destructum perpetuo. Sed bononienses, qui iverant ad impediendam ædificationem [1], audito sinistro rumore Imolæ, reversi sunt. Et sic eodem die Imola perdita est, et Bazanum reædificatum contra bononienses: unde dictum est: *Quam propriam norat, Imolam Bononia plorat: Azo Bazanum relevat quod marchio planum.* Igitur Azo lacessens et lacessitus bello, cum non videretur posse consequi victoriam speratam procuravit sibi magnos amicos. Et fecit [2] magnam partem in Bononia et breviter eo res deducta est, quod qui regebant rem publicam Bononiæ, cœperunt vocare rectores et officiales de parte ghibellina, quia guelphi erant favorabiles [3] marchioni; sed postea in brevi fecit pacem primo cum parmensibus, deinde cum bononiensibus. Tempore igitur belli bononienses elegerunt in Potestatem eorum ad jura reddenda nobilem militem dominum Jacobum del Cassaro de civitate Fani. Qui vir temerarius, et qui non bene didicerat regulam juris: potentioribus pares esse non possumus; semper obloquebatur temere de dicto domino, semper vocans eum proditorem estensem, qui reliquerat ghibellinos Romandiolæ. Marchio sæpe audiens hæc et indignans dixit: certe iste agaso Marchianus non impune feret [4] imprudentiam suam asininam, sed castigabitur fuste ferreo. Dedit ergo operam, quod certi famuli idonei ad hoc persequerentur illum, quocumque pergeret, finito officio Bononiæ. Cum autem ille iret de Venetiis Paduam in confinio territorii veneti et paduani, invasus a famulis qui latebant in insidiis, nesciens quo fugeret, ignarus viarum et locorum, trucidatus est, ut aperte tangitur in litera. Nunc ad literam; dicit poeta: *Et uno,* scilicet præ-

[1] E. illius ædificationem.
[2] E. facta magna parte in Bononia, breviter.
[3] 117 e E. favorabiliores.
[4] S. ferret.

dictorum spirituum, qui erat Jacobus del Cassero, *incominciò,* supple, dicere, captans benevolentiam: *ciascun si fida del beneficio tuo,* quod tu offers, *senza giurarlo.* Et hic nota, quod juramentum non (¹) debet fieri nisi urgente necessitate; nec tunc debet quis jurare per creaturam, sed per creatorem, quia juramentum est species latriæ, idest, divini cultus. Cum enim homo jurat, invocat Deum in testem quod verum dicit; et in hoc præstat reverentiam Deo. Nota etiam quod simplex verbum in viro sapiente debet habere plus autoritatis quam sacramentum in viro vulgari. Et dicit: *pur che 'l voler non possa non recida,* vult dicere: dummodo impotentia non impediat voluntatem, quasi dicat: si habueris facultatem, sicut habes voluntatem. Et hic nota, quod tria secundum philosophum concurrunt ad executionem omnis effectus, scilicet, voluntas, scientia et potestas, sicut autor jam dixit Inferni capitulo XXXI. Potest enim quis habere voluntatem et (²) potentiam, et tamen, quia non habebit (³) scientiam, non habebit effectum; potentia enim ducit aptitudinem, et non actum, ut cum quis est actus natus ad doctrinam, quia potest discere mediante exercitio et studio; sed poeta hic, sicut et Boetius, capit potentiam perfecte, quæ præsupponit scientiam; nam frustra est potentia quæ non potest reduci ad actum, et frustra est calceamentum cuius non est calceatio, ut utrumque dicit philosophus. Et rogat iste spiritus pro se dicens: *ond' io, che solo innanzi agli altri parlo,* tamquam avidior, *ti prego, se mai vedi quel paese,* scilicet, Marchiam Anconitanam, *che siede,* idest, situata est, *tra Romagna,* a parte occidentis, *e quel di Carlo,* idest, et regnum Caroli II qui tunc regnabat, *che tu mi sii de' tuoi prieghi cortese,* idest, ut roges Deum pro me,

(¹) 117, non potest fieri.
(²) 117, et potestatem sive potentiam.
(³) S. habet.

ut citius possim pervenire ad purgatorium, *in Fano.* Et hic nota quod Fanum est civitas satis amœna in litore maris Adriaci in introitu Marchiæ Anconæ, fertilis vino et oleo, sed non hodie hominibus civilibus; quæ sic denominata est, quia fanum græce, latine dicitur templum. Ibi enim fuit olim templum famosum Fortunæ, quæ modicum favit isti suo civi nunc. Falsum ergo dicit Gotifredus Viterbiensis, sicut et alia multa, quæ scribit in suo libro, qui dicitur Pantheon, quod apud Fanum fuit olim templum Dei Fauni, ad quod visitandum veniebant olim peregrini de partibus Galliarum etc. Et dicit: *sì, che ben per me s' adori,* non fortunæ, sed uni vero Deo, in cuius manu est natura et fortuna, *perch' io possa purgar le gravi offese,* idest, ut possim pervenire ad purgatorium, et purgare peccata mea, quibus graviter offendi Deum. — *Quindi.* Hic dictus spiritus specificat locum suæ originis, et violentæ mortis, dicens: *fui io,* idest, de prædicta civitate fanensi; *ma li profondi fori,* idest, foramina et vulnera multa facta mihi, penetrantia totum corpus, *onde,* idest, ex quibus foraminibus, *uscì il sangue,* idest, effluxit, *in sul qual,* scilicet, sanguine, *io sedea,* idest, vivebam, quia sanguis est sedes animæ; unde aliqui philosophi opinati sunt, quod anima esset sanguis, *fatti mi furo in grembo agli Antenori,* idest, in territorio paduanorum, quos sic denominat (1) ab Antenore. Ad quod nota, quod civitas paduana est nobilissima ratione antiquitatis et potentiæ, quoniam, sicut scribit Virgilius primo Eneidos, Antenor post excidium troianæ urbis veniens in sinum maris Adriaci, subiugavit euganeos populos habitantes in montibus; cuius rei indicium adhuc est (2), quod villa prope Paduam usque in hodiernam diem vocatur Burgegania, quia ex Burgensibus Euganeo-

(1) 117, denominavit.

(2) E. adhuc est opinio; quia villa.

rum condita est. Primum ergo nomen huius urbis fuit Euganea; deinde vocata est Patavium, demum Padua. Est etiam potentissima ab olim. Quam olim invasit Cleoninus rex Illyrii ([1]), idest, Sclavoniæ; sed male sibi cessit, sicut scribit Titus Livius paduanus, nobilissimus historicorum. De hac dicetur alibi capitulo IX Paradisi. Et dicit: *là dov' io più sicuro esser credea:* quia inter Venetias et Paduam, duas florentissimas urbes, ubi solet iter esse tutissimum. Et subdit autorem suæ mortis, dicens: *quel da Esti,* idest, Azo marchio estensis, *il fe far,* per famulos suos; et qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Et hic nota, quod Estum ([2]) est nobilissimum castrum antiquum et fertile, distans a Padua per viginti quinque milliaria, unde olim traxit originem, et denominationem clarissima domus illustrium marchionum estensium, per multa secula florens, et ubique famosa, quæ dignissime denominatur ab Est. Hoc enim solum verbum *est,* appellatur verbum substantivum, ubi cætera appellantur accidentalia; imo, ut theologi volunt, istud verbum *est* proprie prædicatur de solo Deo. Ista ergo domus estensis sola est in flore inter domos antiquas istius partis Italiæ, quales fuerunt domus de Camino, de Romano et similes. Et dicit: *che m' avea in ira,* et merito, quia ira est appetitus vindictæ, maxime contra parvipendentem, ut vult philosophus; et dicit: *assai più là, che dritto non volea.* Hoc exponunt aliqui, idest, ulterius quam jus exigebat, quia scilicet extra terminos suæ jurisdictionis: tu vero dic, ulterius quam ipse marchio volebat, quia volebat quod hoc fieret Venetiis. Et subdit iste spiritus, quomodo poterat faciliter evadere, si recto cursu fugisset versus Paduam; unde dicit: *ma s' io fossi fuggito invêr la Mira,* quæ est quædam villa ultra

([1]) E. Illyrici, idest rex Sclavoniæ. ([2]) E. Este.

Oriagum per duo milliaria, *quand' io fu' sovraggiunto ad Oriago,* ubi erant insidiantes, *ancor sarei di là, dove si spira,* idest, in mundo viventium. Et vult breviter dicere: si ego arripuissem fugam per ripam fluminis Brentæ, directe versus Paduam, adhuc essem inter vivos, quia poteram faciliter evadere cum equo veloci a manibus illorum peditum, perveniendo cito ad locum habitationis, ubi fuissem tutus, sed contrarium fecit; unde dicit: *corsi al palude,* relicta (1) via recta per transversum, *e le cannucce e 'l brago,* ipsius vallis, *m' impigliar sì,* idest, ita me implicaverunt, *ch' io caddi,* scilicet, ab equo, ubi habilius et tutius me trucidarunt; unde dicit: *e lì vid' io delle mie vene farsi in terra lago,* quia sanguis meus totus effluxit ibi.

Poi disse un altro. Ista est quarta et ultima particula (2), in qua poeta describit alium spiritum modernum, qui fuit nimis audax in prœlio, sicut prædictus fuit nimis temerarius in officio. Dicit ergo: *Poi disse un altro,* idest, alius spiritus captans benevolentiam, *deh!* quasi dicat: deprecor te, *se quel disio si compia,* idest, si illud tuum desiderium adimpleatur feliciter, *che ti tragge all' alto monte;* et sic vide quod adiurat eum per id quod maxime optabat. Poeta enim avide (3) tendebat ad montem, ut posset pervenire ad cœlum et videre divinam essentiam, in qua sola quietatur omne desiderium humanum, *aiuta il mio,* supple desiderium, *con buona pietate,* quasi dicat: cum æque bona caritate similiter roga pro me si unquam contingat, quod post reditum tuum ad mundum, tu vadas in Marchiam ad civitatem Urbini, quia fui nobilior et valentior quam iste sit. Ideo ut reddat poetam sibi benevolum statim describit se a nomine et cognomine, dicens: *io fui di Montefeltro.* Ad

---

(1) S. derelicta. (2) E. pars, in qua. (3) E. maxime tendebat.

sciendum autem quis fuerit iste spiritus, et unde, debes scire, quod Mons Feretrus est quædam contrata in Romandiola, continens in se multas terras, sicut civitatem Sancti Leonis, de qua dictum est in capitulo præcedenti, Samarinum, et alia castella; ex qua contrata habuerunt olim originem comites famosi, vocati usque in hodiernam diem comites de Montefeltro, de quorum primordio non habetur memoria; sed de domo ista multi fuerunt viri strenuissimi ([1]), quorum unum antiquissimum reperio, quemdam dominum Montefeltranum, qui genuit Boncontem, et ex Bonconte natus est Montefeltranus miles. Ex Montefeltrano natus est famosissimus comes Guido, de quo tam multa dicta sunt capitulo XXVII Inferni: ex isto Guidone natus est Boncontes, de quo hic fit mentio, juvenis strenuissimus armorum, qui in conflictu aretinorum apud Bibenam, missus a Guillielmino episcopo aretino ad considerandum statum hostium, retulit, quod nullo modo erat pugnandum. Tunc episcopus, velut nimium animosus, dixit: tu numquam fuisti de domo illa. Cui Boncontes ([2]) respondit: si veneritis ([3]), quo ego, numquam revertemini; et sic fuit de facto, quia uterque probiter pugnans remansit in campo. Dicit ergo iste: *Io son Buonconte;* bonus bellator fuit manu, uti pater ingenio. Ex isto Bonconte non remansit aliqua stirps; ideo dicit, quod nullus est, qui roget pro eo. Unde dicit: *Giovanna,* quæ erat uxor sua, quæ poterat sibi invenire alium virum: *o altri non ha di me cura;* quasi dicat: consortes mei parum curant de mortuis, quia sunt dediti dominiis et potestatibus temporalibus. Nam comiti Guidoni successit comes Federicus, secundus genitus eius, vir valentissimus, qui magis tyrannice tenuit Urbinum, quam aliquis prædecessorum vel successorum

---

([1]) E. strenui, quorum. ([2]) 117, Bonconte retulit. ([3]) S. veniretis.

suorum; unde fuit trucidatus ab urbinatibus. Qui habuit multos filios, scilicet comitem Galasium, comitem Nolphum, et alios, de quibus non prosequor, ne elonger a proposito. Et dicit Boncontes: *perch' io vo tra costor con bassa fronte,* scilicet, ex dolore et pudore; quia nullus est in seculo, qui roget Deum pro me. — *Et io a lui.* Hic poeta ostendit, quomodo inquisiverit a Bonconte de eius sepultura, quæ numquam fuit scita. Et ad declarationem istius literæ, quæ non est bene intellecta, est præsciendum, quod anno Domini MCCLXXXIX, florentini sociato Carolo II qui revertebatur Neapolim, veniens de Aragonia, ubi fuerat captivus, ut dicetur alibi, iverunt contra Aretium cum duce, quem dederat eis dictus Carolus, qui vocatus est Aymericus de Nerbona, vir (1) probus et prudens in prœlio, contractis undique viribus guelphorum de Senis, Luca, Pistorio, Vulterris, et etiam de Bononia. Et inter alios venit in subsidium florentinorum Maghinardus Paganus, vir peritus armorum, de quo dictum est paulo supra. Ex altera parte episcopus aretinus de Ubertinis, Boncomes de Montefeltro, et comes Guido Novellus, tunc Potestas Aretii, cum exercitu venerunt Bibenam, et fidentes viris valentibus, quia habebant secum duodecim electissimos (2), quos Palatinos vocabant, petiverunt pugnam cum florentinis, non timentes numerum hostium, qui erant duo millia equitum et duodecim millia peditum. Ipsi vero habebant solum octingentos equites et octo millia pedites. Ex quo Aymericus de Nerbona (3) fertur dixisse: Aut sumus proditi, aut isti sunt viri insani; et continuo mutavit totum ordinem belli. Aretini tamen parvipendebant hostes temere dicentes, quod florentini molles erant magis familiares Veneris, quam Martis, licet esset antiquus

(1) S. vir bonus, et probus et prudens in prœlio. (2) E. excellentissimos.
(3) 117, Nerbona providus dux belli fertur dixisse.

patronus eorum. Cum autem quidam seniores suaderent, non esse bellandum, unus juvenis aretinus nimis calidus, dixit: Qui timet, fugiat. Tunc miles antiquus florentinus dixit [1]: Neri, Neri, quia sic vocabatur, tu habes rostrum citrinum [2], quasi dicat: tu es nimis juvenis; tu fugies, et ego remanebo. Et ita fuit de facto. Et breviter, ordinatis aciebus, hinc inde cum magna [3] arte concursum est cum tanto ardore animorum, quod primi percussores florentinorum fuerunt feliciter [4] debellati. Tunc Cursius de Donatis, strenuus miles, licet pœna capitis esset moventi se ab acie, magnanimiter ingessit se in hostes transversaliter cum impetu tanto, quod fuit principium victoriæ suorum. Magnis viribus pugnatum est: tandem florentini victoriam obtinuerunt. Ex hostibus occisi sunt plusquam duo millia. Inter alios Guillielmus episcopus, et alius Guillielmus de Paççis, vir strenuissimus, illo tempore nepos ipsius episcopi, et Boncontes de Montefeltro. Ex hac victoria non solum arrogantia aretinorum, sed tota pars ghibellina fuit multum attenuata. Ad literam ergo: dicit poeta, *et io a lui,* supple, dixi illi Bonconti, *qual forza o qual ventura ti traviò sì fuor di Campaldino;* istud prœlium factum est apud Poppium et Bibenam in contrata, quæ dicitur Certus mundus, in planitie, quæ appellatur planities Campaldini; *che non si seppe mai tua sepoltura?* Nam corpus ipsius [5] numquam potuit inveniri; sed poeta fictitie facit sibi sepulturam. Et subdit responsionem Boncontis narrantis formam suæ mortis et sepulturæ. Et primo ostendit, quid traxit eum de Campaldino, describens fluvium ibi vicinum; unde dicit: *et ei rispose,* scilicet, ille Boncontes: *a piè del Casentino,* non longe a Bibena, *traversa*

---

(1) 117, exul dixit. (2) E. citrinum quia tu es.
(3) E. magna deliberatione concursum est.
(4) E. finaliter. — 117, faciliter. (5) E. eius.

un' acqua, idest, fluvius, *ch' ha nome l'Archiano,* et tangit originem illius aquæ, dicens: *che sovra l'Ermo nasce in Apennino.* Ad quod nota, quod inter Aretium et Florentiam in contrata Casentini est quædam devotissima solitudo, ubi est eremus sancta camaldulensis, quam fundavit ibi vir venerabilissimus ([1]) Romualdus de Ravenna, institutor illius ordinis nobilis; de quo viro et ordine dicam plene Paradisi capitulo XXII. Ideo vide quod poeta nostet volens magnificare istum parvum fluviolum, de industria fecit mentionem de ista nobili eremo, quæ vere locus est notabilissimus ([2]). — *Là ove.* Hic Boncontes præmissa descriptione fluvii explicat locum suæ mortis, dicens: *io forato nella gola,* idest, vulneratus ad mortem, *fuggendo,* a conflictu, *a piede,* perdito equo in prœlio, *e sanguinando 'l piano,* scilicet Campaldini, *arrivai là 've 'l vocabol suo diventa vano,* idest ad faucem, qua Archianus intrat in Arnum, quia ibi perdit nomen suum. Et dicit: *quivi,* idest, in fauce dicti fluminis, *perdei la vista e la parola e finì,* scilicet, vitam, *nel nome di Maria,* idest, invocans beatam Virginem, quæ est mater misericordiæ, in qua habebam devotionem, *e quivi caddi,* scilicet mortuus,. *e rimase la mia carne sola,* scilicet sine anima. Et subdit Boncontes qualiter in ista contritione salvatus est dicens: *io dirò il vero, e tu il ridii tra i vivi,* idest, referas hoc in mundo cum lingua et penna ad exhortationem omnium, ut numquam desperent, licet fuerint peccatores usque ad mortem, et habeant spem in Maria; *l'Angel di Dio,* idest, Angelus bonus, *mi prese, e quel d'inferno,* Angelus malus, *gridava: O tu dal ciel,* idest, Angele Dei, *perchè mi privi?* scilicet, jure meo: *Tu te ne porti di costui l'eterno,* idest, animam, quæ est immortalis, facis salvam, et portas in navi ad purgatorium.

([1]) 117, nobilissimus. ([2]) E. nobilissimus.

Ita videbatur isti in extremo quod Angelus bonus persuaderet sibi quod pœnitentia nunquam posset esse tarda, quia latro de cruce transivit ad paradisum; malus vero in contrarium reclamabat (1), dicens: ah fatue, credis tu, cum semper fueris longe a Deo, nunc salvari in instanti? unde dicit: *per una lagrimetta che 'l mi toglie,* idest, quæ eripit mihi illud quod est æternum in isto. Et dicit Angelus malus: *ma io farò altro governo,* quasi dicat, malam tractationem, *dell' altro,* scilicet, de corpore mortali, quia anima separatur tanquam perpetuum a corruptibili, ut dicit philosophus libro de anima. — *Ben sai.* Hic Boncontes vult narrare suam sepulturam ignoratam, et descripturus pluviam et tempestatem violentam, quam dæmon excitavit malitia sua ad faciendum ludibrium de corpore, præmittit generationem pluviæ naturalem. Et ad intelligendam istam literam debes primo notare, quod sicut scribit philosophus libro Methaurorum, et Albertus magnus ibi, aer est distinctus in tres regiones, sive partes, quarum superior est calida quia est contermina igni; inferior etiam est calida propter refractionem radiorum qui refranguntur in superficie terræ; media vero, quæ vocatur interstitium, est frigida, quia distat ab igne et terra, et radii solis cito transeuntes parum calefaciunt eam. Sol ergo cum radiis suis attrahit vaporem humidum, a mari et terra usque ad istam regionem mediam frigidam, quæ condensatur in nubem, quæ deinde resolvitur in guttas. Poeta ergo valde breviter et clare tangit hic generationem pluviæ naturalem, dicens, quod sicut natura operatur in emissione pluviæ, ita nunc fecit diabolus sua opera; unde dicit: *Ben sai,* quasi dicat: scire debes tanquam philosophus naturalis, *come si raccoglie nell' aere,* idest, qualiter congregatur in secunda

(1) S. reclamat.

regione aeris, *quel vapor umido,* idest, grossus, *che 'n acqua riede,* idest, resolvitur, *tosto che 'l sale,* idest, quam cito ascendit, *dove freddo il coglie,* idest, ad secundam regionem aeris frigidam; ita nunc Angelus malus sua arte fecit unam pluviam innaturalem; unde dicit: *quel mal voler,* scilicet, prædictus dæmon, *che pur mal chiede con l' intelletto,* idest, qui semper quærit facere malum cum intellectu suo sagaci, quia ita est obstinatus, quod nunquam potest velle nisi malum, sicut bonus (1), est ita confirmatus, quod nunquam (2) potest velle nisi bonum, *giunse e mosse il fumo,* idest, concitavit nebulam, *e 'l vento;* et ecce quomodo potuit hoc facere, *per la vertù che sua natura diede,* quia licet Angelus malus fuerit privatus gratia retinuit tamen scientiam et potentiam naturalem, ita quod potest faciliter movere aerem et aquam, et turbare alia elementa. Et hic nota quod poeta noster data opera fecit hic istam fictionem de pluvia quam excitavit dæmon, ut notaret aliquid de potentia dæmonis, de qua Augustinus multa scribit, et Albertus magnus in suo libello de potentia dæmonis. — *Indi.* Hic prosequitur materiam inchoatam de pluvia, et vult breviter dicere quod dæmon fecit magnam nebulam, ex qua magna pluvia nata est; ita quod aqua magno impetu detrusit corpus Boncontis in Arnum, ubi sepultum fuit sub glarea. Construe sic literam, quæ videtur valde intricata: *Indi,* idest, deinde ille dæmon, *coperse la valle di nebbia al gran giogo,* idest, usque ad Apenninum; vel secundum aliam literam: *la valle coperse il gran giogo di nebbia,* ita quod nebula incœpit a valle et pervenit ad montem. Unde nota hic quod quando nebula a montibus descendit in valles indicat serenitatem; et e converso significat pluviam, sicut hic; quod his versibus

---

(1) 117, bonus Angelus. (2) 117, nunquam vellet nisi.

confirmatur: *Cum terras nebulæ pulsant lux clara propinquat; Æthera cum densant imbribus arva rigant.* Et hoc dico factum est de nebula, *come 'l dì fu spento,* idest, statim cum recessit, *da Pratomagno.* Hic debes scire quod Pratummagnum est una magna montanea, quæ recedit a recto colle Apennini a meridie, et videtur tantæ altitudinis quantæ Apenninus; ideo sol videtur tardius recedere ab illo monte, et in isto monte est alia magna eremus Vallis Umbrosæ; ideo poeta libentius (¹) fecit mentionem de Pratomagno. Scias etiam quod Pratum (²) est pulcerrimum castrum inter Florentiam et Pistorium, de quo dictum est Inferni capitulo XXVI. Est et aliud Pratum quod dicitur vetus in Casentino juxta Arnum non longe a Pratomagno. Et dicit Boncontes: et ille dæmon, *fece el ciel intento di sopra,* idest, fecit aerem intinctum et obfuscatum magna caligine nebulæ, vel superimposuit frigus deprimendo nubes, ex quo facta est pluvia; unde dicit: *sì che l' aire pregno,* scilicet, nubibus, *si converse in acqua,* et ideo, *la pioggia cadde, e ciò che di lei,* idest, quidquid illius pluviæ, *la terra non sofferse,* idest, terra plana non substinuit, non imbibit, *venne ai fossati, e si ruinò,* scilicet, illud totum aquæ fluxit, *vêr lo fiume reale,* idest, Archianum, *tanto veloce,* cum magno impetu, *che nulla la ritenne,* illud totum superfluum aquæ, *come ai rivi grandi si convenne,* qui portabant aquam in Archianum. Et ecce effectum: *l' Archian rubesto,* idest, robustum et forte tantis viribus aquarum veniens, *trovò lo corpo mio,* idest, mei Boncontis, *gelato,* morte violenta, quia in eo non remanserat sanguis, et aqua violenta, *in su la foce,* ipsius (³) fluminis, ubi intrat Arnum, *e sospinse quel,* idest, et impulit ipsum corpus, *nell'Arno, e sciolse al mio petto la*

(¹) 117, potius. (²) S. Prato est. (³) E. scilicet ipsius.

croce, ch' io fei di me, idest, quam crucem ego feci de brachiis meis in memoriam passionis Christi ([1]), *quando il dolor,* scilicet, mortis, *mi vinse: voltommi per le ripe e per lo fondo,* ipsius Arni, *poi mi coperse e cinse,* scilicet supra et circa, *di sua preda,* mixta cum aqua. Et sic Boncontes respondit de sepultura sua, quam sibi poeta dixerat esse ignoratam; et considera, lector, quanta arte poeta noster exaltaverit istam materiam de se humilem et bassam. — *Deh!* Nunc ultimo poeta subannectit quemdam tertium spiritum de numero prædictorum. Et ut præsens litera sit clarior, est primo sciendum, quod ista anima fuit quædam nobilis domina senensis de stirpe Ptolomæorum, quæ fuit uxor cuiusdam nobilis militis, qui vocatus est dominus Nellus de Panochischis ([2]) de Petra, qui erat potens in maritima Senarum. Accidit ergo, quod dum ([3]) cœnassent, et ista domina staret ad fenestram palatii in solatiis suis, quidam domicellus de mandato Nelli cepit istam dominam per pedes et præcipitavit eam per fenestram, quæ continuo mortua est, nescio qua suspicione. Ex cuius morte crudeli natum est magnum odium inter dictum dominum Nellum, et Ptolomæos consortes ipsius dominæ. Nunc ad propositum: ista domina rogat Dantem, ut roget pro ea, si umquam venerit in Tusciam ad civitatem Senarum; dicit ergo: *il terzo spirito,* scilicet, dominæ Piæ, impie interfectæ, *seguitò al secondo,* idest, locutus est successive post spiritum Boncontis, qui secundario locutus fuerat post primum: *Deh!* Dictio deprecativa est, *ricordati di me,* et ut possit bene recordari eius, continuo tangit suum nomen, locum originis, locum mortis, et mortis autorem, dicens: *che son la Pia.* Ista domina vocabatur Pia, quam impie mini-

---

([1]) E. Jesu Christi. ([2]) E. Panoschis.
([3]) E. dum semel cœnasset. — 117, dum semel ista domina staret ad fenestram.

ster necis occidit, *Siena mi fe,* idest, genuit me; est enim patria principium generationis, quemadmodum et pater, quasi dicat: fui vana femina de civitate Senarum, de principibus illius civitatis, *disfecemi Maremma,* idest, maritima Senarum interfecit me. Et ecce quomodo: *salsi colui,* idest, vir meus bene scit sibi hoc, et bene est conscius sibi meæ mortis, licet diceret et dici faceret, quod ego cecideram casualiter de fenestra; *che innanellata pria m' avea,* idest, qui primo posuerat mihi annulum, *disposando, con la sua gemma;* sicut fit tempore matrimonii. Annulus tamen facit ad matrimonium illud, quod circulus ad tabernam. Et hoc dico facies, *quando tu sarai tornato al mondo,* scilicet, viventium, *e riposato della lunga via,* idest, et cum requieveris a longo itinere, percurso inferno, purgatorio et paradiso.

CANTUS SEXTUS, *in quo tractat de eisdem rogantibus eos peccatores pro eis; et postquam discesserunt ab eis invenerunt quemdam mantuanum civem vocatum Sordellum qui veneratus est eos; et propter hoc dicit Dantes multa contra totam Italiam et civitatem Florentiæ.*

Q*UANDO si parte il giuoco della zara.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de quarta specie tardorum ad pœnitentiam præventorum morte violenta; nunc consequenter in isto VI capitulo immoratur adhuc in eadem materia: et præsens pulcerrimum capitulum potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum poeta transcurrenter perstringit aliquot istorum spirituum violenter interfectorum. In secunda discutit (1) unam quæstionem, quæ oritur circa materiam pertractatam, et introducit in speciali unum singularem spiritum conterraneum Virgilii ad loquendum secum, ibi: *Io cominciai.* In tertia facit unam digressionem, in qua facit unam invectivam contra Italiam, et principales autores desolationis eius, ibi: *Ahi serva Italia.* In quarta et ultima facit unam invectivam specialem contra Florentiam patriam suam, ibi: *Firenze mia.* Ad primum veniens dico quod poeta breviter percurrit quosdam de numero prædictorum, sed primo præmittit dispositionem illius multitudinis erga se, et sui erga illos per unam comparationem pulcram, quæ, quia clara est, ut tota die experientia docet, nota quantum sit propria. Sicut enim victorem in ludo azardi, multi circumdant * alii a fronte, alii a tergo, et alii ad dextram * (2),

(1) E. discurrit.
(2) Le parole fra i due asterischi sono aggiunte dagli altri Codici.

et alii ad sinistram, et rogant singuli eum, ut det eis de evictione; ipse [1] autem non remoratur, sed continuo eundo porrigit manum isti et illi, et ita paulatim exonerat se a pressura; ita nunc poeta noster in ista turba [2] maxima victor vitiorum ditatus divina gratia, qua isti indigebant, promittebat uni dare preces, alteri eleemosinam, alteri commendare ipsum suis, alteri se facere mentionem de eo, et continuo ibat, ne expenderet tempus in istis, secundum quod præceperat sibi Virgilius, quia nimis habuisset facere si voluisset satisfacere omnibus istis mortuis implorantibus suffragia animarum vel famam ab eo; ideo nominat solum aliquos paucos. Ad literam ergo: dicit poeta: *Colui che perde se riman dolente,* quia exposuit suum fortunæ, *quando si parte il giuoco della zara,* et dicit: *ripetendo le volte, e' tristo impara;* si tamen discere potest aliquid in [3] ea arte, in qua magni magistri sunt semper mendici: quare [4] hic non intendo dare doctrinam huius artis, tum quia sum penitus ignarus eius, tum quia nulla pestis est perniciosior in mundo. Nullum est enim enorme maleficium, quod lusor faciliter non faciat, sicut furtum, mendacium, periurium, proditionem etc.; hoc ut in pluribus intelligas. Non enim loquor nunc de Augusto, vel Claudio, vel aliquo domino divite, licet [5] etiam tales multa culpabilia fecerint propter ludum. Et tangit modum [6] alterius partis, dicens: *con l' altro,* scilicet, victore, *se ne va tutta la gente,* victo relicto solo, *qual,* idest, aliquis, *gli si reca a mente,* idest, reducit se ad memoriam illi si forte erat oblitus eius in illa lætitia et pressura; sed [7] ipse ita obsessus quid faciat audi: *ei non s' arresta, e questo*

(1) S. ipse tamen.
(2) E. turba vitiorum ditatus.
(3) 117, ex ea arte.
(4) E. quia hic.
(5) E. licet enim tales multa etiam culpabilia fecerunt.
(6) 117 e E. morem.
(7) E. sed ita obsessus.

e quello intende; quia nunc uni, nunc alteri dat aliquid; et ille, *a cui porge la man, più non fa pressa,* imo recedit lætus, *e così dalla calca si defende,* cum damno suo, quia miser pecuniam quam male quæsiverat peius (1) dispergit. Et poeta applicat dictam comparationem ad propositum, dicens: *tal era io,* idest, similis vincenti, *in quella turba spessa,* quæ sæpe instabat et petebat, *e promettendo,* bene dicit, quia lusor dat dona de præsenti; ipse vero tantum dabat verba de futuro, et paucis servavit (2) promissa, quia de paucis mentionem facit, de quibus statim dicit. — *Quivi.* Hic poeta describit quosdam spiritus modernos notabiles; et primo nominat unum magnum jurisconsultum de Aretio, qui fuit tempore illo famosus et acutus in civili sapientia, audax nimis. Unde semel interrogatus a scholaribus suis Bononiæ de quodam puncto juris, non erubuit dicere: Ite, ite ad Accursium, qui imbractavit totum corpus juris. Unde dicit: *Quivi era l' Aretin.* Hic vocatus est dominus Benincasa, licet male cesserit sibi; et fuit de uno castello comitatus Aretii, quod dicitur Laterina. Et tangit occisorem eius, virum omnium sui temporis violentissimum, quem notanter describit a ferocitate sua, dicens: *che dalle braccia fiere di Ghin di Tacco ebbe la morte.* Ideo, lector, volo quod scias, quod iste Ghinus non fuit ita infamis, ut aliqui scribunt, quod fuerit (3) magnus sicarius et spoliator stratarum. Iste namque Ghinus Tacchi fuit vir mirabilis, magnus, membratus, niger pilo, et carne fortissimus, ut Scæva levissimus, ut Papirius Cursor prudens et largus; fuit de nobilibus de la Fratta, comitatus Senarum; qui expulsus viribus comitum de Sancta Flora occupavit nobilissimum (4) castrum Radicofani contra papam. Et cum suis famulis manipulariis faciebat

(1) E. potius.
(2) S. servabat promissa.
(3) 117, fuit.
(4) 117, nobile castrum.

multas et magnas prædas, ita quod nullus poterat ire tutus Romam vel alio per partes illas. Sed fere nullus incurrebat manus eius, qui non recederet contentus, et amaret et laudaret eum. Et audi morem laudabilem in tali arte latrocinandi: si mercator erat captus, Ghinus explorabat placibiliter (1) quantum ille poterat sibi dare; et si ille dicebat quingentos aureos, auferebat sibi trecentos, et reddebat ducentos, dicens: Volo quod possis negotiari et lucrari. Si erat unus sacerdos dives et pinguis, auferebat sibi mulam pulcram, et dabat ei unum tristem roncinum. Et si erat unus scholaris pauper vadens ad studium, donabat sibi aliquam pecuniam, et exhortabatur ipsum ad bene agendum et proficiendum in scientia. Et certe si iste nobilis Ghinus numquam fecisset aliud laudabile, nisi quod tam egregie medicavit abbatem Cluniacensem delicatissimum et ditissimum, et curavit optime a morbo stomachi, pro quo ibat ad balnea cum superbo apparatu gallico, ut pulcerrime scribit vir placidissimus Boccatius de Certaldo sermone materno in libro suo, qui dicitur Decameron, satis esset laudandus. Sed ut cito veniam ad propositum, accidit semel, quod quidam frater Ghini captus, adjudicatus est suspendio per prædictum judicem Benincasam, qui erat tunc assessor in civitate Senarum; sed timens ferocitatem Ghini, finito officio, factus est auditor papæ, ut sic tutior esset. Cum autem sederet semel pro tribunali ad bancum (2) in sala publica, in qua erant millia personarum, ecce Ghinus Tacchi incognitus, velut Scævola, magis timendus, quam timens, invasit eum (3) terribiliter, et gladio transfossum præcipitavit ab alto. Et fugiens evasit, transiens velut fulmen ardens per medium tur-

(1) E. placabiliter.
(2) S. bancum juris in sala.
(3) E. eum mirabiliter, alias terribiliter.

barum. Et hoc est quod dicit [1] nunc poeta de Benincasa; *che da le braccia fiere di Ghin di Tacco ebbe la morte.* Et nota [2] quod et ipse Ghinus habuit mortem violentam ab alio. Nam papa Bonifacius magnanimus, audita natura mirabili istius hominis, relatu et rogatu præfati abbatis Cluniacensis misit pro eo et petivit, quare tam nobilis animus sic se inhonestabat arte prædandi. Cui Ghinus respondit [3], quod exercebat vitium rapinæ, ut posset uti virtute liberalitatis. Tunc Bonifacius videns, quod istud erat vitium fortunæ, non animi, fecit eum militem Sancti Johannis, et dedit ei magnum beneficium, quo posset [4] honeste facere magnificentias. Semel autem stans apud Asinam Longam in comitatu Senarum inermis, invasus a multis armatis, probiter pugnans interfectus est. De quo audivi illud mirabile, quod scriptum est de Cæsare, scilicet, quod omnes percussores eius in brevi mala morte obierunt. Ideo forte Dantes nominat eum hic, ut ponat eum salvum. De homine isto plura non dico, de quo posset fieri tragœdia. Deinde poeta addit alium aretinum. Et ad sciendum, quis fuerit iste innominatus, debes scire, quod in civitate Aretii ex nobilibus de Petra Mala fuit unus dominus Tarlatus antiquus, qui genuit Angelum primogenitum; ex quo natus est Guido episcopus aretinus, famosus dominus Aretii, vir magnanimus et magnificus, nihil habens clericale, qui Aretium patriam suam magnis honoribus et multis commodis decoravit. Ex dicto Tarlato natus est alius filius nomine Zutius patruus dicti episcopi, juvenis strenuus armorum. Hic, cum Tarlati gererent bellum cum Bostolis nobilibus de Aretio, qui exules recipie-

---

(1) 117, dicit poeta de isto Benincasa.
(2) S. e E. nota etiam quod ipse Ghinus.
(3) E. respondit papæ Bonifacio, quod exercebat artem rapinæ ut.
(4) E. quo posset facere.

bant se in castello, quod dicitur Rondine in Valle Arni, equitavit contra illos; et cum persequeretur quosdam, equus fortis transportavit ipsum in Arnum, et suffocatus est in quodam pelago. Cuius corpus inde extractum Bostoli ludibriose sagiptasse dicuntur; quapropter acerbum odium natum est inter partes. Dicit ergo bene: *e l' altro,* scilicet, aretinus, *che annegò,* scilicet, in flumine Arni, *correndo in caccia,* dum persequeretur hostes, vel illi eum. — *Quivi.* Hic poeta nominat alium juvenem nobilem et strenuum. Iste, ut cito dicam, fuit filius domini Guidonis Novelli de comitibus Guidonibus de Casentino, quem occidit quidam Fumaiolus, vel Fornaiolus filius domini Alberti de Bostolis prædictis. Dicit ergo: *Federigo Novello pregava quivi,* inter (¹) alios rogantes, *con le mani sporte,* idest, expansis, ut rogarem etiam pro eo. Et non credas, quod autor nominaverit hic istum juvenem nisi quia, sicut et ille de Petra Mala fuit multum probus. Et tangit alium quemdam spiritum pisanum, non tantum ut faciat mentionem de eo, quantum ut faciat commendationem de patre eius. Et hic volo te notare, quod invenio communiter multos dicentes, quod iste fuit alter Federicus pisanus, quem Marciuchus pater domini Johannis Scornigiani terribili ictu interfecit, quia ille pisanus occiderat filium eius. Ego tamen audivi a bono Boccatio de Certaldo, cui plus credo, quod Marciuchus fuit quidam bonus vir in civitate Pisarum (²), fraticellus de domo (³), cui comes Ugolinus tyrannus fecit truncari (⁴) caput, et mandavit, quod corpus relinqueretur insepultum. Sed iste paterculus de sero humiliter accessit ad comitem, et velut quidam extraneus (⁵), quem negotium non tangeret, dixit sine lacrymis, sine aliquo signo doloris: Certe, domine, es-

(¹) E. scilicet inter. (²) S. pisana.
(³) E. de domo, cuius filio comes. (⁴) S. truncare. (⁵) E. externus.

set [1] de honore vestro, quod ille pauper occisus sepeliretur, ne esca canibus crudeliter relinquatur. Tunc comes recognoscens eum, stupefactus dixit: Vade, quia patientia tua vincit duritiem meam; et continuo Marciuchus ivit, et tradidit filium sepulturæ. Dicit ergo: *e quel da Pisa,* supple, etiam rogabat me, *che fe parer lo buon Marzucco forte,* in morte [2] ipsius filii occisi. Et loquitur de fortitudine vera animi, non corporis; quia vere hic pater fuit fortis et constans, non minus quam Anaxagoras philosophus, qui obitum filii patienti animo tulit. — *Vidi.* Hic poeta nominat alium nobilem spiritum, dicens: vidi inter rogantes, *conte Orso;* iste comes Ursus fuit filius comitis Neapoleonis de Acerbaia, qui acerbe fuit interfectus velut ursus tractatu comitis Alberti de Mangona consobrini. Qui Ursus, quia vir valens, ponitur a poeta in purgatorio; et ille proditor debet [3] esse in inferno in Caina. Et nominatis istis tuscis de Italia, poeta ultimo subannectit quemdam nobilem spiritum de Gallia, indigne infamatum et occisum. Ad cuius cognitionem debes scire, quod iste spiritus fuit quidam gallicus vocatus Petrus de la Broccia, intimus consiliarius et secretarius Philippi Pulcri regis Franciæ; qui quia omnia poterat in regem suum, sicut Petrus de Vineis apud Federicum II imperatorem romanorum, incurrit odium curialium ex invidia; et ipsa regina concepit grave odium contra eum, quem vir suus tantum diligebat; unde falso accusavit eum regi, quod scripserat sibi literas venereas; propter quod rex nimis credulus, subito accensus ira et furore, fecit innocentem iniuste suspendi, sicut legitur de Othone imperatore, qui fecit decapitari militem suum optimum falsa accusatione uxoris suæ, quam tamen postea cremari fecit, veritate aperta. Dicit ergo

---

(1) 117, esset honestum et de honore vestro.

(2) E. in morte filii eius occisi.

(3) E. dicitur.

poeta: *e vidi l' anima divisa dal corpo suo,* scilicet, violenter separatam, *per astio e per inveggia,* idest, invidia, *non per colpa commisa,* idest, non quia de rei veritate esset in culpa, cuius accusatus fuerat. Et dicit: *come dicea,* idest, sicut ipse referebat mihi; tamen infamia laborabat contra eum in vulgo. Sed Dantes, qui fuit Parisius, post exilium suum, explorata diligenter veritate huius rei, dignum duxit, ipsum ponere salvum in purgatorio, et reddere sibi bonam famam, sicut fecerat Petro de Vineis in inferno. Et quia poeta erat locutus nimis clause, declarat se, dicens; *Pier dalla Broccia, dico.* Et quia ipse nunc describit purgatorium et tendit ad pœnitentiam; ideo invitat ipsam reginam ad pœnitentiam huius peccati in vita, dicens: *e la donna di Brabante,* idest, regina Franciæ, quæ erat filia ducis Brabantiæ, *proveggia qui,* scilicet, pœnitentiam agat in mundo de morte innocentis, quem falso accusavit per invidiam, *mentre èe di qua,* scilicet, in hac vita, *sì che però,* idest, propter istud enorme peccatum commissum, *non sia di peggior greggia,* quam iste Petrus, qui est inter agentes pœnitentiam in hoc loco; quasi dicat: ne sit de grege damnatorum in inferno.

Come libero fui. Ista est secunda pars (1) generalis, in qua poeta discutit (2) unam quæstionem quæ oritur ex dictis; et describit unum spiritum singularem, concivem Virgilii (3). Et dubitatio breviter stat in hoc: Virgilius VI Eneidos scribit, quod Eneas cum ivit ad infernum invenit inter alias multas animas animam Palinuri, qui gubernator navis ipsius Eneæ tempore noctis deceptus a somno cecidit in mare, et natando pervenit ad litus Italiæ; et dum vellet exire in terram, quidam pastores putantes ipsum esse piratam lapidibus demerserunt eum.

(1) E. e 117, pars capituli, in qua.
(2) S. discurrit.
(3) E. Virgilii, qui VI Eneidos scribit.

Iste autem Palinurus viso Enea in inferno rogabat eum suppliciter ut educeret eum inde; cui Sibylla respondit, quod judicia deorum non poterant precibus hominum revocari. Modo ad propositum Dantes dubitat et petit a Virgilio quomodo ista stant simul, scilicet, quod istæ animæ rogent ut rogetur pro eis, ut brevietur tempus; ex quo videtur judicium Dei posse mutari; sententia vero tua contrarium sonat, scilicet quod non possit flecti precibus. Primo ergo Dantes movet istam quæstionem Virgilio, dicens: *Io cominciai,* supple, dicere Virgilio, *come libero fui,* idest, quam cito fui liberatus, *da tutte quante quelle ombre,* soluto eisdem promissis, *che pregar,* idest, quæ umbræ rogaverunt me, *pur ch' altri preghi,* scilicet pro eis; et ecce ad quid, *sì che s' avacci il lor,* idest, acceleretur eis, *divenir sante,* idest, ut cito veniant ad purgatorium, quod reddit animas sanctas et amicas Deo; et petivi: *o luce mia,* idest, o Virgili, qui pellis ab oculis mentis meæ omnem tenebram ignorantiæ, unde in inferno vocavit eum solem in simili casu, *e' par che tu mi nieghi, espresso,* idest, expresse, *in alcun testo,* scilicet VI Eneidos, *che orazion pieghi,* idest, moveat vel immutet, *decreto del cielo,* idest, judicium Dei, ubi dicit: *Desine fata Deum flecti sperare precando.* Et ecce oppositum: *e questa gente prega pur di questo,* ut ostensum est in nominatis hic, et supra in capitulis tertio et quarto. De duobus ergo est alterum, quia: *serebbe dunque loro speme vana,* si preces non moverent Deum; *o non m' è il detto tuo ben manifesto,* quasi dicat: vel non bene intelligo dictum tuum. Noluit [1] dicere: vel dictum tuum est falsum, propter urbanitatem. — *Et elli.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii claram, dicens: *Et elli a me,* supple Virgilius respondit: *la mia scrittura è piana,* idest,

---

[1] E. Noluit enim dicere dictum tuum est.

non dubia, non scrupulosa, *e la speranza di costor,* quam ponunt in precibus alienis, *non falla,* idest, non est vana, ut dicis, sicut dicit Boetius in fine: Nec frustra sunt in Deo (1) preces; *se ben si guarda con la mente sana,* idest, oculo mentali. Et declarat primo secundam partem, et dicit, quod si terminus brevietur (2) istis amore sanctarum precum, non tamen mutatur ex hoc consilium Dei. Dicit ergo: *chè cima di giudicio,* idest, altitudo et profunditas divini judicii, *non s' avvalla,* idest, non demergitur, non tollitur, *perchè foco d' amor,* idest, ardor caritatis alicuius juste precantis, *compia in un punto,* idest, perficiat in momento, *ciò che dee satisfar,* scilicet, per longum tempus, *chi qui s' astalla,* idest, ille qui hic stat, et moram facit per tantum tempus, per quantum tardavit pœnitentiam; quia apud Deum non currit tempus, et ipse omnes actiones hominum prævenit et prævidit istum rogaturum pro isto, sicut Gregorius oravit pro Traiano, ut dicetur infra capitulo X. Deinde declarat primum dictum suum, et dicit: *e là dov' io fermai cotesto punto,* scilicet, in inferno, ubi affirmative posui istam sententiam, scilicet quod homo non debet sperare posse flectere judicium Dei precibus, *non si ammendava per pregar difetto,* et assignat causam, *perchè 'l prego da Dio era disgiunto*, quia, scilicet in inferno fiebat illa precatio, ubi nulla est redemptio; et quia hoc fuit ante adventum Christi, quo tempore etiamsi sanctissimus Moyses, qui precibus suis totiens flexit Deum volentem perdere populum in ira sua, rogasset pro salute Joseph, vel alterius justi defuncti, non flexisset Deum, quia sic statutum erat (3), ne aliquis salvaretur donec veniret Salvator. Et subdit Virgilius suum optimum consilium circa talem materiam, et vult dicere

(1) S. Deo positæ spes, preces, quia, *se ben.*
(2) E. breviatur.
(3) 117, erat tunc, ne.

breviter, quod in his et similibus non debet stare dictis philosophorum et poetarum, nisi Sacra Scriptura consentiat. Dicit ergo: *Veramente a così alto sospetto,* idest, tam profundæ dubitationi quæ pertinet ad fidem, *non ti fermar, se quella,* scilicet Beatrix, *nol ti dice, che lume fia tra 'l vero e l' intelletto.* Veritas enim, ut dicit philosophus, est adæquatio rei ad intellectum. Et ne procedat in aliquo obscure, dicit: *non so s' intendi, io dico di Beatrice;* et tu bene spera, quia cito pervenies ad eam. Unde dicit: *tu la vedrai al sommo della vetta di questo monte,* in (1) horto deliciarum, ut patebit in fine huius libri, *ridente e felice,* idest, lætari feliciter. — *Et io.* Hic poeta antequam ostendat quomodo pervenerit ad virum singularem semotum a cæteris, primo ostendit, quomodo ipse factus est avidior ad eundum, audito nomine Beatricis, et quomodo invitaverit Virgilium ad hoc. Dicit ergo: *Et io,* supple dixi Virgilio: *signor,* et ideo, quia dicis quod videbo Beatricem in cacumine montis, *andiamo a maggior fretta,* quam fecerimus hucusque; *chè già non m' affatico come dianzi,* quia spes faciebat eum audacem; credebat enim eo die posse superare montem et videre Beatricem, ut patet infra; ideo tangit tempus breve, dicens: *e vedi omai che 'l poggio l' ombra getta,* idest, quod mons jacit umbram versus orientem, et nos. Simile dicit Virgilius: *Maioresque cadunt altis de montibus umbræ;* et vult dicere, quod sol jam declinabat (2) ad vesperas. Et ponit responsionem Virgilii, qui dicit quod non tam cito perveniet (3) quo optat; unde dicit, et ille Virgilius, *rispose noi anderem con questo giorno inanzi,* ante occasum solis, *quanto più potremo omai,* in (4) tam brevi spatio; *ma il fatto è d' altra forma che non stanzi,* idest, quam deliberes, quia via est lon-

(1) 117, idest in horto.
(2) E. declinaverat.
(3) E. pervenient.
(4) 117, idest, tam brevi.

gior quam putes. Nam, *prima che sii lassù,* scilicet, in cacumine, *vedrai tornar,* scilicet ad ortum, *colui,* scilicet solem, *che già si copre della costa,* scilicet montis, post quem jam occultatur, *sì che i suoi raggi tu romper non fai,* idest, non facis umbram, quia sol bassus non ferit te amplius. — *Ma vedi.* Nunc poeta describit virum singularem (1), compatriotam Virgilii. Ad cuius intelligentiam debes prius scire, quod hic novus spiritus fuit quidam civis mantuanus nomine Sordellus, nobilis et prudens miles, et ut aliqui volunt, curialis, tempore Eccirini de Romano, de quo audivi (non tamen affirmo) satis jocosum novum, quod breviter est talis formæ. Habebat Eccirinus quamdam sororem suam valde veneream, de qua fit longus sermo Paradisi capitulo IX. Quæ accensa amore Sordelli ordinavit caute, quod ille intraret ad eam tempore noctis per unum ostiolum posterius juxta coquinam palatii in civitate Veronæ; et quia in strata erat turpe volutabrum porcorum, sive pocia brodiorum, ita ut locus nullo modo videretur suspectus, faciebat se portari per quemdam servum suum usque ad ostiolum, ubi Cunitia parata recipiebat eum. Eccirinus autem hoc scito, uno sero subornatus sub specie servi, transportavit Sordellum, deinde reportavit. Quo facto, manifestavit se Sordello, et dixit: sufficit. De cætero abstineas accedere ad opus tam sordidum per locum tam sordidum. Sordellus terrefactus suppliciter (2) petivit veniam, promittens numquam amplius redire ad sororem. Tamen Cunitia maledicta retraxit eum in primum fallum. Quare ipse timens Eccirinum (3) formidatissimum hominum sui temporis, recessit ab eo, quem Eccirinus, ut quidam ferunt, fecit postea trucidari. Nunc ad literam. Dicit Virgilius Danti: *ma vedi là,* scilicet, seorsum,

(1) 117, singularem modernum compatriotam.
(2) 117, supplicanter.
(3) E. Ecelinum formidissimum hominum.

un' anima, ch' è posta sola soletta. Et hic nota, quod poeta ponit Sordellum separatum a multitudine magna cæterarum animarum, ratione excellentiæ; quia fuit vir singularis virtutis in mundo, licet impœnitens in vita. Ergo ponit Sordellum solum, sicut Saladinum in inferno; vel ponit hanc animam solam, idest, solitariam; unde audio, quod fecit librum, qui (1) intitulatur *Thesaurus Thesaurorum,* quem numquam vidi. Et dicit: *e verso noi riguarda,* et non currit ad videndum nos, sicut alii fecerunt, quia non videbat umbram, vel quia magnanimus erat. Et dicit: *quella ne 'nsegnerà la via più tosta,* idest, leviorem ascensum. Et ostendit, quomodo venerit (2) ad eam quia illa non veniebat ad eos, dicens, ergo: *Venimmo a lei:* et continuo ex admiratione tanti viri prorumpit in eius commendationem apostrophans nunc ad eam et dicens: *O anima lombarda,* quia de Mantua erat, civitate Lombardiæ, quasi dicat: o anima admirabilis inter lombardas! *come ti stavi altera e disdegnosa,* quia Sordellus fuit alti animi et indignantis naturæ, quando videbat vel audiebat turpia et inhonesta. Unde dicit: *e nel mover degli occhi onesta e tarda:* quia erat vir bene compositus et bene moratus. — *Ella.* Hic poeta ostendit quomodo Sordellus se habuerit cum pervenissent (3) ad eum, et quomodo Virgilius petiverit (4) de via, et per hoc devenerint (5) in cognitionem eius. Dicit ergo: *ella,* scilicet anima Sordelli, *non ci diceva alcuna cosa,* quia non curabat de nobis incognitis; unde dicit: *ma solo isguardando lasciavane gire;* et declarat modum per unam comparationem nobilem, dicens: *a guisa di leon quando si posa;* in hoc ostendit eum magnanimum. Leo enim magnanimus non movetur nec curat eum qui non molestat eum. Habebat ergo animum

(1) 117, qui appellatur. (2) E. venerunt ad eam, dicens: *O anima.*
(3) S. pervenisset. (4) 117, petiverat. (5) E. e 117, devenerunt.

pausatum non subitum; sed quamvis nihil diceret, *pur Virgilio si trasse a lei,* ne perderet tempus, *pregando che ne mostrasse la miglior salita,* idest, habiliorem ascensionem (1); et dicit: *e quella non rispose al suo dimando,* et prudenter egit, quia volebat scire (2) qui essent; unde vide, quod si simpliciter Sordellus ostendisset (3) istis viam, et isti ivissent ad viam suam, non deveniebat in cognitionem Virgilii concivis sui, quæ (4) fuit sibi gratissima et superoblectavit animum eius. Dicit ergo: *ma di nostro paese e della vita ci chiese.* Volebat enim scire cuius nationis et professionis essent, ut melius posset judicare de eis; ideo statim Virgilius cœpit respondere de patria. Dicit ergo: *e 'l dolce duca,* idest, Virgilius, qui tamquam bonus dux explorabat de via in locis in quibus numquam fuerat (5), *incominciava,* supple, dicere; *Mantoa,* volebat dicere: *Mantua me genuit,* sed Sordellus magis stupefactus nomine Mantuæ, quam supra Dantes nomine Beatricis, subito interrupit sermonem et ruit in oscula eius; unde dicit: *e l' ombra tutta in se romita,* idest, stupida, *sorse ver lui,* scilicet Virgilium, *del loco ove pria stava, dicendo: O Mantovano,* quicumque tu sis mantuanus, *io son Sordello,* nobilis (6) civis, *della tua terra,* scilicet, Mantua; *e l' un l' altro abbracciava.*

Ahi serva Italia. Ista est tertia pars generalis in qua poeta facit unam digressionem, per quam invehit contra Italiam, et principales autores desolationis eius. Primo ergo sumpta occasione ab actu istorum duorum proborum civium, qui ostenderunt habere tantam caritatem ad patriam, considerans discordias civiles italicorum in generali, ex amara indignatione exclamat: *ahi!* adverbium dolentis, quasi dicat, dolenter refero, *serva Italia,*

(1) 117, ascensum.
(2) E. e 117, primo scire.
(3) 117, ostensisset.
(4) E. e 117, qui fuit sibi gratissimus.
(5) S. fuerant.
(6) E. e 117, notabilis civis.

quæ solebas esse ([1]) liberrima, et donare libertatem gentibus, ut dixi capitulo primo huius libri, *di dolore ostello,* idest, hospitium et domicilium, juxta illud: *Nessun è maggior dolor,* etc. —, *nave senza nocchiero,* idest, carens principe gubernatore, *in gran tempesta, non donna di provincie,* quæ solebas esse regina regnorum, *ma bordello.* Et nota metaphoram pulcram; sicut enim in lupanari venditur caro humana pretio sine pudore, ita meretrix magna ([2]), idest curia romana, et curia imperialis vendunt libertatem italicam. Sicut etiam ad postribulum vadunt indifferenter omnes volentes cum delectatione, ita ad Italiam concurrunt omnes barbaræ nationes cum aviditate ad ipsam conculcandam tamquam meretricem prostitutam. Et assignat poeta causam suæ exclamationis dolorosæ, dicens: *Quell' anima gentil,* idest, Sordellus, vere nobilis virtute animi, ut audisti, *fu così presta di fare al cittadin suo quivi festa,* scilicet Virgilio, *sol per lo dolce suon de la sua terra,* scilicet Mantuæ; et tamen uterque erat mortuus, et unus numquam noverat alterum, cum Virgilius fuerit per tot secula ante Sordellum; *et ora in te non stanno senza guerra li vivi tuoi,* scilicet, moderno tempore, qui nunc vivunt in te, Italia; et quod peius est, non sine civili bello et plusquam civili. Unde dicit: *e l' un l' altro si rode,* tamquam canes, *di quei ch' un muro et una fossa serra,* idest, qui habitant in eadem civitate vel terra, et eadem domo et eadem arca; quia multi qui in morte sepeliuntur simul, non possunt stare simul in vita. — *Cerca, misera.* Hic poeta revertitur ad exclamandum contra Italiam, et confirmans quod dixit, dicit: *o misera,* scilicet, Italia, cuius nullus miseretur, *cerca intorno dalle prode,* idest, ripas, *le*

([1]) E. esse libera et liberrima.
([2]) 117, magna in curia romana et curia imperiali vendit libertatem.

tue marine, idest, terras maritimas (1), *e poi ti guarda in seno,* idest, in medio, scilicet, terras mediterraneas, *s'alcuna parte in te di pace gode.* Et hic, lector, me excusabis, quia antequam ulterius procedam, cogor facere invectivam contra Dantem. O utinam, poeta mirifice, revivisceres modo! ubi (2) pax, ubi libertas, ubi tranquillitas in Italia? Faciliter videbis, o Dantes, quod aliqua particularia mala tuo tempore premebant Italiam; et illa quidem parva et pauca; numeras enim inter damna Italiæ carentiam principis, et discordiam quarumdam familiarum. Nunc autem peiora facta nos premunt, ita ut dicere possim de tota Italia quod Virgilius tuus de una urbe dixit: *Crudelis ubique luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.* Pro certo Italia non talia passa est tempore Hannibalis, non tempore Pyrrhi, non tempore gothorum aut (3) longobardorum. Attila enim non legitur transisse Apenninum, nec Totila Padum, sed solum vastavit (4) regnum et Romam. Quanto ergo excusabilius, si fas esset, possem exclamare ad Omnipotentem, quam tu, qui in tempora felicia incidisti, quibus nos omnes nunc viventes in misera Italia possumus invidere? Ipse ergo, qui potest, amodo mittat Veltrum, quem tu vidisti in somno (5), si tamen unquam (6) venturus est. — *Che val?* Hic poeta aggravat miseriam Italiæ; quia si Italia olim fuit oppressa a barbaris post imperium translatum in Græciam, tamen habuit aliquando relevantem (7) et reformantem eam. Dicit ergo: *Che val?* quasi dicat: nihil, *perchè Giustiniano,* justus imperator, *ti racconciasse il freno,* idest gubernaculum et regimen. Hoc autem fecit legibus, quæ constringunt hominum vitas; et armis, quia liberavit Italiam de manibus go-

(1) E. marinas.
(2) E. ubi pax, ubi tranquillitas.
(3) S. aut tempore langobardorum.
(4) E. vastarunt.
(5) 117, somnio.
(6) S. numquam.
(7) 117, relevatorem.

thorum, ut pulcre scribitur Paradisi capitulo VI, *se la sella è vota?* scilicet, sessore, idest, si sedes imperii caret imperatore, qui stat in Germania, ut statim patebit; et dicit: *senz' esso fora la vergogna meno,* idest, verecundia foret minor sine ipso frœno. Simile dicit (¹) Lucanus de romanis, quod si fuissent semper servi, ut multi barbari, minus moleste ferendum esset. Et continuo invehit contra pastores Ecclesiæ, qui non permittunt imperatorem regnare in Italia. Dicit ergo: *Ahi gente,* idest, dolenter refero, gens sacerdotalis; et non dicas, gens italica, sicut quidam exponunt, et non bene; *che dovresti esser divota,* scilicet Deo, et vacare spiritualibus, et temporalia dimittere imperatori. Unde dicit: *e lasciar seder Cesare,* idest, imperatorem, *in la sella,* quæ est vacua sessore, ut jam dictum est, et dicit; *se bene intendi ciò che Dio ti nota!* cum dixit Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* quasi dicat: si non vis aliter intelligere et exponere illud dictum (²) Christi. Et hic nota, ut videas, quod poeta juste increpat prohibentes imperatorem esse in Italia; quod in MCCXCVIII Albertus dux Austriæ, Rodulphi Cæsaris primogenitus, perempto Adulpho electo, in prœlio, successit illi in regno; qui anno sequenti misit legatos ad Bonifacium, significans se velle venire ad sedem apostolicam, suscepturus de more coronam. Quibus papa respondit, quod Albertus non erat electus legitime, et quod erat indignus imperio, qui adversus regem dominum suum bellum iniustum moverat, et proditorie illum occiderat. Et sedens armatus in solio, et ense cinctus, et habens in capite imperiale diadema, tenensque manum ad capulum ensis cincti, dixit: Nonne ego possum imperii jura tueri? Ego sum Cæsar. Postea orta di-

(¹) E. dicit Bachonus de romanis. (²) E. dictum Domini Jesu Christi.

scordia inter eum et Philippum regem Franciæ, Bonifacius fecit fœdus cum Alberto, et ipsum vocaverat, eo tempore quo captus est in sua civitate Anagniæ.—*Guarda.* Hic poeta invehit contra Albertum prædictum qui neglexit venire, cum posset, ad liberandam Italiam. Ordina sic literam, et descende infra, et dicas: *O Alberto Tedesco,* electe imperatór, *ch' abbandoni costei,* idest, istam Italiam, *ch' è fatta indomita e selvaggia,* idest, rebellis et inobediens imperio, quia non venisti ad illam domandam, *e dovresti inforcar li suoi arcioni,* idest, equitare eam; *guarda com' esta fiera,* scilicet, Italia, *è fatta fella,* idest, prava, *per non esser corretta da gli sproni,* idest, imperialibus, *poi che ponesti mano a la predella,* idest, postquam assumpsisti regimen istius feræ belvæ, et frœnum. Scio tamen, quod communiter alii (1) trahunt istam literam ad *ligentem* non ad *Albertum,* et exponunt sic: Tu papa, respice, quomodo Italia facta est fellea, quia tu non permisisti imperatorem venire, et assumpsisti in te regimen. — *Giusto giudicio.* Hic poeta imprecatur Alberto malum ob dictam culpam (2), dicens: *Giusto giudicio,* scilicet divinum, *dalle stelle caggia sopra 'l tuo sangue,* idest veniat super te. Et hic nota, quod istud evenit de facto: nam in MCCCVIII calendis maii Albertus prædictus fuit gladiatus ab uno suo nepote proditionaliter in transitu unius fluminis, descendens de navi. Causa fuit, quia dictus Albertus occupabat sibi partem hereditatis ducatus Austriæ. Ponit ergo hoc factum tamquam futurum, quia habet respectum ad tempus suæ visionis, non ad tempus quo scripsit; sicut sæpe idem ostendi in inferno in multis dictis, quæ videntur prophetica, cum tamen non sint; ideo dicit: *e sia nuovo et aperto,* quia bene fuit judicium satis extraneum et ma-

(1) S. isti trahunt. (2) 117, causam et culpam.

nifestum; et dicit, *tal che 'l tuo successor temenza n' aggia,* idest, territus exemplo tui, descendat in Italiam. Et certe Henricus de Lucimborgo bene studuit reformare Italiam, licet non potuerit, morte præventus, ut scribitur Paradisi capitulo XXX. Et assignat causam imprecationis factæ, dicens: *chè avete tu,* idest, o Alberte, qui debebas magis accendi ad veniendum per mortem Bonifacii, quia promiseras sibi, et in odium regis Franciæ, *e 'l tuo padre sofferto,* scilicet, Rodulphus, qui fuit potentissimus et valentissimus, de quo dicetur plene capitulo sequenti. Et ostendit se venire, et omnes (1) italici fuerunt valde territi, et florentini deliberabant parere mandatis. Ideo Dantes vult dicere tacite: si Rodulphus venisset (2) Florentiam, non evenissent (3) illa scandala, et ego non essem exul; vos dico, *distretti per cupidigia di costà,* scilicet in Alemannia; quasi dicat: tu, et pater tuus, capti et retenti cupiditate ampliandi regnum et potentiam in Alemannia, *avete sofferto,* idest, sustinuistis, quod Italia destrueretur, cum tamen cæteris curis postpositis debuissetis potius totis viribus intendere ad reformandam Italiam, quæ sola poterat vobis dare imperium orbis terrarum; ideo dicit: *che 'l giardin dell' impero sia diserto,* idest, Italia. Et hic nota bene, quod Italia est pulcrior domus mundi, cuius arx, sive caput est Roma, cuius gloriæ totus orbis terrarum angustus fuit. Tuscia est eius camera, quia est pars ornatissima et ordinatissima huius (4) domus, in qua morantur pulcræ puellæ, sicut in camera; et ubi fiunt secreta consilia, sicut in camera. Lombardia est sala, quia ibi sunt magnæ potentiæ, ibi fiunt magnifica convivia; amplæ enim sunt gulæ lombardorum communiter. Romandiola est hortus romanus, tota virens, tota fertilis et amœna. Mar-

(1) 117, omnes in Italia fuerunt.
(2) 117, habuisset.
(3) S. venissent.
(4) E. huius mundi, vel domus.

chia anconitana est cellarium, quia ibi sunt vina suavissima omnium, olea, mella, ficus. Apulia est stabulum, quia ibi sunt nobilissimi equi; ibi paleæ, fœna, stramina, camporum planities; et ibi facta sunt magna bella campestria, ut autor jam dixit capitulo XXVIII inferni. Marchia tarvisina est viridarium huius nobilissimæ domus, habens arbores altas, floridas, Venetias, Veronam (1) et Paduam. Habet etiam ista domus multas alias pulcras et accommodas mansiones, de quibus esset longum prosequi; sed principaliora (2) tetigi: sed hæc Italia fuit semper magnis bellis sonans, unde, ut scribit Virgilius, Anchises pater Eneæ, veniens in conspectum Italiæ, viso equo a longe, clamavit: *bellum terra hospita portas!* — *Vieni.* Hic poeta improperat Alberto quædam particularia damna urbium Italiæ, quorum ipse videtur causa, et quæ poterat faciliter medicari. Dicit ergo: *Vieni a veder Montecchi e Cappelletti.* Istæ fuerunt duæ claræ familiæ Veronæ, maxime Monticuli, quæ habuerunt diu bellum cum alia nobilissima familia, scilicet, cum comitibus de Sancto Bonifacio. Nam Monticuli comites cum favore Eccirini de Romano eiecerunt Azonem II, marchionem estensem, rectorem illius civitatis; sed ipse in (3) manu forti cum comite Huberto Sancti Bonifacii, Monticulis acie debellatis, reintravit Veronam, ubi finem vitæ feliciter terminavit. Et dicit: *Monaldi e Filippeschi;* istæ fuerunt duæ nobiles domus de urbe veteri, *uom senza cura,* quia tota die inter se rixantur, nec est qui curet: et dicit, *color già tristi,* scilicet Monticulos, quia jam exules et dispersos, *e costor con sospetti,* scilicet, Monaldi et Filippeschi, quia timent sibi de eorum ruina. Et ex indignatione ingeminat exclamationem, et dicit:

---

(1) S. Vicentiam, Veronam et.
(2) 117, principaliora membra tetigi.
(3) 117, in juvamine forti.

vien, crudel, vieni, crudelis, quia [1] negligit curam tot nobilium privilegiatorum ab antiquis imperatoribus romanis, unde dicit: *e vedi la pressura de' tuoi gentili,* idest, oppressionem tuorum nobilium, *e cura lor magagne,* quia sunt sine cura, et inter cæteros; *e vedrai Santafior com' è sicura.* Isti comites de Sancta Flora fuerunt olim potentissimi in maritima Senarum; et jam tunc senenses destruebant eos. De qua materia dicetur infra capitulo XI. — *Vieni a veder.* Hic ultimo obiicit Alberto aliud maius malum, quod præponderat cæteris, scilicet, desolationem almæ urbis, quæ est caput orbis; unde dicit: *Vieni a veder la tua Roma,* quia diceris rex romanorum, *che piagne,* idest, deplorat suam desolationem, *vedova sola,* sine principe, sponso et protectore eius. Sicut olim primi principes alemanni, sicut Othones, consolati sunt eam, ideo invocat auxilium tuum; unde dicit: *e dì e notte chiama, Cesare mio,* idest, imperator, *perchè non m' accompagne?* Ne fiam præda omnium; et ut cito dicam: *vieni a veder la gente,* scilicet, italicam, *quanto s' ama;* et quia Albertus posset dicere ad sui excusationem: non amo vos, ex quo non amatis vos invicem, respondet: *e se nulla di noi pietà,* hoc est, si aliqua compassio nostrorum miserorum, *ti muove,* idest, non flectit te, saltem, *a vergognar ti vien della tua fama,* quia reputaris pius, et non es; et quia pressura servi cedit in dedecus Domino. Sed certe prædicti duo Cæsares minus male fecerunt in non veniendo in Italiam, quam hic modernus imperator Carolus de Lucimborgo, nepos boni Henrici VI, de quo dictum est, qui bis venit in Italiam, maxime secunda vice, tempore Urbani V cum terribili exercitu, ab omnibus expectatus; sed [2] victrices harpyas præseferens loco triumphalium aquilarum,

---

[1] 117, quia negligit famam suam; crudelis, quia negligit curam tot.
[2] E. et servitrices harpyas.

ab omnibus pecunias accepit, et omnium libertates, quas potuit, vendidit: vivat ergo infamia semper eius. — *E se licito m' è.* Nunc poeta iratus et turbatus ex prædictis, quæ videntur contingere sine ullo ordine divinæ providentiæ, quæ non videtur curare jacturas naufragantis Italiæ, exclamat ad Deum, dicens: *E se licito m' è,* supple, dicere, et facit colorem, qui dicitur licentia, quia non licet: *o sommo Giove,* idest, omnipotens æterne Deus: et loquitur poetice, nam poetæ gentiles capiunt Jovem pro summo Deo; *che fosti in terra per noi crucifisso,* et ideo non deberes ita avertere oculos tuos a nobis. Unde petit: *son li giusti occhi tuoi rivolti altrove,* quam ad Italiam? quasi dicat: an videris removisse oculos tuæ pietatis ab Italia, et benignus respicere aliam partem? An est verum, quod tu facis hoc in tuo secreto consilio, quia scilicet, permittis aliqua mala fieri, ut inde elicias aliquem bonum effectum occultum et incognitum nobis? Unde dicit: *o èe preparazion,* idest, præordinatio, *che fai nell' abisso,* idest, in profunditate, quia judicia Dei abyssus multa, *del tuo consiglio,* idest, providentiæ tuæ. Et ecce quare: *per alcun bene in tutto scisso,* idest, totaliter divisum et alienum, *da l' accorger nostro,* idest a cognitione nostra, quia oculus noster infirmus non valet cernere. Alia tamen litera habet: *in tutto per corregger nostro scisso,* idest, ut omnino corrigas nostram divisionem; sed prima litera est melior et magis de intentione poetæ. Et assignat poeta causam exclamationis factæ in Deum, ne videatur nimis temerarius; unde dicit: *che le città d' Italia,* non aliarum provinciarum communiter, *son tutte piene di tiranni,* imo etiam tyrannulis; unde dicit, et quod multo peius est, *et un Marcel diventa ogni villan che parteggiando viene.* Hic nota, lector, quod poeta non loquitur hic de illo Marcello famosissimo victore, qui circa finem primi belli punici occidit manu sua Vi-

ridomarum regem in Lombardia apud Padum; deinde tempore secundi belli punici cepit florentissimam civitatem Syracusarum in Sicilia, et frequentissime vicit Hannibalem, quia iste nihil facit ad propositum: nec loquitur de Marcello egregio adolescentulo nepote Augusti, nec de aliquo alio Marcello cum multi fuerint, sed de Marcello illo consule qui fuit audacissimus Pompeianus infestus semper Cæsari, qui judicavit ipsum hostem, ut patet apud Svetonium libro I; contra quem dicit Cæsar, ut Lucanus scribit: *Marcellusque loquax et nomina vana Catonis.* Vult ergo poeta dicere tacite, quod sicut olim Marcellus ex magna affectione præsumpsit et insurrexit contra Cæsarem primum imperatorem, ita hodie omnis castellanus et villanus præsumit et insurgit contra imperatorem. Et bene judicium venit supra dictum Marcellum; nam cum Cæsar clementissime donasset sibi vitam, quidam servus eius crudelissime gladio eripuit.

Firenze mia. Ista est quarta et ultima pars, in qua poeta noster ne videatur oblitus suæ Florentiæ, de qua nihil dixerat adhuc in isto purgatorio, facit specialem invectivam contra eam, quam inter civitates Italiæ præsens negotium tangit. Et alloquitur eam pulcris scommatibus continuo ironizans; unde dicit primo: *Firenze mia* (1), *ben puoi esser contenta,* et læta inter alias terras Italiæ; irrisive dicit, quasi dicat: non contenta neque læta, *di questa digression,* idest, de ista exclamatione quam feci ita digressorie recedens a materia principali, et dicit: *mercè del popol tuo che sì argomenta,* idest, providet sibi tamquam populus sagax, cum tamen ab antiquo vocetur cæcus, quasi dicat, per contrarium, ista digressio principaliter tangit te, licet ultimo converterim sermonem ad te culpa tui populi, quia populus tuus cito de-

(1) 117, *mia;* patria mea, *ben puoi.*

ducet te in desolationem; nam anno sequenti nata sunt ibi bella civilia. Et assignat causam, quare populus florentinus est promptus ad consilia et officia; unde dicit: *molti han giustizia in cor,* quasi dicat, multi sunt viri justi in mundo habentes optimam intentionem erga (1) suam rem publicam, *ma tardi scocca,* idest, tarde jaculantur et loquuntur, ne inconsulte (2) aliquid damnosum dicant; unde dicit: *per non venir senza consiglio all' arco,* idest, ad emittendum verbum, quia alibi dictum est, quod recte verbum est assimilatum sagiptæ volatili, quod erumpit ab ore irrevocabiliter, sicut sagipta ab arcu, et ferit et lædit ad mortem; *ma il popol tuo l' ha,* scilicet, illam justitiam, *in sommo della bocca;* quasi dicat: non habet justitiam in corde, sed in ore, valde promptam. Et ostenso, quod florentini sunt prompti ad consilia, ostendit (3), quod similiter sunt prompti ad officia; unde dicit: *molti rifiutan lo comune incarco,* idest, publica officia, sicut patet sæpe apud Titum Livium de multis illustribus romanis, qui recusaverunt magistratus sibi sponte oblatos, et coacti acceptaverunt, et sponte deposuerunt, sicut Camillus, Fabius, Cincinnatus; sed florentini semper manus promptas porrigunt in commune; unde dicit: *ma il popol tuo sollecito risponde senza chiamar;* quasi dicat: prævenit et subtiliter procurat sibi officia cum magna sollicitudine et solertia, precibus et pretiis, quæ numquam poterat sperare se obtenturum. Et dicit: *io mi sobbarco,* idest, præparo me; nam subarco idem est quod subcingo, idest, erigo pannos ad cincturam, ut sim expeditior ad aliquid agendum.— *Or ti fa.* Hic poeta ex his infert suam conclusionem ostendens, quod ex ista optima dispositione civium, qui sunt prompti ad consilia et promptissimi ad officia, sequitur optimus effectus, scilicet fir-

(1) S. circa. (2) 117, inconsultum aliquid. (3) E. ostendit etiam quod.

mus status illius civitatis. Dicit ergo: *Or ti fa lieta,* ironice loquitur, quasi dicat: imo potius debes tristari et dolere, quia, *tu ricca,* malis divitiis, *tu con pace*, per contrarium, quia animi florentinorum prægnantes cito erant parituri bella civilia Alborum et Nigrorum; *e tu con senno,* quasi dicat: licet tui florentini dicantur viri prudentissimi; sed rei eventus cito probavit contrarium; unde dicit: *s' io dico vero,* si, pro non, quia tu non es vere dives, nec pacifica, nec prudens: *l' effetto nol nasconde,* quia tu disponeris ad ruinam. Et [1] confirmat dictum suum per nobilissimam comparationem; et vult breviter dicere quod nulla politia græcorum antiquorum potest assimilari nobili politiæ florentinorum. Unde dicit: *Atene,* quæ civitas fuit clarissima scientiis, *e Lacedemona,* quæ fuit clarissima armis; unde Flaminius [2] consul romanus, ut scribit Livius, dixit contra Nabim tyrannum lacedæmoniorum: Athenas et Lacedæmonem, quondam duo lumina Græciæ sub tuis pedibus relinquemus, *che fenno l' antiche leggi;* ab istis enim postea [3] romani habuerunt leges. Solon enim condidit leges atheniensibus, et Lycurgus lacedæmoniensibus. Unde Aristoteles secundo Rhetoricorum dicit: athenienses Solonis legibus utentes felices fuerunt, et lacedæmonii legibus Lycurgi; et quod apud Thebas cum præsides philosophi fuerunt, et civitas felix fuit. Ergo et Florentia quæ habet magnos philosophos, poetas et oratores vulgares, potest dici felix per contrarium. Et dicit: *e furon sì civili,* licet politia eorum peccaverit in multis, ut ostendit philosophus libro Politicorum, *fecero un picciol cenno,* idest, signum, quasi dicat, parum appropinquaverunt, *al viver bene,* idest, civiliter et beate, *verso di te,* idest, respectu tui: et probat; *che fai tanti sottili provedimenti;* ironice, quasi di-

---

(1) E. Et probat et confirmat. (2) E. Flavianus. (3) E. primo romani.

cat: tam rudes et ridiculas provisiones, *ch' a mezzo novembre non giunge quel che tu d' ottobre fili,* quasi dicat: quod aliquando statuta et ordinamenta tua non servantur per mensem cum dimidio. Et non videatur tibi irridenda metaphora, quia est propria; vult enim dicere: opera tua sunt fœminea, et parum durant, et cito rumpuntur ut filum mulieris, licet videantur subtilia. Et hoc declarat petens: *Quante volte* (1), quasi dicat: multotiens, *del tempo,* scilicet nostro, *che rimembre,* idest recorderis (2), *hai tu mutato legge,* quia omni die fiunt ibi novæ reformationes; quod est pessimum, quoniam, ut dicit philosophus, assuescere mutare leges est assuescere non obedire legibus; ideo leges etiam minus bonæ sunt servandæ; *moneta,* quia novas pecunias fecerunt, *officio,* quia tunc consules, nunc antianos, nunc priores habuerunt, et multa nova officia adinvenerunt; *e costume;* mores (3) mutantur ibi de die in diem, quia florentini discurrentes per mundum reportant varios mores alienigenarum in patriam, ut potes videre in mulieribus eorum, *e rinnovato membre!* idest, cives qui sunt tamquam membra in corpore illius magnæ civitatis. Sed potest dici de te illud, quod dicit Augustinus de Roma, quod melius esset habere corpus pygmæi sanum, quam giganteum multis infirmitatibus vexatum; ideo subdit: *ma se ben ti ricordi e vedi lume,* et non loquor plus tibi ironice, *vedrai te simigliante a quella inferma,* scilicet, mulieri molli, in lecto decumbenti, *che non può trovar posa in su le piume;* quæ non quiescit etiam cum dormit; *ma con dar volta suo dolore scherma,* idest deludit; quod totum cedit sibi ad cumulum maioris doloris. Et nota similitudinem propriissimam. Vult enim dicere: licet (4) tu Florentia florens videaris mulier formosa de-

---

(1) E. *volte,* idest multotiens.

(2) E. recordaris.

(3) E. quia mores.

(4) S. licet enim Florentia.

corata omni genere ornamentorum, sedens in mollibus plumis et vestibus splendidis, tamen es intus repleta omni genere morborum et sordium; et frequens mutatio non inducet tibi salutem, sed mortem deducet. Ergo vive, vale, gaude [1] si potes. Nota etiam quod illud quod Dantes hic dicit de Florentia, potest etiam dici de omni terra mundi in diversis temporibus; nam utraque prædictarum civitatum sæpe mutavit statum, et facta est serva, ut patet apud Justinum et alios multos.

---

(1) E. et gaude.

CANTUS SEPTIMUS, *in quo tractat ubi Virgilius dixit cum Sordello de suo statu multa; et hoc dicto duxit eos Sordellus in locum in quo sunt reges et comites et nobiles; et omnes nominat, ac etiam defectus eorum per ordinem, ac etiam de sequenti aliquantulum.*

P*oscia che l'accoglienze oneste e liete.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster expedivit tractatum negligentium quartæ speciei, qui distulerunt tempus pœnitendi præventi morte violenta, et viam fecit ad sequentem materiam, quæ est de negligentibus quintæ speciei, qui distulerunt pœnitentiam occupati laudabiliter circa regna temporalia; nunc consequenter in isto VII capitulo exequitur istam materiam nobilem principum; et præsens capitulum, ut per se patet, est divisum in tres partes generales. In prima quarum poeta describit unum dialogum sive collationem factam inter duos mantuanos, scilicet Virgilium et Sordellum, per quam Virgilius manifestat se Sordello, et Sordellus Virgilium laudibus extollit. In secunda describit magnifice locum amœnissimum illustrium virorum, ibi: *Ma se tu puoi o sai.* In tertia et ultima describit artificiose aliquos ([1]) principes modernos illustres, quorum fama dignius celebratur, ibi: *Prima che 'l poco sole.* Ad primum veniens dico, quod poeta describit mutuam collationem Virgilii et Sordelli, et primo continuat materiam sequentem ad præcedentem: quia enim finxerat in præcedenti capitulo quod Sordellus audito solo nomine Mantuæ iverat ([2]) mirabundus in amplexus Virgilii; ideo nunc pro

([1]) 117, aliquot. ([2]) S. e E. ruerat.

continuatione fingit quod, gratulatione sæpius repetita, Sordellus petivit a Virgilio quis esset, et ille respondit. Dicit ergo: *Sordel,* et videtur nomen conveniens, quasi parum sordidus libidine, *si trasse,* idest, parum retro se reduxit, *e disse: voi chi siete,* quia erant duo magni poetæ simul, unus antiquus, alter modernus; vel dicit simpliciter Virgilio, causa (1) honoris et reverentiæ, in plurali, vos; et ista videtur melior expositio, quia Virgilius respondebit solum de se, et non nominabit socium hic: *poscia che l' accoglienze,* idest, gratulationes, amplexiones, *oneste e liete,* non lascivæ vel vanæ, *furo iterate,* idest factæ et refactæ (2), *tre e quattro volte,* idest, pluries et pluries. Et hic nota quod poeta hic comprehendit utrumque numerum, scilicet parem et imparem, et præmittit imparem tamquam perfectiorem; unde numerus impar apud arismetricos appellatur masculus; par vero fœmina propter sui imperfectionem, sicut scribit Macrobius in suo (3) de somnio Scipionis, exponens illud Virgilii: *O terque quaterque beati* etc. Et continuo subdit responsionem Virgilii, qui breviter dicit, quod licet sit hic novus, est mortuus et damnatus antequam esset ordinatum purgatorium, circa initia imperii Cæsaris Augusti. Ordina sic literam: *il duca mio rispose così,* idest, Virgilius respondit Sordello sub hac forma verborum: *l' ossa mie fur sepolte per Ottavian,* de qua sepultura dictum est supra plene capitulo III, *prima ch' a questo monte,* scilicet purgatorii, *fosser volte l' anime degne di salire a Dio,* idest, animæ salvandorum, quia ante adventum Christi, qui incarnatus est sub Augusto, non erat purgatorium. Et tacto tempore mortis et sepulturæ, tangit nomen suum et vitium infidelitatis, dicens: *io son Virgilio,* a virga dictus, ut dictum est primo capitulo

(1) 117, gratia honoris. (2) E. refectæ. (3) S. in suo libro de.

Inferni. Virga enim utuntur pastores, de quibus tractat libro Bucolicorum; virga utuntur agricultores, de quibus tractat libro Georgicorum; virga utuntur rectores urbium, de quibus tractat libro Eneidorum. Vel dictus est Virgilius quasi vir gloriosus, vel virtute gloriosus. Et dicit: *e per nullo altro rio,* idest, non propter alium reatum, *lo ciel perdei,* idest, visionem Dei et salutem æternam, *che per non aver fe',* scilicet, christianam; quasi dicat: non sum damnatus defectu ingenii, sed gratiæ, quia si habuissem fidem, pluralitas virtutum juncta cum magnitudine scientiæ poterat extinguere paucitatem vitiorum. — *Quale.* Hic poeta ponit effectum responsionis Virgilii per unam comparationem claram et apertam: et vult dicere breviter quod Sordellus stupefactus re mirabili, audito quod Virgilius mortuus per mille ducentos annos et ultra, nunc appareret ibi, nesciebat quid faceret, quia credebat et non credebat, affirmabat et negabat, sicut homo facit communiter in re subita; et tamen credens rem non esse fictam, iterum cucurrit ad amplectendum eum de novo; dicit ergo: *tal parve quelli,* scilicet Sordellus, *qual' è colui,* scilicet, videtur, *che subito vede cosa innanzi se,* quam numquam putaverat evenire (1); *ond' ei si meraviglia,* juste, *credendo e no,* quia res videtur vera, licet videatur incredibilis, *dicendo,* scilicet, in animo suo, *ella è, non è;* sed parum stetit Sordellus cum isto stupore. Unde dicit: *e poi chinò le ciglia,* in signum reverentiæ; *et umilmente ritornò ver lui,* tamquam minor versus maiorem; primo enim honoraverat ipsum (2) solum pietate patriæ, nunc vero ratione virtutis et scientiæ; ideo dicit: *et abbracciollo ove 'l minor s' appiglia.* Minor enim cum recipit maiorem inclinat (3) se, et amplectitur illum infra brachia

(1) 117, invenire. (2) S. eum solum. (3) S. incurvat.

et interdum amplectitur genua, ut scribit Homerus. — *O gloria.* Hic poeta posita gratulatione Virgilii, ponit magnificam orationem illius magnanimi super commendationem Virgilii. Et ad huius altæ commendationis confirmationem, hic tota [1] mente considera, quod poeta noster dignissime prorumpit in laudem excellentissimi Virgilii, de cuius copiosa eloquentia mirabilia dicit Macrobius V Saturnalium, dicens: *Facundia Mantuani multiplex et multiformis est, et dicendi genus omne complectitur.* Virgilius namque eloquentiam ex omni genere dicendi conflavit. Quatuor enim sunt genera dicendi, scilicet copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Salustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius luxuriatur. Sed apud Junium [2] Maronem hæc quatuor [3] genera reperies. Fuerunt etiam olim Athenis decem nobiles oratores, quorum omnium stylos Virgilius imitatus est; ex quibus omnibus fecit unum pulcerrimum temperamentum: unde paulo infra dicit: eloquentia Maronis ad omnium mores integra est, nunc brevis, nunc copiosa, nunc sicca, nunc florida, nunc simul omnia. Et erat hic autor eloquentiæ metricæ vere necessarius post Tullium principem eloquentiæ prosaicæ, qui de Virgilio egregie vaticinatus est; nam cum vidisset quoddam juvenile opusculum eius, et admiratus quæsivisset autorem jam senior, videns juvenem dixit verbum illud magnificum: *Magnæ spes altera Romæ.* Quod dictum auditum ex ore Tullii tantum placuit Virgilio quod post annos viginti, jam mortuo Tullio, inseruit operi suo. Sicut ergo Tullius in oratoria, ita Virgilius in poetica palmam tulit, de quo Propertius non timuit dicere: *Cedite romani scriptores, cedite Graii, Nescio quid maius nascitur Iliade.* Et ne

[1] 117, nota, et tota mente.

[2] E. apud unum Maronem.

[3] 117, omnia quatuor.

plura præconia Virgilii quæram, concludo breviter cum Macrobio: Hæc est Maronis gloria, ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur. Nunc ad literam: dicit poeta noster quod ille Sordellus exordiens primo commendavit Virgilium a singulari eloquentia, dicens: ille Sordellus, *disse: o gloria de' latini;* sicut Homerus gloria græcorum. Licet enim lingua latina habeat multas et magnas nationes, tamen habuit ortum ab Italia, a rege Latino denominata, et autores italicos habuit, sicut Priscianum, Donatum, Tullium: unde dicit: *per cui mostrò ciò che potea la lingua nostra,* scilicet, italica, in metro; et commendat ipsum a singulari honorificentia patriæ, *o pregio eterno,* quia gloria Virgilii durabit quamdiu mundus, ut dictum est II capitulo Inferni, *del loco ond' io fui,* scilicet civitatis Mantuæ [1]. Et vere nomen Virgilii fecit famosam Mantuam, plusquam illius antiquitas, fertilitas vel pulcritudo; ita ut non solum in Gallia apud Parisius in occidente, sed in Græcia apud Constantinopolim in oriente. Et hic nota quod viri valentes faciunt civitates suas famosas, sicut Aristoteles Stragirim, Homerus Smyrnam, Democritus Abderam, Pindarus Thebas; sed ut omittam græcos, quorum maximus est numerus, quid dicam de italicis et nostris? Plinius et Catullus celebrant Veronam, Titus Livius Paduam, Virgilius Mantuam, Varus Cremonam, Macrobius et Cassius Parmam, Gallus Forum Julii, Claudianus Florentiam, Persius Vulterras, Accius [2] Pisaurum, Ovidius Sulmonem, Horatius Venusiam, Tullius Arpinum, Juvenalis Aquinum, Archita et Ennius Tarentum, Propertius Spoletum, Pacuvius Brundisium; et ne per singulos discurram, plurimi Romam, sed præcipue M. Varo vir doctissimus romanorum. Et petit Sordellus: *qual merito,*

---

[1] E. mantuanæ. [2] E. Actius Pensaurum.

quasi dicat: nullum meum meritum, *o qual grazia,* quasi dicat: sola divina gratia, *mi ti mostra,* in isto loco solitario? *dimmi, se vien d' inferno;* audiverat enim jam Sordellus a Virgilio quod perdiderat cœlum defectu fidei; ideo non poterat esse in purgatorio. Et dicit in speciali: *e di qual chiostra,* idest, de quo circulo, quia nimis videretur indignum si esset positus in loco tenebrarum qui illuminavit tantum mundi: et nimis se humiliat, dicens, *s' io son degno d' udir le tue parole;* quæ meruerunt audientiam principum, imo extorserunt lacrymas Augusto dignissimo principi totius orbis. — *Per tutti.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad quæsita Sordelli qui primo respondet ad id quod petiverat Sordellus (1), si veniebat ab inferno. Dicit ergo: *lui,* scilicet, Virgilius sic persuasus, *rispose: io son venuto di qua,* scilicet, in purgatorium; et quia ille dixerat de quo circulo, ideo dicit, *per tutti i cerchi del dolente regno,* scilicet, inferni qui est locus perpetui doloris. Deinde respondet ad id quod primo petiverat Sordellus, scilicet, quæ (2) gratia; et dicit: *vertù del ciel,* scilicet, gratia præveniens et subsequens et Beatrix, *mi mosse,* ut ostensum est clare II capitulo Inferni, *e con lei vegno;* illa semper juvante et custodiente me per loca tam aspera et pericula tanta. Et quia Sordellus posset petere, quid mali fecisti propter quod sis damnatus, dicit Virgilius: *ho perduto di veder l' alto sol,* scilicet, solem justitiæ, Deum, qui est altior sole sensibili, et omni corpore super cœlesti, *che tu disiri,* idest, quem tu desideras cum certa spe videndi, ego vero sine spe; *e che fu tardi per me conosciuto,* quia scilicet solum post mortem, scilicet quando Christus spoliavit limbum, quando non erat amplius pœnitentiæ locus pro Virgilio, *non per fare,* scilicet peccata, quia

(1) E. Sordellus, scilicet qua gratia, et si. (2) E. qua gratia.

scilicet peccata mea non demersissent me in infernum, quorum pœnituissem si habuissem fidem, *ma per non fare,* scilicet [1], opera meritoria.—*Loco.* Hic Virgilius, dicto quomodo transivit per omnia loca inferni, tangit locum suæ residentiæ in inferno, dicens: *Loco,* scilicet, limbus, *è là giù,* scilicet, in inferno, *non tristo da martìri,* quia ibi non habemus pœnam sensus, sed pœnam damni, quia sumus privati visione Dei; unde dicit: *ma solo di tenebre,* idest, solummodo tristis tenebris: sed contra poeta describit hunc locum IIII capitulo Inferni luminosum et clarum, hic vero dicit ipsum tenebrosum. Dici potest, quod poeta non loquitur hic singulariter de loco virorum illustrium semoto, sed de toto circulo limbi; vel dic et melius quod omnis illa lux damnatorum est tenebra respectu lucis salvandorum; et declarat qualitatem illius loci, dicens: *ove i lamenti non sonan come guai;* quia ad pœnam sequitur dolor et planctus, *ma son sospiri,* quia ad desiderium sequitur suspirium; isti ergo suspirant videre Deum. Et subdit Virgilius societatem quam habet in dicto loco, ne forte Sordellus putaret ipsum stare solitarium, sicut et ipse stat; et vult dicere breviter quod in limbo illo sunt duo genera personarum, scilicet, parvuli innocentes, et viri virtuosi pagani. Dicit ergo bene [2]: *quivi sto io coi parvuli innocenti,* qui non peccaverunt actualiter, quia non habebant adhuc electionem, *morsi dai denti della morte,* idest, crudeliter præventi in tenera ætate a morte acerba; et audi quomodo: *avante che fosser esenti,* idest, antequam essent liberati, *dall' umana colpa,* idest, a peccato originali. Et hic nota quod peccatum originale est illa macula quam primo contrahit anima, quando unitur corpori ex [3] anima corrupta per peccatum primi parentis, quo

(1) S. scilicet, meritoria. (2) E. breviter. (3) 117, ex carne corrupta.

tota massa posteritatis fuit infecta; quia prima caro fuit rebellis Deo, ideo non est habilis ad recipiendam gratiam viatorum et justorum, nisi primo reconcilietur Deo [1], abluta sorde per baptismum, sicut olim reconciliabatur per fidem parentum et per circumcisionem. Et tangit aliud genus hominum, dicens: *quivi sto io con quei,* scilicet philosophis et poetis paganis, *che non si vestiro le tre sante vertù,* scilicet, fidem, spem, caritatem; quæ virtutes divinæ sunt christianorum tantum, *e conobber l' altre,* scilicet, quatuor morales, scilicet, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam; *senza vizio,* quantum est possibile homini posito extra gratiam fidei, *e seguir tutte quante,* sicut jam satis dictum est primo capitulo huius libri.

Ma se tu sai o puoi. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta describit magna arte locum virorum illustrium christianorum, qui impediti circa curam aliorum, non recordati sunt suæ salutis nisi in morte; sed antequam veniat ad istam descriptionem Virgilius petit a Sordello de via breviori purgatorii ad quod appropinquabant. Dicit ergo: satis dixi tibi quis sim, et unde venerim, et quomodo: *ma se tu sai o puoi,* hoc dicit, quia nesciebat si iste quem invenerat quiescentem et solitarium, erat solitus ascendere superius; *da' noi alcuno indizio,* si non potes vel non vis venire nobiscum, *perchè venir possiam più tosto,* quia expendi plus temporis tecum quam putabam, *là dove il purgatorio ha dritto inizio,* idest, portam. Et statim ponit responsionem illius dicens: *rispose,* ille Sordellus: *loco certo non m' è posto;* juxta illud Virgilii: *Nulli certa domus, lucis habitamus opacis, - licito m' è andar suso ed intorno.* Et hic nota quod ista responsio Sordelli videtur competere omnibus

---

[1] E. Deo per baptismum.

confinatis, tardantibus pœnitentiam, qui non tenuerunt viam certam virtutis, quæ ducit ad felicitatem, sed iverunt vagando et errando per temporalia quæ sunt quædam devia; ideo dicit: *per quanto ir posso,* scilicet, usque ad convallem virorum illustrium, *a guida mi t' accosto;* ita quod dux Dantis hic invenit ducem dum appropinquaret ad locum quo principaliter tendebat. Et Sordellus dat suum consilium Virgilio, scilicet ut provideant de loco idoneo, ubi quiescant in nocte. Dicit ergo: *ma vedi omai come dichina il giorno,* idest, primus dies sole jam occidente, quasi dicat, parum possumus amodo ambulare in die ista; ideo dicit: *et andar su di notte non si puote,* et hoc de natura montis, ut dicetur infra capitulo XXVII circa medium; *però è buon pensar di bel soggiorno,* idest, de loco ubi quiescamus, sicut faciunt viatores, qui provident sibi de bono hospitio adveniente sero; et ideo dicit Sordellus: ne perdamus tempus, ducam vos ad locum amœnum, ubi videbitis nobilissimam sectam hominum. Unde dicit: *anime sono a destra,* in bona parte, *qua rimote,* idest, in loco nobilissimo sequestratæ ab omni grege vulgarium hominum; ideo, *se il mi consenti, io ti merrò ad esse,* si faciunt ad factum tuum, *e non senza diletto ti fien note.* Et bene dicit, quia delectabile est videre magnificentiam istorum principum, et audire gesta eorum, et præcipue poetis, qui habent pro materia describere gesta illustrium virorum; et si antiquus poeta paganus Virgilius hoc fecit (1) de aliquibus antiquis paganis, quanto justius hic novus poeta de modernis christianis? — *Com' è ciò.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius petiverit de causa, quare de nocte non potest iri per purgatorium? unde dicit: *risposto fu,* scilicet per Virgilium Sordello: *Com' è ciò?* idest, quæ est

(1) E. facit.

causa? *chi volesse salir di notte,* idest, ascendere sursum per purgatorium, *fora egli impedito,* scilicet ab aliquo qui habeat custodiam loci, *o serìa pur perchè non potesse?* idest, an hoc solum proveniret ab impotentia sua? quasi dicat: an causa istius prohibitionis esset a se vel ab alio. Et ponit responsionem Sordelli ad quæstionem suam, dicens: *e 'l buon Sordello in terra fregò il dito,* faciendo unam lineam, *dicendo: vedi, sola questa riga non varcheresti,* idest, transire posses, *dipo il sol partito.* Per hoc dat intelligi, quod homo non potest ire ad pœnitentiam et virtutem, nisi sol divinæ gratiæ luceat super ipsum. Et assignat causam, quia homo potest habere gratiam quando vult; unde dicit: *non però ch' altra cosa desse briga ad ir suso, che la notturna tenebra,* quasi dicat: sola tenebra peccati est illa quæ obscurat viam purgatorii homini; ideo dicit: *quella,* scilicet, tenebra nocturna, *intriga la voglia,* idest, impedit et implicat voluntatem, quia (1) non permittit hominem velle, *col non potere,* quia non potest, quod non vult; et sic vide quod homo est sibi causa, quia (2) non vult et non potest tendere ad virtutem, quia ex libero arbitrio facit sibi tenebram peccati, quæ privat ipsum lumine solis. Et Sordellus addit pulcre quod homo bene posset descendere aut circumvagari; unde dicit: *ben si poria tornar in giuso con lei,* scilicet, cum illa tenebra nocturna, *e passeggiar la costa,* idest, ripam, *intorno errando,* quasi dicat: bene potest relabi in vitia et vagari per illa, *mentre che l' orizzonte tien chiuso il die;* quasi dicat, donec duret nox, antequam sol veniat ad orizontem, et faciat lucem. Per hoc dat intelligi, quod homo positus in peccato mortali bene potest adhuc descendere, idest peccare aut circuire errando, idest, nec plus addere virtutibus.

---

(1) 117, quia permittit hominem nolle. (2) E. quare non.

— *Allora.* Hic poeta ponit deliberationem Virgilii post consilium Sordelli, dicens: *Allora il mio signor, quasi ammirando,* de natura istius loci, qui non potest adiri nisi de die, lucente sole, *disse: menane dunque,* ex quo non potest iri de nocte ne perdamus tempus, *là dove dici,* scilicet ad locum virorum illustrium, *ch' aver si può diletto dimorando,* quasi dicat tacite: quando quidem non possumus nunc tendere ad bonum honestum virtutis tendamus ad aliquod bonum delectabile vel utile, quia multum decorabit materiam nostram consideratio istarum animarum clararum, quæ gaudent hic tanto privilegio. Et continuo ostendit qualiter pervenerint ad videndum locum promissum, dicens: *poco allungati c' eravam di lici,* per hoc præsupponit quod Sordellus duxerat eos versus locum, *quand' io m' accorsi che 'l monte era scemo,* idest, excavatus, ita quod erat una camera concava plana intra montem, *a guisa che i valloni sceman quici,* idest, a simili sicut videmus in nostra terra habitabili, quod vallis subiecta vel adhærens monti excavat ipsum montem. Per hoc autem poeta figurat quod isti viri valentes habent locum remotum ab aliis spectabilem in loco alto, ad quem Sordellus obtulit se ducturum eos; unde dicit: *quell' ombra,* scilicet, Sordellus, *disse: colà n' anderemo,* ostendebat eis locum, *dove la costa face di sè grembo,* idest, sinum et receptaculum in concavitate pulcra, *e là attenderemo,* idest, ibi expectabimus, *il nuovo giorno,* idest, diem sequentem, ita quod hanc noctem expendemus delectabiliter circa visionem istorum. Et hic nota quod poeta pulcre fingit quod Sordellus duxerat istos poetas ad videndum istos viros illustres, quia fuit homo curialis et curiosus investigator et admirator omnium valentum sui temporis et omnium virtutes et mores sciebat et referebat. — *Tra erto.* Nunc poeta describit nobiliter locum istorum illustrium, ut locus

correspondeat locato; et primo unam violam [1] tortuosam, per qnam pervenerunt ad locum residentiæ, dicens: *un sentier sghembo,* idest, tortuosus vel transversus, *era tra erto e piano,* idest, inter montem et planitiem vallis, vel dic quod callis ille nec erat erectus nec planus, *che ne condusse in fianco della lacca,* idest, in latus dictæ costæ ad quoddam balcium, unde respexerunt vallem, ut paulo post dicetur, *là dove il lembo,* idest, extremitas, *muore più ch' a mezzo.* Deinde describit in speciali locum pulcerrimæ stationis istorum; et quia descripserat locum illustrium paganorum IIII capitulo Inferni herbosum et clarum sub divo, nunc maiori arte describit locum illustrium christianorum modernorum sub tecto montis. Et est litera fortis et sententia occulta; ideo adverte, quod Dantes vult sententialiter dicere, quod hic locus erat amœnissimus omnium, quia si quicquid colorum delectabilium umquam natura rerum produxit in aliqua parte terrarum, totum simul collectum reponeretur intra [2] illam cameram, vinceretur a pulcritudine mirabili colorum qui sunt ibi. Ordina ergo literam, et construe sic: *oro e argento fino,* sine mixtura aliqua, quorum utrumque habet colorem perfectissimum incorruptibilem, *cocco,* coccus, ut scribit Dyascorides, est herba ramosa habens in virgis grana rotunda similia lenticulæ, et dicit Plinius quod est genus ex eo in Athica et Asia nascens celerrime in vermiculum se mutans; ex ista herba tingitur pannus pulcerrimus rubei coloris, de quo hic loquitur autor; *e biacca,* idest, cerussa, quæ, ut dicit idem Dyascorides, fit [3] multipliciter ex aceto optimo in vase cooperto plumbo et optima cerussa est candidissima; ideo per coccum et cerussam intellige colorem rubicundissimum, et albissimum; *indico*

(1) E. molam. (2) E. intra vallem, idest intra illam cameram.
(3) 117, fit multiplex.

legno, idest, arbor de India, quia in India est multiplex genus arborum diversorum colorum, quos est delectabile videre, *lucido e sereno,* idest, pulcer color aeris puri sereni, qui est delectabilissimus aspectui oculorum, *fresco smeraldo,* lapis pretiosus viridis coloris, maxime cum frangitur; omnia hæc et similia, *posti dentro a quel seno,* idest, aggregata simul intra illum locum capacem, concavum, *seria vinto ciascun di color,* idest, in colore, *da l' erba e dalli fiori,* quia scilicet color mirabilis herbæ et florum existentium ibi, erat maior et excellentior omnibus coloribus prædictarum rerum, a simili, *come il menor è vinto dal suo maggiore;* quia maius lumen offuscat minus. Aliqui tamen volunt, quod prædicta vocabula ponantur ablative in consequentia. Et subdit poeta, quod ultra istam pulcritudinem colorum, ibi erat mirabilis suavitas odorum; unde dicit: *non avea pur natura ivi dipinto,* quasi dicat: non solum natura posuerat ibi tot et tam varios colores ad delectationem visus, *ma vi facea,* ipsa natura, *uno,* scilicet, odorem, *incognito,* ideo, non potest describi, *indistinto,* propter commixtionem tot odorum, *di soavità di mille odori,* idest, fragrantia multorum odorum, quo ad delectationem odoratus. Et hic nota quod quicquid poeta fingit de isto loco amœnissimo est verum historice et allegorice: primo quia isti reges et principes habent palatia alta, adornata, picta (1) variis figuris; abundant auro, argento, gemmis, margaritis, et lapidibus pretiosis, et utuntur vestibus variis et cibis splendidis mille colorum et odorum; similiter habent jocalia, vasa, aromata et omnia genera pigmentorum; sed allegorice per istam viriditatem florum et suavitatem odorum poeta dat intelligi viriditatem florentium operum, et odorem bonæ

(1) E. pictaque variis.

famæ et splendorem inclitæ gloriæ istorum. Nam isti spiritus illustrissimi naturaliter viguerunt maiori ingenio et virtute. De virtuosis enim loquitur hic poeta; ideo notanter dixit in litera, quod natura pinxerat ibi. — *Salve.* Hic poeta descripto loco delectabilissimo virorum illustrium, describit cantum devotissimum eorumdem, et pulcre fingit quod cantabant illam orationem; unde dicit: *quindi,* idest, ex (1) isto gradu, *vidi anime,* nobilissimas, *seder in sul verde,* idest, herba viridissima, *e in su i fiori,* tot colorum, *cantando: Salve Regina,* quæ oratio summe convenit istis; primo, quia ista oratio cantatur in ecclesia ad completorium, et nunc fiebat sero; secundo, quia oratio fit ad Virginem (2), cuius isti fuerunt devoti; tertio, quia ista oratio admonet superbos, qui colunt et affectant nimis dominia et imperia temporalia, quibus credunt felicitari, et ut humilientur et contemplentur calamitates mundi, cum dicit: *ad te clamamus exules filii Evæ.* Quid ergo de muliere nati lætantur et gloriantur regnis in exilio huius vitæ? et dicit: *che per la valle,* idest, quæ animæ existentes in illa planitie cavata, et concamerata; et sic bene convenit id quod dicitur in illa oratione, scilicet, *in hac lacrymarum valle;* licet enim vallis ista sit vestita herbis et floribus, et delectabilis (3) coloribus et odoribus, tamen est repleta lacrymis et miseriis, *non parean di fuori,* idest, perveniebant ad visum meum extra, ita quod Dantes stans extra in loco altiusculo (4) videbat illos sedentes et cantantes intra illam concavitatem virentem et splendentem.

Prima che 'l poco sole. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta descripto loco convenienti, nunc describit singulariter aliquot spiritus illustres modernos, qui visi sunt sibi memoria digniores. Et primo quidem ostendit

(1) S. ex illo.
(2) E. Virginem Mariam, cuius isti.
(3) S. e E. delectabilibus.
(4) E. altissimo.

quomodo Sordellus invitaverit Virgilium ad considerationem istorum, dicens: *el Mantoan,* scilicet, Sordellus, *che ci avea volti,* quia traxerat eos de via recta per unum tramitem obliquum, ut jam dictum est, *cominciò,* supple, dicere Virgilio mantuano: *non vogliate ch' io vi guidi,* scilicet nunc, sed postea ducam vos, *tra costoro,* tam devote cantantes, *prima che 'l poco sole omai s' annidi:* erat ergo sol quasi in occasu. Et sic nota quod subtiliter poeta fingit se videre istos tali hora, quia non essent hic salvati, nisi quod in occasu vitæ converterunt se ad solem justitiæ; et assignat locum, quare de loco illo sint spectandi, dicens: *voi conoscerete meglio gli atti e' volti di tutti quanti,* idest, omnium et singulorum, *di questo balzo,* idest, stando hic in isto gradu alto, *che accolti tra essi giù nella lama,* idest, quam si essetis congregati cum eis intra illam planitiem cavatam, ad denotandum, quod fama istorum interdum magis sonat a longe, quam a prope, juxta illud Claudiani: *minuit præsentia famam. — Colui.* Hic Sordellus nominat aliquot spiritus electiores, et primo principaliorem principem, scilicet unum imperatorem. Ad cuius cognitionem est primo sciendum, quod Rodulphus genere germanus, patruus comes Alberti, sua probitate factus est dux potentissimus. Nam acquisivit Sueviam, quæ vacabat morte ducis Austriæ qui fuerat decapitatus simul cum Conradino; cuius fecit ducem Albertum filium suum. Et regnavit Rodulphus annis viginti. Et electus imperator habuit grave bellum cum rege Bohemiæ potentissimo anno Domini MCCLXXVII; qui potentia et opulentia sua indignabatur parere sibi. Propter quod Rodulphus cum magno et forti exercitu ivit contra eum. Cui rex potenter occurrit, et commisso acerrimo prœlio (1) inter tam

(1) 117, bello inter.

feroces [1] gentes, rex Bohemiæ acie peremtus est cum magna strage bellatorum. Et sic regnum Bohemiæ venit sub jugum Rodulphi. Sed postea fecit pacem cum filio regis mortui, sed [2] fecit ipsum venire ad se sedentem in sede per medium luti. Et illum stantem genibus flexis in luto conciliavit sibi, præsentibus omnibus baronibus, et dedit sibi filiam in uxorem, et regnum restituit: et sic superbum humiliavit, et humiliatum exaltavit die vigesima sexta augusti. Et sic vide, quare poeta ponit ipsum salvum. Nam Rodulphus iste fuit magnanimus, magnificus, justus et pius, sine dolo, timens Deum, victor in bello, multum formidatus ab alemannis et italicis; et certe si voluisset venire in Italiam, sine resistentia erat dominus: ideo autor arguit eum negligentiæ hic et in præcedenti capitulo. Ad literam ergo: poeta præmittit Rodulphum cunctis, quia habuit principatum romanum, quo nullus est altior in orbe christiano; sed arguit eum negligentiæ, dicens: *colui che più siede alto,* supereminens omnibus, quia imperator, *e fa sembianti,* idest, ostendit in apparentia, *d' aver negletto ciò che far dovea;* nam debebat venire Romam, ut reciperet coronam imperii, et visitare et corrigere Italiam, deinde facere transitum ad recuperandam terram sanctam; imo principaliter ad istum finem papa Gregorius X de Placentia fecerat ipsum eligi [3] imperatorem. Quæ omnia facere neglexit cupiditate potentiæ in Germania, ut autor tetigit capitulo præcedenti; imo visus est diminuere jura imperii in Italia, quia resignavit Bononiam et Romandiolam ecclesiæ, papæ Nicolao de Ursinis. Ideo dicit: *e che non muove bocca a gli altrui canti,* quia dolet et erubescit de negligentia sua, *fu Ridolfo imperador,* electus, *che potea sanar le piaghe,* idest, partialitates et di-

---

(1) E. fortes gentes. (2) E. et fecit. (3) E. eligi in imperatorem.

visiones, *c' hanno Italia morta;* ita quod forte numquam reviviscet, *sì che tardi per altri si ricrea,* idest, reformatur per Henricum imperatorem de Lucimborgo, qui licet descenderet cum bono animo, non potuit erigere Italiam, ut tactum est in præcedenti capitulo, et tangetur plenius capitulo XXX Paradisi. — *L' altro.* Hic Sordellus nominat alium, scilicet regem Bohemiæ, quia fuit gener dicti Rodulphi, et eodem tempore, satis magnæ virtutis; dicit ergo: *l' altro,* scilicet, rex, *che nella vista lui conforta,* sicut confortaverat eum in vita, ut perficeret dicta sua debita, *resse la terra,* scilicet, Bohemiam, quam describit a fluminibus suis, dicens: *dove l' acqua nasce,* scilicet, fluvius Molottus (1), *che monta in Albia,* idest, expressa inferius. Albia est flumen, quod derivatur ab Alamannia, de quo Lucanus in secundo. Vel secundum aliam literam *molta* a mulgeo, sicut *monta* a mungo; vel est ipsum nomen fluvii; *et Albia in mar ne porta.* Est (2) fluvius magnus, qui labitur per medium Pragæ urbis, ubi imperator habet hodie sedem. Et exprimit nomen et virtutem eius, dicens: *Ottachero ebbe nome;* et dicit, quod pater fuit melior filio multum, unde dicit: *e nelle fasce fu meglio assai,* idest, in regalibus honoribus, *che Vincislao suo figlio Barbuto,* qui tunc regnabat (3), et habebat barbam valde magnam juxta illud: « Est bene barbatus, sub Mercurio generatus. » Vel dic, et verius, quod pater fuit melior in infantia, quando ligatus in fasciis vagiebat in cunabulis, quam filius postquam fuit juvenis jam barbatus. Loquitur hyperbolice; quod optime probat, dicens: *cui,* idest, quem Vincislaum, *lussuria et ozio pasce,* quia adhuc vivebat. Quæ duo vitia sunt valde detestabilia in uno vulgari, nedum in rege; nam otiositas et voluptas arma sunt hostis an-

---

(1) E. Melottus vel Moldava. (2) E. Melottus est. (3) E. regebat.

tiqui, ad miseras animas captivandas. — *E quel Nasetto.* Hic Sordellus nominat alios duos reges simul. Ad cognitionem primi oportet hic scire, quod multi dicunt, quod iste, qui mortuus est, deflorando lilium, fuit bonus Ludovicus Franciæ rex, qui bis fecit passagium primo contra Soldanum in Ægyptum, ubi fuit captus et dimissus; secundo in Barbariam contra Tunitium, ubi amisit magnam partem exercitus ex pestilentia, et ipse infirmatus, mortuus est in itinere. Sed nullo modo potest intelligi de prædicto, tum quia non est mortuus deflorando lilium, fugiens, tum quia iste fuit vir sanctus, et est positus in catalogo sanctorum; ideo non debet poni hic in numero negligentium. Dicendum est ergo, quod potius poeta loquitur de filio eius, qui vocatus est Philippus Nasellus. Ideo ulterius debes scire, quod iste Philippus fuit cognatus domini Petri regis Aragonum, quia habuit sororem eius in uxorem. Qui audita rebellione Siciliæ, quam dictus Petrus eripuerat Carolo I patruo ipsius Philippi, juravit facere vindictam de proditione, quam fecerat domui Franciæ. Igitur anno Domini MCCLXXXIV Philippus, Sancti Ludovici filius, facto magno (1) apparatu, cum (2) numeroso exercitu viginti millium equitum et octuaginta (3) millium peditum crucesignatorum francorum, provincialium, et theutonicorum, cum maximo thesauro recessit de Francia cum Philippo et Carolo suo filio, et cum uno cardinali legato papæ, et ivit Narbonam causa transeundi in Cataloniam contra regem Petrum causa subiugandi Aragoniam; de qua Carolus filius eius erat privilegiatus ab Ecclesia romana. Et per mare armavit in Provincia centum viginti inter galeas et alia ligna; et coniunxit se cum domino Jacobo fratre Petri et inimico, quia abstulerat sibi insulam Maioricæ, de qua

(1) E. e 117, maximo apparatu.
(2) S. cum innumero.
(3) 117, triginta millium.

coronaverat Alphonsum primogenitum suum. Anno sequenti recessit a Narbona, et post multos labores perveniens in Cataloniam, obsedit civitatem Girondæ, quam tandem cepit per famem. Petrus prudenter considerans vires regis Franciæ, quibus se imparem sentiebat, noluit committere se prœlio campestri, sed tantum intendebat ad impediendum victualia. Et cum semel posuisset (1) in insidiis, occurrente sibi acie electissimorum equitum francorum, rex Petrus victus est, et vulneratus in facie cum una lancea, et equo eius capto per habenas, ipse probus et providus (2), non obstante vulnere faciei incidit habenas cum ense, et urgens equum calcaribus, exivit de pressura et evasit a captura. Sed non gerens bonam curam de vulnere, reversus ad Villamfrancam, post modicum mortuus est octava die novembris anno Domini MCCLXXXV, et sepultus honorifice in Barcellona. Philippus autem amisit classem suam, quam Rogerius de Loria, valentissimus amiraglius donni Petri, veniens de Sicilia, cum classe invasit, et incendit. Quapropter Philippus videns fortunam sibi adversam, cremato navigio, quo victualia portabantur, concepit tantum dolorem, quod infirmatus est ad mortem. Ex quo franci compulsi sunt recedere, portantes regem eorum infirmantem. Magna pars exercitus periit fame et peste. Et rex Petrus ante mortem rehabuit Girondam. Exercitus Philippi fugiens pervenit Perpinianum, ubi rex expiravit die secunda octobris; et sepultus est apud Sanctum Dionysium. Deinde factus est rex Philippus filius eius, qui agnominatus est Pulcer, cum regina Johanna de Novaria uxore sua. Nunc ad literam: dicit Sordellus: *E quel Nasetto,* idest, Philippus Nasellus. Aliqui tamen textus habent: *Nasuto,* sed male; *che stretto a consiglio*

---

(1) 117 e E. posuisset se in.

(2) 117, providens.

par con colui, idest, loquitur cum illo in sensu composito, vel *parla,* idest, videtur ibi in sensu diviso; est tamen eadem sententia, *c' ha sì benigno aspetto;* iste erat Guillielmus rex Navarræ, filius boni regis Thebaldi, *morì fuggendo e disfiorando il giglio;* signum regum Franciæ, idest, minorando, quia Philippus iste fecerat maiorem apparatum contra Aragoniam, quam unquam aliquis prædecessorum suorum. Et istud bellum fuit cum maiori amissione hominum et equorum et impensa pecuniarum, quam unquam per aliqua tempora in regno Franciæ. Nam rex sequens et plures barones fuerunt postea semper in debitis; ideo notanter poeta dixit: *e disfiorando il giglio.* Dicit ergo: *guardate là come si batte il petto,* dolens de suo infortunio, et filio vitioso simul cum prædicto Guillielmo; unde dicit: *l' altro vedete,* scilicet Guillielmum prædictum, *c' ha fatto alla guancia della sua palma sospirando letto,* quia scilicet in gena reclinabat, et pausabat in palma, sicut in lecto, quia ipse etiam dolebat de Philippo genero suo vitioso, licet non tantum. Et declarat, qui fuerunt isti duo reges, dicens: *padre,* scilicet, Philippus Nasellus, *e suocero,* scilicet Guillielmus rex Navarræ, socer Philippi Pulcri tunc viventis, *son del mal di Francia,* idest, Philippi Pulcri mali, imo pessimi omnium regum francorum; ideo dicit: *sanno la vita sua,* idest, illius mali regis, *viziata e lorda;* multa et enormia crimina istius Philippi tanguntur infra capitulo XX; ideo dicit: *e quindi viene 'l duol,* idest, dolor, *che sì gli lancia,* idest, ferit ad vivum. — *Quel che par.* Hic Sordellus nominat simul duos alios reges modernos occidentis temporaneos (1), quorum uterque fuit valentissimus, et fuerunt in vita hostes acerrimi; scilicet donnus Petrus rex Aragonum, et Carolus I cui eripuit Si-

(1) E. e 117, contemporaneos.

ciliam, pro qua mortuus est ipse Petrus et Philippus Nasellus, ut patet ex jam dictis; et ipse Carolus etiam mortuus quasi in uno anno dicta de causa. Unde debes scire, quod Carolus ([1]) dum reverteretur de Provincia cum magno apparatu ut faceret bellum contra Siciliam, reperit filium captum et cum magna classe ivit in Siciliam et obsedit Messanam. Sed in brevi omnibus sibi adverse cedentibus, concepit tantum dolorem, qui, ut creditur, fuit causa accelerandæ mortis. Nam in brevi postea mortuus est die septima januarii, die sequenti post Epiphaniam anno Domini MCCLXXXIIII, cum vera pœnitentia et contritione, et sepultus est Neapoli. Nunc ad literam: Sordellus describit Petrum prædictum ab habitu corporis et animi, scilicet a virtute, et dat sibi in socium Carolum prædictum, quem describit ab habitu corporis. Dicit ergo: *Quel che par sì membruto,* scilicet, Petrus rex Aragonum. Et hic nota, quod iste Petrus fuit valorosissimus et famosissimus regum occidentalium suo tempore, strenuissimus in armis, formidatus plusquam aliquis regum a christianis et saracenis, considerato parvo et paupere regno suo. Et dat sibi socium valentissimum, dicens: *e che s' accorda,* licet in vita discordassent, quia modo sunt in loco pœnitentiæ; ideo remiserunt sibi iniurias, *cantando con colui del maschio naso,* idest, cum Carolo I, virili valde. Et hic nota quod iste Carolus fuit magnus et membratus ([2]), colore oleagino, et magno naso, ferocis aspectus, rigidus in justitia, multum vigilans, parum dormiens, solitus dicere quod dormiendo perdebatur tantum temporis; cupidus regni et pecuniæ; probus, alti cordis, audax et constans; verax in promissis, tardiloquus ([3]), sed factivus, minimum ri-

---

([1]) E. Carolus revertebatur de Provincia cum magno apparatu et cum magna classe ut iret in Siciliam et obsideret Messanam.

([2]) E. membrutus. ([3]) E. tardiloquus, nunquam nimium ridens.

dens, honestus et catholicus, magnus pugil ecclesiæ; qui maiora fecisset, si non habuisset fortunam adversam in fine, ut dicetur plene Paradisi capitulo VIII, *d'ogni valor portò cinta la corda,* idest, quod ille Petrus fuit cingulo militiæ decoratus, armatus omni scientia belli et disciplina militari. — *E se re dopo lui.* Hic Sordellus nominat post Petrum filium eius primogenitum, commendans eum, et vituperans fratres (¹) eius. Unde dicit: *ben andava il valor di vaso in vaso,* idest, et bene transfundebatur virtus de patre in filium, *se lo giovinetto, che dietro a lui siede,* scilicet, Alphonsus, *fosse rimaso re dopo lui,* idest, supervixisset diutius in regno. Unde nota, quod tempore mortis, Petrus reliquit in testamento Alphonsum primogenitum regem Aragoniæ, et Jacobum II regem Siciliæ. Sed Alphonsus parum vixit post mortem patris; ex quo Jacobus II frater successit in regno Aragoniæ, et Fridericus III frater habuit regnum Siciliæ; ideo poeta dicit in improperium istorum duorum; *che non si puote dir de l' altro erede,* quod probat, quia, *Jacopo e Federico hanno i reami;* quod hereditagium est fortuitum; sed *del retaggio miglior nessun possiede,* quia neuter istorum duorum possidet de virtute paterna; sed Alphonsus virtuosus fuit (²) patri similis et nobilis. Sordellus ex hoc subiungit nobilem sententiam, dicens: *l' umana probitade,* idest, virtus, *rade volte risurge* a radice, *per li rami* sicut a patre in filios; et ratio est quia anima non est a trunco, sed a Deo; ideo assignans causam, dicit: *e questo vuole quel che la dà,* idest, Deus, *perchè da lui si chiami,* idest, ut recognoscatur a Deo, non ab alio. — *Anco al Nasuto.* Hic Sordellus, quia vituperaverat utrumque successorem Petri, degenerantem a paterna probitate, nunc reflectit sermonem suum ad socium eius

---

(¹) E. fratrem. (²) 117, fuit, et patri similis.

Carolum, et dicit [1]: *Anco mie parole,* mordentia, *vanno al Nasuto,* idest, ad Carolum præfatum, quem superius descripsit a masculo naso, quia habuit magnum nasum et virilem animum, *non men ch' a l' altro, Pier,* regem Aragonum, *che con lui canta,* cum tamen contenderit secum in vita de regno Siciliæ occupato ab eo, et vocavit eum proditorem, et provocavit ad singulare certamen. Sed assignato loco et tempore, Petrus non comparuit, allegans locum suspectum: hoc autem creditur fecisse sagaci fraude, ut interponeret [2] tempus, quo firmaret statum suum in Sicilia, sicut fecit. Vult ergo dicere Sordellus: idem dico de uno herede Caroli, quod jam dixi de duobus heredibus Petri; ideo dicit: *onde,* idest, a quo Carolo, *Puglia e Proenza già si duole;* propter mortem eius, quia heres debilis, scilicet Carolus Claudus, successit sibi in regno Apuliæ et Provinciæ, quorum primum Carolus vindicaverat a rege Manfredo, secundum habuerat ex dote uxoris, quæ fuerat filia Raymundi Beringerii comitis Provinciæ, ut dicetur plene capitulo VI Paradisi. Et declarat Sordellus vilitatem heredis Caroli per unam comparationem sub litera satis intricata; et vult sententialiter dicere, quod Carolus Claudus est tanto vilior patre, quanto Petrus Aragonum est melior filiis suis. Dicit ergo: *tanto è del seme suo minor la pianta,* idest, filius eius, qui velut planta descendit ex semine patris, tanto minor est in probitate et virtute, *quanto Gostanza,* quæ fuerat filia regis Manfredi, de qua plene dictum est capitulo III huius libri, *di marito ancor si vanta,* idest, gloriatur de meliore marito, scilicet, donno Petro valentissimo, *quanto più che Beatrice e Margarita.* Istæ duæ erant nurus dictæ Constantiæ, altera uxor donni Jacobi, altera donni

---

(1) 117, dicit quod similiter habet degenerationem; unde dicit.
(2) E. interponeretur.

Friderici, quarum neutra poterat gloriari de probo viro, quia, ut patet ex dictis, isti duo degenerabant a virtute paterna. Alii tamen dicunt, quod istæ duæ fuerunt sorores Constantiæ, quod non credo. — *Vedele il re.* Hic Sordellus nominat alium spiritum illustrem Henricum regem Angliæ. Iste fuit filius Richardi valentissimi, qui mirabilia fecit strenue contra Saladinum; qui Henricus fuit vir bonus, et bonæ fidei possessor, sed habuit heredem meliorem se per contrarium Petri et Caroli, scilicet Adoardum virum valentissimum. Dicit ergo: *il re de la semplice vita,* fuit simplex et purus, sed non strenuus, sicut pater et filius, scilicet, *Arrigo d' Inghilterra seder là solo;* ponit ipsum solum, quia solus fuit simplex in numero regum Angliæ, qui fuerunt communiter astuti valde; vel quia solitarius non gaudebat conversatione hominum, vel quia anglicus: Anglia enim angulus terræ est reposita in Oceano occidentali. Unde Virgilius: *Et penitus toto divisos orbe britannos.* — *Questi,* scilicet, rex Henricus, *ha ne' rami suoi,* scilicet, Anglia, Scotia (1) et aliis insulis, *miglior uscita,* idest, meliorem filium, scilicet Adoardum, qui tunc vivebat. — *Quel che più basso.* Hic ultimo Sordellus nominat ultimum spiritum minoris gradus. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod iste fuit Guillielmus marchio Montisferrati, vir ferox et crudus, tamen valens et potens, qui fuit aliquando capitaneus Mediolani contra Papiam. Iste anno Domini MCCXC cum ivisset cum paucis ad civitatem Alexandriæ, Alexandrini ad instantiam Astensium, quibus marchio erat inimicus, ceperunt eum proditorie, acceptis magnis pecuniis ab Astensibus, qui sunt pecuniosiores omnibus italicis, cæteris paribus, quia sunt magni (2) usurarii; et mortuus est in carcere prædictorum

(1) E. Sicilia. (2) E. maximi.

captivus; imo unus civis saltavit crudeliter super corpus defuncti, et cepit caput eius cum manibus, et percussit ad terram. Alexandrini enim reputantur homines nimis temerarii in Lombardia, qui interfecerunt episcopum suum. Ego credo, quod civitas facta sit ex colluvione variarum [1] gentium, ut dicetur infra capitulo XVIII. Ad literam ergo, dicit Sordellus: *Quel che più basso tra costor s'atterra,* ponit eum bassiorem, quia non fuit tantæ dignitatis et potestatis, sicut prædicti; et si fuit superbus, bene humiliatus est in vita et in morte, *guardando in suso,* scilicet, ad cœlum ex devotione, *è Guiglielmo Marchese;* iste cognominatus est Spata-Longa, *per cui,* idest, propter cuius capturam, *et Alessandria,* scilicet, Alexandria della Paglia in Lombardia, civitas valde nova, *e la sua guerra,* idest, ipsius Alexandriæ, *fa pianger Monferrato,* quia spoliatus est domino suo, qui mortuus est sine herede masculo, et hereditas pervenit [2] ad imperatorem Constantinopolitanum, qui habuit unam filiam Guillielmi. Est autem Monsferratus in finibus Lombardiæ contrata amœna, habens infinita castella in collibus fertilibus, *e il Canavese.* Contrata est contermina Montiferrato, quæ clauditur a duobus brachiis fluminis, quod dicitur Dura, a tertia parte clauditur Pado, a quarta ab Alpibus, et habet forte ducenta castella: quæ est etiam valde fertilis; et ipsa similiter plorat mortem domini sui.

---

(1) E. multarum. (2) 117, devenit.

CANTUS OCTAVUS, *in quo tractat de eisdem, et sicut duo angeli custodiebant vallem illam a quodam serpente; et postea sicut cum judice Nino, et cum Corrado marchione de Malaspinis locutus est multa ventura.*

ERA *già l'ora che volge il disio.* Postquam in præcedenti capitulo superiori poeta noster tractavit et determinavit de quinta specie postponentium pœnitentiam occupatione dignitatum et potestatum temporalium; nunc consequenter in isto VIII capitulo agit et tractat de dispositione dictarum animarum, et pertractat [1] aliqua præambula prævia ad verum purgatorium ad quod appropinquant. Et totum istud capitulum videtur posse dividi in tres partes generales: in prima quarum poeta describit orationem istarum animarum illustrium et orationis effectum. In secunda describit singulariter unam animam modernam de numero prædictarum, cum qua familiariter loquitur, ibi: *Sordello ancora.* In tertia et ultima describit pugnam inter serpentem invadentem animas et angelos defendentes; et describit aliam animam modernam cum commendatione domus illius, ibi: *Gli occhi miei.* Ad primum veniens dico, quod poeta describit orationem illarum animarum cum effectu; et primo describit tempus quo facta est oratio: et vult breviter dicere quod erat hora tarda, quæ tangit corda navigantium et peregrinantium, et facit eos recordari filiorum et amicorum. Dicit ergo: *Era già l' ora,* scilicet, sero primæ diei; *che volge il disio ai navicanti,* idest, revolvit desiderium ad familias eorum, quas reliquerunt

[1] 117, declarat aliqua.

domi, et dulcescit cor eorum, maxime die prima qua recesserunt; unde dicit: *e intenerisce il core lo dì c'han ditto ai dolci amici addio,* idest, vale; et quod dico de navigantibus intellige de peregrinantibus; unde dicit: *e che,* idest, quæ hora serotina, *punge lo novo peregrin,* idest, qui noviter intravit peregre, *d'amore,* scilicet, amatorum parentum et carorum amicorum, *se ode squilla da lontano,* idest, si audit campanam pulsantem a longe ad Ave Maria, *che,* idest, quæ campana, *paia piangere,* idest, videatur deplorare, *il giorno che si more,* idest, diem, quæ recedit et declinat; vel dic, *che,* idest, qui novus peregrinus ita punctus amore videtur deplorare quod nimis cito noctescat antequam hospitetur. Talis ergo hora erat, *quand' io incominciai a render vano l' udire,* scilicet, illum Sordellum loquentem, quasi dicat, quod statim cum Sordellus fecit finem suo sermoni, vidi unam illarum animarum disponentem se ad loquendum cum Deo; unde dicit: *et a mirar,* scilicet, incœpi (1), *l' una dell' alme,* idest, unam illarum animarum, quæ erat anima judicis Nini de Gallura, ut postea dicetur, *sorta,* idest, elevatam, quia primo sedebat cum aliis, et ista anima disponebat se ad orandum, et invitabat alias ad orandum secum, ideo imponebat eis silentium; unde dicit: *che,* idest, quæ anima, *l' ascoltar chiedea con mano,* idest quæ nutu (2), non verbo, faciebat signum illis ut facerent finem cantui, quia cantabant Salve Regina, ut dictum (3) præcedenti capitulo, et ascultarent orationem quam facere intendebat; quasi diceret tacite: amodo est tempus orandi non cantandi. Et hic nota quantum comparatio sit proprie ad propositum: sicut enim navigantes per mare et peregrinantes per terram, adveniente sero, recordantur domus, patriæ et amicorum, et cogitant de portu et (4)

(1) E. cœpi.
(2) 117, vultu non verbo.
(3) 117, dictum est.
(4) E. et de hospitio.

hospitio ubi requiescant a laboribus suis, ita nunc istæ animæ ambulantes per mare amarum et vallem lacrymarum huius mundi recordantur sero, scilicet in morte, patriæ cœlestis, quam dimiserant propter curam regnorum temporalium, ut sic tandem a laboribus magnis requiescant. — *Ella.* Hic poeta describit dispositionem orantis et orationem eius, dicens: *ella,* scilicet, anima, *giunse e levò ambe le palme,* idest, coniunxit manus et levavit ad cœlum, *ficcando gli occhi verso l' oriente,* scilicet oculos mentis, nam orantes convertunt se ad orientem, * unde ecclesiæ christianorum sunt conversæ ad orientem * [1], rogantes, ut sol justitiæ oriatur super eos; tam devote, *come dicesse a Dio: d' altro non calme,* idest, non curo de re alia, quia tota mea intentio tendit in te. Et tangit orationem, dicens, quod illa anima cœpit cum summa devotione cantare unum hymnum beati Ambrosii, qui cantatur ad completorium contra illusiones dæmonis et [2] in pollutiones carnis. Dicit enim: *Te lucis ante terminum Deum precemur supplices ut solita clementia sis præsul ad custodiam. Procul recedant somnia et noctium phantasmata* etc. Sic ergo vide quomodo poeta fingit istos canere talem orationem quæ congruit tali horæ temporis. Dicit ergo quod ista oratio quæ incipit: *Te lucis ante terminum* etc., *gli uscì di bocca,* illi spiritui, *sì divotamente e con sì dolci note,* scilicet, melodia cantus, *che fece me a me uscir di mente;* quasi dicat, quod sum in totum abstractus ad audiendam suavitatem illius dulcissimæ melodiæ. Hoc potes clare intelligere si recurris ad ea quæ notavi de mirabili virtute, et efficacia musicæ ad [3] dissolutionem et devotionem, secundo capitulo huius libri. Et dicit quod illæ animæ fecerunt idem; unde dicit: *e l' altre,* scilicet animæ illustres qui-

---

[1] Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri due testi.
[2] 117, et pollutionem carnis. [3] 117, ad solutionem et devotionem.

bus obediverant in vita magna regna, multæ urbes et magni exercitus, *seguitar lei,* obedientes parvo nutui, *dolcemente e divote,* quia scilicet, surrexerunt et verterunt se similiter ad orientem, et junxerunt et levaverunt manus orantes devote et cantantes dulciter, *per tutto l' inno intero;* hymnus enim est laus Deo debita, *avendo gli occhi,* idest, contemplationem mentalem, *a le superne rote,* idest, ad cœlos, sicut similem actum possumus videre sæpe hora completorii in choris ecclesiarum nostrarum, quod unus incipit alte cantare dictum hymnum vel alium, et continuo cæteri sequuntur usque ad finem hymni. Et nota quod poeta fingit hic istos orare, quod adhuc non fecit in aliqua secta animarum superius, quia appropinquat ad purgatorium, ideo merito inducit istos spiritus intraturos pœnitentiam orare contra tentamenta dæmonis. Sed statim dicet aliquis: quomodo isti orant contra somnia et alia quæ certum est non esse in purgatorio? Dicendum breviter, quod talia non sunt in purgatorio essentiali, sed morali sic: nam qui tendunt ad pœnitentiam maxime tentantur, et ideo [1] magis indigent oratione. — *Aguzza.* Hic poeta descripta oratione devotissima illustrium, describit orationis effectum; et quia facturus est nobilem fictionem, primo convertit sermonem suum ad auditorem, ut reddat eum attentum, dicens: *o lettor, aguzza gli occhi,* idest, subtilem speculationem mentis, *qui,* idest, in isto passu, *al vero,* idest, ad veritatem latentem sub litera, *chè 'l velo,* idest litera, *è ora ben tanto sottile,* idest, clara et aperta, *certo che 'l trapassar,* scilicet, oculorum intellectualium, *dentro,* scilicet ad sententiam, quæ est inclusa sub [2] integumento, *è leggiero,* et verum dicit; nam si quis bene considerat fictionem præcedentem, per quam poeta ostendit oratio-

---

[1] E. ideo maxime indigent.

[2] E. sub tegumento verborum.

nem justorum factam ad Deum, certe faciliter intelligit sequentem, in qua ostenditur effectus orationis justæ exauditæ, quia scilicet statim missum est auxilium a cœlo contra tentationem; et ideo statim ponit dispositionem animarum expectantium succursum a Deo, dicens: *io vidi quello esercito gentile,* idest, illos spiritus illustres, qui fuerunt olim strenuissimi armorum, et armatos duxerunt exercitus, et moraliter sunt in continuo certamine contra vitia; ideo suppliciter implorant divinam gratiam, et ponunt spem in ea, tacite facto fine orationi, *poscia riguardar in sue,* ad cœlum vel ad culmen montis, *quasi aspettando,* quia indubie sperabant suam orationem esse exauditam, *pallido,* per affectionem, *et umile,* per devotionem et subiectionem. Et hic nota, lector, quod illud quod Dantes hic fingit subtiliter de istis regibus et principibus qui humiliant se Deo, et obtinent subsidium, accidit de facto secundum historicam veritatem in Theodosio imperatore romanorum valentissimo. Nam cum gereret bellum contra hostes infestissimos in Gallia, humiliter conversus ad preces obtinuit quod tela hostium retorquerentur in ipsos mittentes, unde faciliter habuit optatam victoriam, ut scribit Augustinus de Civitate Dei, et Horosius, cuius rei miraculosæ fecit mentionem Claudianus poeta paganus conterraneus Dantis, qui gratulatur Theodosio super hac gloriosa victoria, dicens: *O nimium dilecte Deo cui fudit ab antris Æoliis armatas* (1) *hyemes, cui militat æther, Et coniurati veniunt ad classica venti* etc. De quo Ambrosius facit maximam commendationem. — *E vidi.* Hic poeta describit succursum petitum missum a Deo, scilicet duos angelos armatos venientes ad defensionem eorum contra durum adversarium et potentem; unde dicit: *E vidi due angeli*

(1) E. *armatus hyems cui.*

uscir dell' alto, scilicet, cœlo, *e scender giue,* scilicet ad terram, supra vallem. Per hos duos angelos missos a Deo intellige duos nuntios Dei protectores animarum portantes justitiam et misericordiam; quæ duo Deus operatur circa pœnitentes in purgatorio, sicut expresse autor tangit in aliquo textu purgatorii; ideo dat eis arma convenientia, dicens: *con due spade affocate,* idest, ignitis et rubeis; nam ensis figurat justitiam quæ juste ferit delinquentem; et dicit: *tronche e private delle punte sue:* per hoc tangit misericordiam quæ contemperat ipsam justitiam in eodem corpore ensis, quia justitia et misericordia sunt simul (1) unitæ in Deo. Et tangit vestimenta angelorum per comparationem novorum foliorum, dicens: et illi angeli, *erano verdi in veste come fogliette pur mo nate;* et est propria comparatio de viriditate ad viriditatem, et de nova apparitione ad novam nationem foliorum, *che,* idest, quas vestes, *percosse da verdi penne,* idest, ab alis, *traevan,* idest, portabant, *dietro e ventilate* (2), idest, vibratæ. Et per istam tantam viredinem intellige magnam spem quam portant et dant isti angeli istis sic se humiliantibus, et disponentibus ad gratiam, qui sperant in divina justitia et misericordia, in quibus debet spes redeuntium ad Deum semper virere. — *L' un.* Hic poeta describit actum istorum angelorum, dicens: *L' un,* scilicet, angelus, *sen venne,* scilicet, ex una parte vallis, *a star poco sovra noi,* qui eramus in dicto balcio, *e l' altro,* scilicet angelus, *scese in l' opposita sponda,* scilicet, ex altera parte vallis, ne ex aliqua parte subintraret offensio, *sì che la gente,* idest, nobiles illi principes, *in mezzo si contenne:* et sic positi inter duos vigiles custodes erant tuti, et bene sperabant de salute contra omnia impedimenta; vel sic gens purgatorii est

(1) S. e E. simul junctæ in Deo. (2) E. *a ventilare,* idest vibrare.

æqualiter posita inter justitiam et misericordiam. Et describit excellentiam dictorum ([1]) angelorum, dicens: *ben discernea in lor,* scilicet, angelis, *la testa bionda,* idest auream; propter quod figurat perfectionem angelicam, sicut aurum est perfectissimum metallorum, *ma nelle faccie l'occhio si smarria,* propter excessum splendoris procedentis a faciebus eorum, quem oculus noster infirmus sustinere non valet; ideo dicit: *come vertù ch' a troppo si confonda,* sicut virtus visiva gravatur ad radium solis; et de rei veritate intellectus noster sæpe alteratur, non valens cernere vel comprehendere profunditatem divinæ justitiæ vel misericordiæ. Et ostendit officium istorum angelorum, dicens: *disse Sordello,* mihi admiranti illos angelos: *ambo vegnon del grembo di Maria,* idest, a Deo, qui per Mariam fecit justitiam et misericordiam nobis, unde sine Maria non esset purgatorium; ergo bene a Maria venit nobis auxilium, in cuius laudem dictum est: *Quem* ([2]) *totus mundus capere non poterat, tuo gremio contulisti.* Et ecce ad quid: *a guardia della valle,* pro qua intelligitur vallis ista miseriæ, *per lo serpente,* idest tentationem diaboli, qui insidiatur fallaciter tendentibus ad pœnitentiam: dæmon enim in specie serpentis tentavit primos parentes nostros. Et hic nota quod animæ istorum quæ nondum intraverunt purgatorium possunt tentari, ut hic dicitur; sed animæ existentium in purgatorio, non, ut patet infra capitulo XI. Et dicit: *che verrà via via,* idest, nunc nunc, quia facit ultimum de potentia, ut revocet appropinquantes ad portam purgatorii a bono proposito. Et concludit effectum verborum Sordelli ex parte sui, dicens: *ond' io che non sapeva per qual calle,* supple, venturus esset serpens, quia tentatio venit occulta, et subintrat latenter, *mi volsi intorno,*

([1]) 117, istorum angelorum. ([2]) E. *Quem cœli capere non poterant.*

timens mihi ex omni parte, *e stretto m' accostai tutto gelato,* quia nimius timor reddit hominem totum frigidum, quia sanguis recurrit ad cor, ut sæpe dictum est, *alle fidate spalle,* scilicet Virgilii, ad quem fidenter eram solitus recurrere. Et pulcre fingit hoc, quia historice serpens est per naturam inimicus hominis, ideo terribilis et formidabilis; et ideo iste serpens qui prius (1) propinavit venenum primo homini, et dedit mortem illi immortali, plus terruit nunc poetam nondum visus quam aliquis serpentum, quos viderit in arena inferni, qui dabant tam (2) varias mortes peccatoribus.

Sordello ancora. Ista est secunda pars capituli, in qua poeta noster describit singulariter unam animam modernam illustrem quæ familiariter confabulatur secum de filia et uxore; et primo pro continuatione ostendit qualiter Sordellus, non contentus ostendisse eis ab extra spiritus virorum illustrium et actus eorum, deduxerit (3) eos ad locum. Dicit ergo: *Sordello ancora,* supple, dixit nobis, *avvalliamo omai,* idest, descendamus ad dictam vallem, *tra le grandi ombre,* scilicet, magnorum et magnanimorum virorum, *e parlaremo ad esse,* idest, aliquibus ex nostris italicis, ut patebit: et assignat causam, quia, *grazioso fia lor vedervi assai,* idest, quia erit satis gratum, imo gratissimum istis videre vos duos tantos poetas (4), quia viri illustres et moderni summe delectantur videre et audire poetas, qui possint facere de eis memoriam et famam, sicut sapientissimus rex Robertus honoravit et laureavit novissimum poetam Petrarcham, qui ubique facit altas commendationes de eo. Sicut ergo fuit nobilis invidia Alexandri Magni ad Achillem, cuius gloriam Homerus fecerat æternam, ita nobilis timor Alexandri imperatoris timentis viros literatos

(1) E. primus.
(2) E. tam novas mortes.
(3) 117, deduxit.
(4) E. poetas qui possint facere de eis.

et eloquentes, ne aliquid asperum de eo scriberent. Alia litera habet, *vederne;* ita quod tunc Sordellus ponit se tertium, sed nimis esset magna laus de se ipso. Et tangit descensum eorum et animam unam dicens: *solo tre passi credo ch' io scendesse,* de illo gradu altiusculo, *e fui disotto,* scilicet, in valle, *e vidi un che mirava pur me;* iste erat judex Ninus, de quo statim dicetur, qui mirabatur Dantem non pro eo quod erat vivus, sicut cæteri qui (1) nondum sciebant hoc, sed quia volebat cognoscere eum vicinum suum; ideo dicit: *come conoscer mi volesse.* — *Tempo.* Hic poeta ostendit quomodo devenerit in cognitionem istius admirantis se, non obstante hora tarda; unde dicit: *tempo era già,* scilicet crepusculum, *che l' aer s' annerava,* idest, quod aer efficiebatur niger, obscurus umbra noctis advenientis; *ma non sì,* idest, sed non in tantum, *che tra gli occhi miei e suoi non dichiarasse ciò che pria serrava,* ipse aer, antequam descenderem inferius, et ideo, *vêr me si fece,* ille Ninus tamquam avidior, *et io vêr lui mi fei,* et manifestat nomen eius gratulans suæ salvationis. Ad cuius cognitionem debes scire, quod iste Ninus fuit nobilis genere et potens, pisanus origine, quia fuit de Scotis de Pisis, et fuit judex Galluræ in Sardinia, de quo dictum est Inferni capitulo * XXII, et expulsus de civitate Pisarum proditione comitis Ugolini, ut dictum est Inferni capitulo XXXIII * (2), qui confederavit se cum florentinis et lucanis, et magnum bellum fecit tamquam strenuus contra Pisas in MCC; sed paulo post mortuus est in castro sancti Miniati; ideo poeta qui noverat benignam naturam hominis in vita et eius bonam dispositionem in morte, ponit ipsum salvum. Dicit ergo: *Judice Nino.* Nomen fuit olim potentissimi regis assyriorum, qui quondam subiugavit totum orien-

(1) E. e S. quia nondum sciebat hoc.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri due testi.

tem: *deh quanto mi piacque quando te vidi non esser tra' rei!* idest, inter damnatos in inferno, reos mortis æternæ. Hoc dicit quia Ninus nimis fuerat occupatus circa potestatem temporalium, et bellaverat contra patriam, ideo: *nullo bel salutar tra noi si tacque,* ad renovandam amicitiam; *poi dimandò,* ille Ninus, *quant' è che tu venisti a piè del monte,* idest, quod prius applicuisti ad insulam prope montem purgatorii, *per le lontane acque,* scilicet, a fauce tyberina. Imaginabatur Ninus quod Dantes venisset ad purgatorium portatus (1) a navi ab angelo per mare, sicut ostensum est secundo capitulo huius libri. — *Oh! diss' io.* Hic poeta ponit responsionem (2) ad Ninum, et dicit quod non transivit per eam viam per quam animæ defunctorum, imo vivens venit per infernum. Dicit ergo: *Oh! diss' io lui,* scilicet, illi Nino, ego *venni stamane,* quia in diluculo intravit purgatorium, ut patuit primo capitulo huius (3), *per entro i luoghi tristi,* scilicet, transiens per loca infernalia. Unde vide quod sicut Dantes non intravit infernum eo modo quo alii damnati, ita non intravit purgatorium eo modo quo alii salvati: et declarat quare non venit per viam qua mortui, cum addit: *e sono in prima vita,* scilicet temporali, *ancor,* idest, quamvis, *che acquisti l' altra,* scilicet vitam æternam, *sì andando,* idest, sic purgando me a vitiis per istum montem laboriosum. Et ponit effectum suæ responsionis, quia uterque audientium stupefactus est valde; unde dicit: *e come fu la mia risposta udita,* scilicet, quod eram vivus, *Sordello e egli,* scilicet Ninus, qui soli duo audiverant hoc, quia audisti jam quod Ninus recesserat a turba suorum, et venerat in occursum Danti, volens recognoscere ipsum, *indietro se raccolse,* percussi magno stupore; unde dicit: *come gente di subito smar-*

---

(1) S. e E. portatus in navi.

(2) 117 e E. responsionem suam ad Ninum.

(3) 117, huius libri.

rita, de re nova, numquam alias visa vel audita; et tu dices: Nonne Sordellus qui tantum fuerat cum Dante, perpenderat ipsum fore vivum? Dico quod non; quia anima separata est ibi visibilis sicut et homo vivens, ita quod per visum non cognoscebatur ([1]) quod viveret, sed ex eius manifestatione vel umbra corporis, vel respiratione, vel per aliud simile signum; unde poeta exclamavit ([2]) supra secundo capitulo: *o ombre vane fuor che nell' aspetto.* Et ostendit quid fecerunt isti duo stupefacti, dicens: *l' un,* scilicet Sordellus, *si volse a Virgilio,* quasi dicens: o quis est iste mirabilis, quem tu ducis tecum vivum per loca mortuorum? *e l' altro,* scilicet, Ninus, supple, volvit se, *ad un che sedea lì,* scilicet, Corrado marchioni Malaspinæ, qui erat sibi socius et familiaris sedens cum aliis in loco basso, quia iste erat italicus et vicinus suus et magis par quam illi principes et magnates; ideo statim Ninus convertit se ad illum, *gridando,* ex admiratione: *su, Corrado,* idest, surge cito, *vieni a veder che Dio per grazia volse,* idest, rem mirabilem, quam Deus ex gratia speciali concessit uni nostro tusco, ut vivens discurrat videndo regiones mortuorum in seculo: vere ista est stupenda gratia, quæ numquam videtur concessa alteri. — *Poi.* Hic poeta ponit orationem Nini ad se, qui captans benevolentiam petit ut recommendet eum filiæ suæ, sicut fecit rex Manfredus supra. Et litera ista est valde obscura et sententia clausa; unde ista litera potest habere duplicem intellectum: primus est, quod Ninus adiurat Dantem per amorem Virgilii, quod ipse recommendet eum filiæ suæ; et tunc expone et ordina sic literam: *poi volto a me,* scilicet, ille Ninus, qui primo volverat se ad Corradum Malaspinam, dixit mihi adiurative exordiens: *per quel sin-*

([1]) E. recognoscebatur. ([2]) 117, exclamat.

gular grado, scilicet, dilectionis et amoris, vel ascensionis ad cœlum, *che tu dèi a colui,* idest, quem tu debes Virgilio, quia plus tenebatur diligere Virgilium, et plus debebat illi grates et gratiarum actiones, quam alteri autori de mundo, quia dederat sibi causam tanti poematis, et fecerat sibi viam ad tam altam speculationem; unde dicit: *che sì nasconde lo suo primo,* idest, suum corpus quod est prius tempore quam anima, quia prius fœtus generatur in utero et organizatur, quam anima infundatur in corpus, ut [1] dicetur XXV capitulo huius Purgatorii, quod corpus Virgilii erat absconditum, idest sepultum; et petit, *perchè,* idest, quare sic abscondit suum corpus; et respondet sibi ipsi statim, *che non gli è guado,* idest, quia non est vadum vel via, quod mortuus possit portare corpus suum secum; quasi dicat uno verbo: adiuro te per debitum quod habes cum Virgilio qui mortuus ducit te vivum usque ad cœlum; sed licet ista expositio videatur subtilis et pulcra est tamen alia melior et maior. Est ergo secundus intellectus talis, quod Ninus adiurat Dantem per amorem quem habet ad Deum; et tunc litera est sic exponenda; *per quel singular grado,* scilicet, ascensionis, vel dilectionis, vel gratitudinis, *che tu dèi a colui,* scilicet Deo, cui plus teneris quam Virgilio vel alteri benefactori tuo, quia unusquisque tenetur diligere Deum super omnia, et supra se ipsum, et illi reddere grates, etiam si esset certus de damnatione sua, alioquin esset ingratus: quanto plus tu, qui ultra alia multa et magna beneficia obtinuisti ab eo singularem gratiam ascendendi vivus ab infima valle usque ad summum cœlum; et dicit: *che,* idest, qui Deus, *sì nasconde lo suo primo,* idest, primam causam [2], et pri-

---

(1) E. unde dicetur.

(2) 117 e E. causam, et petit: *perchè,* idest quare Deus ita ascondit suam primam causam, et primum principium.

mum principium; et respondet continuo sibi ipsi, *che non gli è guado,* idest, non est vadum, vel via, quo homo possit cognoscere infinitam essentiam primam; quasi dicat uno verbo Ninus: adiuro te per illum infinitum, incomprehensibilem Creatorem, cuius singulare beneficium tantum relucet in te: *quando serai di là dalle larghe onde,* scilicet, Oceani intermedii; quasi dicat: quando rediveris ad mundum viventium, qui est divisus a nostro a magno mari, *di' a Giovanna mia,* filiæ meæ, *che per me chiami,* scilicet, orando devote ad Deum, *là dove,* scilicet in cœlo, *agl' innocenti si risponde,* quia Deus exaudit preces innocentum justas; et ista erat virgo puella pura. Unde ad intelligentiam claram istius literæ et sequentis debes scire, quod iste nobilis Ninus habuit in uxorem illustrem dominam Beatricem, sororem marchionis estensis Azonis III famosi, de quo jam supra facta est mentio capitulo V huius libri, et alibi sæpe; ex qua genuit filiam, quæ vocata est Johanna. Ipse vero mortuus est sine mascula (1) prole: post cuius mortem uxor eius nupsit domino Galeatio Vicecomiti, capitaneo Mediolani, et filia eius nupsit domino Richardo de Camino domino Tarvisii. Ideo Ninus rogat Dantem, ut dicat filiæ suæ, quod roget pro eo, quia uxor sua non videtur amplius curare de eo. — *Non credo.* Hic Ninus ostendit, quare non recommendat se uxori (2), quia non credit, quod amplius curet de eo, sicut simile dixit supra Boncontes de Montefeltro de Johanna uxore sua. Dicit ergo: et quare dico de filia? quia, *non credo, che la sua madre,* idest, Beatrix uxor mea, quæ sic vocata est a Beatrice quondam Aldrovandini marchionis filia, quæ nupsit Andreasio regi Hungariæ, mulier magnanima valde, *più m' ami,* sicut prius (3) amabat in vita; *poscia*

(1) E. e 117, masculina. (2) S. uxori suæ, quia. (3) 117, me prius.

che transmutò le bianche bende, quas portabat in viduitate, idest, postquam transvolavit ad secundas nuptias domini Galeatii. Per hoc nota, quod poeta tacite tangit vanam curam quorumdam, qui ex nimio amore, quem habent ad uxores, a quibus videntur diligi (1) in vita, solliciti sunt quid acturæ sint post mortem eorum, et vellent eis præscribere legem ne transirent ad secunda vota, cum tamen possint dici satis felices si in vita servetur par debitum, æqualis amor, et mutua fides coniugii: ideo iste divinat sibi malum, dicens: *le quai,* scilicet, bindas albas, *convien che misera ancor brami;* quia scilicet deveniet ad talem statum, quod vellet libenter esse in primo statu viduitatis: et sic fuit de facto, quia vir suus secundus expulsus de Mediolano, factus est stipendiarius Castruccii in Tuscia, et mortuus est ibi. Et ex hoc Ninus arguit ab uxore sua ad alias instabilem amorem mulierum, dicens: *per lei assai di lieve si comprende,* idest, per unam faciliter cognoscitur de aliis; vel secundum aliam literam, *di là,* idest, in mundo viventium; *quanto in femina foco d' amor dura,* idest, non diu durat ardens amor in muliere, *se l' occhio o 'l tatto spesso nol raccende.* Mulier enim, ut alibi dictum (2) est, naturaliter est frigida, sed more ferri si accenditur visu vel tactu efficitur calidior viro, quæ caliditas non continuatur, nisi sæpe reaccendatur. — *Non.* Hic Ninus probat, quod ista non bene fecerit nubendo secunda (3) vice, quia non erat sibi tam honorabile post mortem dici uxor Galeatii, sicut si diceretur uxor Nini. Dicit ergo: *la vipera,* insignium (4) vicecomitum de Mediolano, *che i milanesi accampa,* idest, quam mediolanenses portant in campo, quia Galeatius erat tunc dominus Mediolani, *non le farà sì bella sepoltura,* idest tam honorabilem,

---

(1) 117, se diligi.
(2) E. tactum est.
(3) E. secundo viro quia non erit sibi.
(4) 117, signum.

com' avria fatto il gallo di Gallura. Nam Gallus est insignium judicum Galluræ; quasi dicat: pulcrius fuisset sibi, quod in epitaphio sive titulo sepulturæ legeretur: Hic jacet Beatrix, uxor judicis Nini de Gallura, quam quod legatur: uxor domini Galeatii de Mediolano. Et dicunt communiter exponentes, quod Ninus erat nobilior et melior illo, sed de hoc non facio curam hic; sed dico quod loquitur subtilius, et vult dicere: maior (1) honor erat huic illustri mulieri dici uxor unius viri tantum, scilicet primi, quam secundi; ita quod tacite tangit eam, quod nupsit secundo, unde jam doluit de hoc supra. Et certe istud est laudabile in muliere, et fuit laudabilius olim in Roma, quæ (2) aliquandiu fuit quoddam templum pudicitiæ. Unde Valerius dicit, quod quæ uno erant contentæ matrimonio corona pudicitiæ honorabantur; imo usque in hodiernam diem, non habetur mulier in magno pretio vel honore in urbe, quæ nubit post primum virum; sed certe venit lex nova quæ dicit: mulier soluta lege viri, quotiens vult nubat in Domino. Ista nobilis domina, quid debebat facere vidua, quæ erat juvenis et formosa, et sine filiis masculis? Et quomodo potuisset etiam si voluisset contradicere marchioni fratri suo potentissimo? Sed ulterius non erit superfluum considerare hic quod poeta noster non sine quare descripsit hic incidenter istam domum mediolanensem ab insignio, quia armatura ista terribilis et domus fuit nimis potens diu in Lombardia. Unde primo nota quod vipera est serpens strictus superius, amplior inferius, habens caput dentatum (3), os acutum, sed masculus (4) tantum duos dentes inferius, et alios duos superius correspondentes illis; fœmina autem habet plures: et in hoc cognoscitur morsus masculi a morsu fœminæ, ut dicit Avicenna. Et

(1) 117, quod maior. (2) S. e E. in qua aliquandiu. (3) 117, detractum.
(4) S. e 117, masculus habens tantum duos dentes.

de isto animali Plinius et multi dicunt quod exitus superfluitatis est sicut puncta acus, ideo non potest concipere nec parere sicut alia animalia; quod totum Albertus magnus reputat falsum, et dicit quod numquam natura dedit actum, cuius non daret naturalem potentiam et facultatem; ideo dicit, quod omnia genera serpentum concipientium primo ova, et postea parientium animal ([1]) propter duas sui uteri dispositiones dicuntur viperæ, quasi vi intrinseca parientes. Ad propositum ergo domus vicecomitum de Mediolano portat viperam pro armatura, quæ tenet infantulum totum sanguineum in ore, quem nunc ([2]) deglutit, nunc evomit, sed tenet in continuo cruciatu. Vult ergo dicere Ninus, quod Beatrix plus esset honorata gallo, armatura primi viri, ave domestica, quam vipera, armatura secundi viri, serpente feroci; qui gallus naturaliter inimicatur serpenti. Circa secundum, videlicet circa potentem domum est sciendum, quod primus promotor domus vicecomitum fuit cardinalis Octavianus de Ubaldinis, qui fecit fieri Othonem vicecomitem capellanum suum, archiepiscopum Mediolani; qui vir astutissimus rogavit eumdem, ut faceret fieri Raymundum de la Turre patriarcham Aquileiæ, ut illi de domo sua sequerentur eum: et sic factum est. Qui Raymundus tenuit patriarchatum ([3]) viginti sex annis; et fuit frater domini Alemanni, qui primus fuit capitaneus Mediolani. Igitur anno Domini MCCLXXVI expulsis dominis de la Turre de Mediolano, qui diu fuerant potentissimi, Otho cum suis intravit Mediolanum cum isto modo et pacto, quod plures ex nobilioribus domibus eligerentur capitanei, qui regerent civitatem successive, quorum primus fuit dominus Maffæus vicecomes nepos eius, ob

([1]) 117, animalia.
([2]) E. quem nec deglutit nec evomit, sed tenet eum in continuo.
([3]) 117, patriarchatum Aquileiæ.

reverentiam eius. Cum autem Maffæus diceret in fine anni patruo suo, officium finiri, Otho extorsit gladium de vagina nepoti, et dixit: Eripe a me, si potes, hunc gladium. Ille notavit dictum, et continuavit regimen. Iste Maffæus fuit providentissimus (1) tyrannus; et sua solertia fecit multa magnalia, et vixit ultra nonaginta annos, et usque ad mortem viguit magno intellectu. Cum autem Maffæus vellet omnia sibi, et non participaret consortibus (2) suis et aliis, expulsus fuit de Mediolano; et illi de la Turre cum viribus patriarchæ venerunt supra Mediolanum cum magno exercitu et magnis potentibus Lombardiæ. Et breviter opera Alberti Scotti de Placentia, Guidottus de la Turre intravit Mediolanum, et paulo post factus (3) est capitaneus; duxit asperum dominium valde, et multum persequutus fuit Maffæum et filios, ita quod quasi reduxit eos ad nihilum. Unde fugientes paupercule de terra in terram, reduxerunt (4) se ad unum parvum castellum in comitatu Ferrariæ, propter affinitatem Beatricis, de qua dictum est. Guidottus non contentus persecutione, illudens fortunæ Maffæi, de (5) industria misit hominem curialem sagacem ad eum, qui fecit Maffæo duas petitiones, scilicet, quomodo stabat, et quando sperabat redire Mediolanum. Maffæus prudens lepide respondit ad primum; et subito dixit: Videtur mihi bene stare, quia scio vivere secundum tempus. Ad secundum dixit: Quando peccata domini tui præponderabunt meis, tunc revertar Mediolanum. Guidottus (6) facta sibi relatione per virum curialem, dixit: Bene lucrifecisti palafredum et robam. Et ista bene sunt verba prudentissimi Maffæi. Et sic fuit in brevi. Nam Maffæus reintravit Mediolanum, quando minus sperabatur, reductus

---

(1) E. prudentissimus.
(2) 117, cum consortibus.
(3) E. factus capitaneus.
(4) E. e 117, tandem reduxerunt.
(5) E. de sui industria.
(6) 117, Qui Guidethus.

per Henricum VI. Iste Maffæus habuit quinque filios, quorum primus fuit Galeatius, qui successit patri in dominio, et Azo filius eius tenuit dominium post eum. Secundus fuit Johannes archiepiscopus Mediolani, vir satis simplex, sed multum regebatur consilio suorum consiliariorum. Et fuit (1) summus cum Luchino tertio genito, et defuncto Luchino (qui fuit justissimus tyrannus) Johannes solus regnavit (2). Hic fuit potentissimus; nam ultra terras Lombardiæ, quas tenuerat Luchinus, habuit Bononiam et Januam cum omni jurisdictione sua. Quartus fuit Marcus miles strenuissimus armorum. Quintus Stephanus, qui dum propinaret poculum Bavaro, et vellet illi dare venenum, ut ordinatum erat cum fratribus, Bavarus præsentiens, dixit: Bibe tibi; qui coactus bibere mortuus est. Hic Stephanus fuit pater Barnabovis et Galeatii, qui duo diebus nostris ita lacerant Lombardiam. — *Così*. Hic ultimo poeta imponit finem sermoni Nini, et excusat eum circa ea quæ dixit de uxore et fœminis, et dicit quod ex bono zelo, non ex zelotypia quam haberet de uxore sua, quam (3) vivus calide amaverat; dicit ergo: *Così dicea,* ille Ninus, *signato della stampa,* idest, impressione, vel signo, *di quel dritto zelo,* idest, justo et honesto amore coniugali, *che misuratamente,* idest, qui amor legitimus temperate, *il core avvampa,* idest, incendit animum boni viri, ita quod (4) non immense vel inordinate amat, ita quod cadat in zelotypiam; et sic vide quomodo poeta loquitur obscure in materia quæ de se est tantum clara.

Gli occhi. Ista est tertia pars generalis in qua poeta revertens ad materiam superius inchoatam describit pugnam angelorum et serpentis; et describit alium spiritum illustrem modernum cum commendatione domus

(1) E. e 117, fuit dominus cum Luchino.
(2) 117, remansit.
(3) E. quam Ninus.
(4) E. quod immense.

eius. Et primo quidem pro continuatione notat dispositionem suam, dicens: *Gli occhi miei ghiotti,* idest, avidi videndi, *andavan pur al cielo,* et specialiter, *pur là dove le stelle son più tarde,* scilicet ad polum antarcticum, quia stellæ circa utrumque polum moventur tardius, et ille polus qui est nobis semper occultus, est illis semper apparens; et e converso noster polus arcticus, qui est nobis semper apparens, est illis semper occultus; et specificat tarditatem stellarum, quæ moventur circa polum, per propriam comparationem, dicens: *sì come ruota più presso allo stelo,* idest axi, est, supple, tardior; sicut clarum exemplum habes in horologio, quia ille circulus qui est vicinior axi non videtur quasi moveri respectu ultimi qui videtur quasi volare. Et ostendit quid viderit ibi, quia tres fulgentissimas stellas, dicens: *e 'l duca mio,* scilicet, Virgilius videns me ita abstractum versus illum polum, petivit: *figliuol, che lassù guarde?* circa illum polum; *et io a lui,* supple, respondi: *a quelle tre facelle,* idest, stellis ardentibus, *di che il polo di qua,* scilicet, antarcticus, *tutto quanto arde,* idest, splendet. Deinde ostendit quomodo Virgilius declaraverit sibi permutationem stellarum esse factam; et ad intelligendam istam literam recordare (1) quod poeta noster scripsit primo capitulo antequam intraret purgatorium se vidisse quatuor stellas non visas nisi apud antiquos, per quas figuravit quatuor virtutes cardinales, a quibus tendens ad virtutem debet inchoare: unde introduxit (2) ibi Catonem moralem quem dictæ stellæ suis radiis illustrabant. Nunc vero intraturus verum purgatorium fingit tres alias stellas ascendisse in locum illarum, idest, tres virtutes divinas, ad quarum lucem homo debet intrare pœnitentiam, et illæ quatuor primæ declinaverunt sub istis, quia sci-

(1) E. e 117, debes recordari. (2) E. introducit.

licet sunt subiectæ eis tamquam ancillæ ministrantes eis. Dicit ergo: *ond' elli a me:* supple, Virgilius dixit: *le quattro chiare stelle,* idest, virtutes prædictæ morales, quibus tamquam primis anima bona adornatur, sicut corpus componitur ex quatuor elementis, *che vedevi stamane,* in ortu auroræ, *son di là basse,* scilicet, sub istis tribus, *e queste,* scilicet, tres, *son salite ov' eran quelle,* scilicet, ad nostrum polum antarcticum. Unde debes considerare quod Virgilius qui nunc loquitur est in alio hemisperio opposito nostro; ideo polus antarcticus, qui est nobis occultus, erat apparens eis, et erat polus eorum lucens, quia recesserant a tenebra vitiorum nostri hemisperii. — *Come.* Hic poeta describit adventum serpentis, quem supra dixerat Sordellus esse venturum ad tentationem animarum. Et primo dicit quomodo Virgilius ostenderit ipsum sibi, unde dicit: *com' io parlava,* idest, dum sic loquebar cum Virgilio, *e Sordello a se il trasse,* scilicet, ipsum Virgilium, *dicendo: vedi là il nostro avversaro,* scilicet, serpentem tentationis; *e drizzò il dito,* ostendens sibi locum unde veniebat, *perchè là guardasse.* Et sic nota quod cum strictius disponimur ad contemplandum virtutes divinas quæ nos ducunt ad Deum, tunc diabolus studiosius nititur nos revocare insidiis suis: ideo bene poeta fingit quod sunt retracti a contemplatione [1] illarum stellarum, et a locutione quam faciebant de eis. Et continuo describit quæ erat ista serpens, et unde, et qualiter veniebat. Dicit ergo: *una biscia forse qual diede ad Eva il cibo amaro,* quia suasit ut gustaret de pomo vetito, quod visum est dulce et suave, sed in effectu fuit amarum et mortiferum; et dicit notanter forte, quia nulla tentatio potest esse similis illi, quam serpens fecit primis parentibus, quibus persuasit, quod essent sicut

---

[1] E. ab aspectu illarum.

Dii scientes bonum et malum; *era da quella parte aperta onde la piccioletta valle,* semota, cavata in monte in qua stabant animæ virorum illustrium, *non ha riparo,* idest, quia non habet montem oppositum, non aliquod claustrum vel obstaculum; vult dicere, quod serpens non veniebat desuper per montem, nec ab aliquo latere montis, ubi erant duo angeli armati lucidissimis spatis, prompti ad defensionem, sed solum veniebat versus ostium vallis per viam planam, herbosam. Et nota quod sub ista pulcra fictione poeta figurat moraliter quod tentatio principaliter invadit hominem ab ea parte, qua invenit eum magis immunitum et imparatum (1), quia scilicet diabolus luxurioso ostendit pulcram fœminam, quæ habet magnam potestatem in hominem; avaro ostendit magnam pecuniam, quæ omnia potest (2). Veniebat ergo dæmon nunc armatus ad tentandum istos nobiles spiritus variis delectabilibus (3), puta unum luxuria, alium potentia, alium gloria; unde dicit: *la mala striscia,* idest, meretrix trita, quæ inducit hominem ad omnia mala, *venia tra l' erba e i fiori,* quia tentatio ingerit se blande inter delicias et delectationes varias, *volgendo ad ora ad or la testa e il dosso,* ut reddat se totam pulcram et appetibilem; ideo dicit: *leccando come bestia che si liscia.* Lissare est proprium mulierum quando fucant se et comunt ut magis placeant. — *Io.* Hic poeta descripta insultatione serpentis insidiosa, describit defensionem angelorum; dicit ergo: *Io nol vidi, e però dicer nol posso, come mosser li astori celestiali,* idest, quomodo angeli recesserunt de loco ubi erant positi ad custodiam, qui merito assimilantur avibus, quia sunt alati et velocissimi, ut totiens dictum est, et dicetur in isto Purgatorio, et præcipue asturibus, quia (4) sunt aves for-

(1) S. imperitum.
(2) E. potest ostendere. Veniebat.
(3) 117 e E. delectationibus, ut puta.
(4) E. qui sunt.

tes multum; *ma vid' io bene l' uno e l' altro mosso,* volantes contra serpentem. Et per hoc nota quod homo non perpendit quando auxilium Dei venit ad eum contra tentationem, quia gratia venit occulta, sed postea cognoscit per effectum quando tentatio fugatur, quia non potest obtinere victoriam in animam eius, ita quod et justitia et misericordia manifestatur in nobis. Et subdit effectum, scilicet fugam serpentis, dicens: *il serpente sentendo fender l' aria alle verdi ali,* illorum angelorum, qui dabant bonam spem victoriæ illis animabus ibi positis, *fuggì,* a facie angelorum, *e gli angeli dier volta,* serpente fugiente, *rivolando,* circa vallem, *iguali,* sicut æqualiter moverant, quia semper militant simul justitia et misericordia Dei ad protectionem hominis, *suso a le poste,* idest, ad utramque spondam montis, ubi primo stabant ad custodiam. Et hic nota, lector, quod omnia sunt in continuo certamine, imo omnia quæque [1] creata; nam angeli in cœlo primo habuerunt bellum inter se, et continuo boni angeli pugnant contra malos; planetæ militant [2] contra firmamentum, et inter se, sicut et elementa invicem contrariantur. In terra vero aves, pisces, serpentes, homines et cætera animalia. Quid homines inter se? non pater cum filio, non vir cum uxore, non frater cum fratre, ne dicam de servo cum domino, de privigno cum noverca, de nuru cum socru? imo ipse homo sæpe discordat secum. — *L' ombra.* Hic poeta describit alium virum singularem illustrem modernum; et primo tangit mirabilem attentionem illius ad se: et vult dicere breviter quod per totum illud spatium quo serpens venit contra vallem, et angeli volaverunt contra serpentem et revolaverunt illo fugato, ille spiritus numquam removit oculos ab inspiciendo eum. Dicit ergo: *L' ombra,* hic

[1] E. quæcumque creata. [2] S. pugnant.

erat Corradus marchio Malaspina, *che s' era raccolta al giudice,* idest, quæ traxerat se versus Ninum, *quando chiamò,* idest, quando ex admiratione supra vocavit, et dixit: Surge, Corrade, veni, vide; *non fu punto sciolta,* idest, non fuit aliquo modo remota aspectando me, ita erat ligata de fixo intuitu in me, *per tutto quello assalto,* idest, quamdiu duravit ille insultus inter unum serpentem et duos angelos; ita quod ipse poeta non stetit plus attentus ad cernendum certamen inter serpentem et angelos, quam steterit ille Corradus ad respiciendum eum, quia non poterat satiari visione eius, audito quod erat vivus et vicinus (1) suus: optabat enim scire nova de domo sua (2), et mens eius erat quasi præsaga quod iste esset facturus singulare præconium de stirpe suorum, sicut statim dicetur. — *Se la lucerna.* Hic poeta ponit orationem illius spiritus ad se, qui ad captandam benevolentiam adiurat eum per id quod maxime tunc optabat, ut dicat sibi nova de partibus suis; dicit ergo: *cominciò ella,* scilicet, umbra Corradi: *se la lucerna,* idest, scientia (3) tua, vel lux Virgilii, vel divina illustratio et gratia, *che ti mena in alto,* versus cœlum, *trovi tanta cera,* idest, virtutem, idest (4) conspectionem et speculationem, vel, *tanta cera,* idest, tantam materiam, et tam bene dispositam, *nel tuo arbitrio,* idest, in tuo ingenio, et libero arbitrio, *quant' è mestieri,* idest, necessario exigitur et requiritur ad tantum iter et tam longum opus, idest ad perfectionem finalem huius purgatorii; unde dicit: *in fin al summo smalto,* idest, usque ad summum cacumen montis, quem poeta vocat smaltum per pulcram metaphoram, quia ibi est hortus de-

---

(1) E. vivus convicinus suus.
(2) E. e 117, sua et contrata sua, et mens eius.
(3) 117, si scientia tua.
(4) E. idest conspeculationem et conspectionem.

liciarum planus, viridis, herbosus, floridus (1); simili metaphora usus est Inferni capitulo IIII describens locum virorum illustrium, et ibi notavi de proprietate huius metaphoræ, ideo non repeto, ne sim nimis longus; si ergo habeas tantam gratiam; *dillo a me, se sai novella vera,* non fingas mihi, *di Val di Macra.* Hic nota quod Macra est fluvius rapax, innavigabilis, ut dicit Lucanus, qui labitur apud antiquam civitatem desertam Lunæ; unde hæc eadem vallis hodie appellatur vulgariter Lunisana; et est (2) hic fluvius confinis Tusciæ, de quo alibi dictum est, et dicetur; ideo dicit: *o di parte vicina,* sicut de Tuscia vel Liguria. Et manifestat se a loco, a nomine, a virtute, ut reddat poetam sibi magis benevolum; et dicit: *che già grande là era,* quasi dicat: Fui magnus (3) dominus in vita in illa Valle Macræ. Et audi quis fui: *chiamato fui Currado Malaspina.* Ad quod sciendum, quod hic Corradus erat maiordomus virtute armorum, clarus tempore suæ mortis. Habuit autem avum eiusdem nominis, qui suis gestis magnifice (4) exaltavit familiam suam; et magna præmia promeruit apud Othonem imperatorem; et hic nepos studuit imitari probitatem avi. Et hic nota, quod in Chronica januensium multa scripta sunt de antiquitate, nobilitate, potentia et virtute istius clarissimæ familiæ marchionum Malaspinarum. Audivi etiam quod beatus Augustinus, cui plus credo, fecit mentionem de ista domo, sed hoc numquam vidi: de qua familia multi fuerunt viri illustres, et multi fuerunt Corradi viri valentes. Ideo ad tollendam æquivocationem, quæ multis inducit errorem, sicut patet in Cæsaribus, Scipionibus, et mille familiis illustrium, ille Corradus

(1) E. floridus similis illi; et simili metaphora.
(2) E. est ibi fluvius et finis Tusciæ.
(3) 117, magnus dives in vita.
(4) 117, magnifice dicitur exaltasse familiam suam.

dicit: *non son l' antico,* qui fuit valde virtuosus, *ma di lui discesi,* per rectam lineam sanguinis. Nec degeneravit ab eo, sicut autor dixit in capitulo præcedenti de filiis illustrium. Unde Corradus tangit singularem actum virtutis suæ, dicens: *a' miei portai l' amor,* idest caritatem, *che qui raffina,* idest, qui inducit me ad purgatorium, ubi anima affinatur, sicut aurum in igne. Unde nota, quod narratur de isto Corrado, quod veniens ad mortem sine prole, omnia sua castella condivisit inter consortes suos, et prædia condonavit (1), exhortans eos ad (2) concordiam. Et tamen discordia hodie disturbavit (3) istam domum, sicut et quasi cæteras Italiæ. Aliqui tamen exponunt istam literam aliter, et dicunt, quod Corradus vult dicere, quod in tantum amavit suos (4) in exaltationem suæ domus, quod neglexit opera meritoria, intentus circa temporalia, de quo hic expectat purgari. — *O, dissi lui.* Hic poeta ponit suam responsionem ad petitionem marchionis, et extollit gloriam suæ domus ex generali fama omnium hominum. Unde dicit: *diss' io lui,* idest, illi Corrado: *O,* admirative loquitur, *giamai non fui per li vostri paesi,* scilicet, per Vallem Macræ; et verum dicit, quia in MCCC numquam fuerat ibi, sed post expulsionem suam cito fuit ibi; sed licet non fuerim ibi personaliter, tamen audivi semper vera de domo vestra. Unde dicit: *ma dove si dimora,* idest, in qua parte fit habitatio, *per tutta Europa,* ubi est maxime orbis christianus, *ch' ei non sian palesi?* idest, publice cognita, propter singularem virtutem vestrorum? Et declarat se, dicens: *la fama che la vostra casa onora,* idest, honorabilem reddit in testimonium virtutis, *grida i signori,* idest, celebrat et prædicat marchiones Malaspinas, *e grida la contrada, sì che ne sa chi non vi fu ancora.* Et sic fama, quam

(1) E. donavit.
(2) E. ad custodiam, concordiamque. Et.
(3) E. conturbavit.
(4) S. e E. suos et exaltationem.

omnes ([1]) famant, non est omnino perdita, ut vult philosophus. — *Et io.* Hic poeta in singulari extollit domum marchionum a duplici virtute, quæ maxime convenit viris illustribus, scilicet, liberalitas et probitas, adeo quod etiam aliquos vitiosos reddit ([2]) gloriosos. Et adiurat sic esse, per id quod maxime fuit adiuratus a Corrado, unde dicit: *Et io vi giuro, s' io di sopra vada,* scilicet, ad summum montis opera Virgilii, et gratia Dei, *che vostra gente,* idest, genesis, sive genus Malaspinorum, *onrata non si sfregia,* idest, honorata non deornatur et spoliatur, *del pregio della borsa,* idest, liberalitatis, *e della spada,* idest, probitatis. Et hic nota, lector, quod virtus habet hoc proprium ut in amorem sui bonos erigat, malos in stuporem; et cum omnis virtus habeat hoc, maxime fortitudo, quæ semper fuit maxime ([3]) honorata: hæc meruit triumphos, hæc statuas, hæc omnia genera honorum, quæ Roma voluit conferre Scipioni, ut scribit Livius, et contulit Cæsari et Augusto, ut scribit Florus. Et confirmat dictum suum, dicens: *uso e natura,* quæ duo sunt potentissima in omni re, *sì la privilegia,* illam domum vestram, *che sola va dritta,* scilicet, per viam virtutis, *e il mal cammin dispregia,* scilicet, vitiorum; et dicit, *perchè 'l capo rio,* scilicet, papa et imperator, *torca lo mondo,* scilicet, deserendo justitiam. Sed licet ista expositio videatur de mente autoris, qui ponit istam conclusionem sæpe et potissime infra capitulo XVI, potest tamen exponi honestius, ut per caput mundi ([4]) intelligas diabolum, qui dicitur princeps mundi, et qui paulo ante in specie serpentis invaserat animas istorum nobilium: et non est nequius caput super capite serpentis. — *Et elli.* Hic ultimo poeta ponit responsio-

---

([1]) **117, omnes homines famant.**

([2]) **117, reddat gloriosos; et jurat. — E. reddidit gloriosos.**

([3]) **E. præcipue honorata.**

([4]) **E. mundi exponas diabolum.**

nem Corradi marchionis, qui in præmium tam liberalis commendationis factæ prædicit quod in brevi ipse experietur facto illud, quod didicit sola relatione famæ. Unde dicit: *Et elli,* scilicet, Corradus dixit mihi: *or va,* quia plus non teneo te in verbis, *che il sol non si ricorca,* idest (¹), recollocabitur, *sette volte nel letto,* idest, signo, *che 'l montone,* idest, quem solem aries, sub quo signo tunc sol erat, *copre et inforca con tutti quattro i pei,* quasi dicat: non pertransibunt septem anni, *che cotesta cortese opinione,* quam habes de gloria domus (²) ex fama tantum, *ti fia chiavata in mezzo della fronte,* idest, confirmabitur in medio tui capitis, scilicet, quando eris in exilio, *con maggior chiovi,* idest, beneficiis, quia oculata (³) fide, *che d' altrui sermone,* idest, quam fama aliorum; et dicit: *se corso di giudicio non s' arresta.* Iste Corradus videbat quod in futurum ex judicio Dei Dantes factus exul erat recipiendus honorifice a consanguineo suo: et sic fuit de facto, quia expulsus de patria pervenit in terras istorum marchionum, et ibi liberaliter tractatus a marchione Moroello, et per ipsum reductus fuit ad istud nobile poema quod omiserat per exilium suum, cuius principium credebat esse amissum, sicut plene notavi Inferni capitulo VIII circa principium. Ideo non mireris, lector, si poeta noster fecit tam operosam commendationem de illa stirpe illustri. Certe morbo ingratitudinis laborasset, si præteriisset ita nude.

(¹) 117, idest, non recollocabitur. (²) 117, domus meæ.
(³) 117, occulta fide.

CANTUS NONUS, *ubi tractat sicut in somno apparuit sibi aquila quædam quæ ipsum exportavit, et postquam excitatus est dixit Virgilius sibi sicut hæc aquila fuit beata Lucia; et postea sicut appropinquaverunt portam purgatorii, et de angelo tenenti claves; et Dantes oravit petens ei misericordiam, et ipse descripsit frontem Danti cum spata.*

La *concubina di Titone antico.* Postquam a [1] principio huius libri hucusque poeta noster tractavit et determinavit de iis, qui dicuntur relegati extra purgatorium in antipurgatorio, nunc consequenter in isto IX capitulo aggreditur tractatum veri purgatorii, in quo puniuntur et purgantur principaliter qui peccaverunt in septem peccatis mortalibus. Et præsens capitulum potest dividi in quatuor partes generales; in prima quarum poeta describit unum mirabile somnium quod habuit in somno. In secunda describit interpretationem somnii, ibi: *Non altrimenti.* In tertia describit portam et portarium huius purgatorii, ibi: *Lettor, tu vedi ben.* In quarta et ultima describit eorum introitum in verum purgatorium, ibi: *Cenere o terra.* Ad primum veniens dico, quod poeta describit unum mirabile somnium; unde attende quod istud capitulum est valde difficile et subtile, ideo poteris videre si Dantes fuit mirabilis poeta. Volens ergo describere somnium primo præmittit somnum, describens horam temporis qua obdormivit; et sententialiter non vult aliud dicere, nisi quod dedit se somno, exigente natura, circa finem tertiæ horæ noctis *jam surgente aurora lunæ, quæ in quarta hora noctis * [2] apparere de-

---

(1) E. a principio libri.

(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri testi.

bebat: describit ergo auroram lunæ poetice, dicens: *La concubina di Titone antico.* Sed adverte quod ista litera videtur multum difficilis et dubitabilis, quia poeta videtur dicere unum quod numquam fuit dictum vel fictum per alium poetam, scilicet quod aurora lunæ sit concubina Titonis; ideo aliqui dixerunt quod autor describit hic auroram solis, sed hoc est falsum et impossibile si quis bene consideret literam istam. Dico ergo quod simpliciter describit auroram lunæ; sed cum vocat eam concubinam Titonis, dico et credo, quod poeta noster de novo hoc fingit, sicut sæpe, imo quasi semper facit novas fictiones in omni materia. Consideravit enim quod omnes poetæ dant auroram solis in uxorem Titoni; ideo ipse dat illi amicam, scilicet auroram lunæ, quia uxor stat prope virum, amasia vero a longe. Vult ergo dicere, quod erat tertia hora noctis primæ, quia aurora lunæ jam surgebat, quæ est concubina Titonis. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod Titon filius Laomedontis regis troiani non jure, sed viribus et auxilio fortunæ acquisivit certam terram in extremo orientis, cuius fuit rex: ideo poetæ finxerunt quod Titon esset maritus Auroræ, quia habuit terram, unde venit auroram subiectam sibi, sicut vir habet uxorem, et ex ea procreavit filium nomine Memnonem, qui in auxilium regis Priami venit ad Troiam dum obsideretur a græcis, et fuit ibi bellando peremptus, sicut scribit Virgilius. Dicit ergo, quod concubina Titonis antiqui, idest aurora lunæ, *già s' imbiancava,* idest, surgebat [1] et apparebat alba, quia aurora lunæ est alba, ubi aurora solis est rubea, *al balzo d' oriente,* idest, a fenestra orientis, sicut mulier pulcra alba surgens de lecto facit se ad fenestram; ideo dicit: *fuor delle braccia,* quia videtur jacuisse in thalamo an-

---

[1] 117, jam surgebat.

tequam appareat, *del suo dolce amico,* scilicet Titonis: et dicunt aliqui quod Titon proprie dicitur vapor elevatus et grossus, quia (1) elevatur a terra et stat prope terram; et describit signum cum quo oriebatur, dicens: *la sua fronte,* illius pulcræ amicæ, *era lucente di gemme,* idest, splendentibus stellis, *poste in figura,* idest, in signo quod habet naturam et figuram scorpionis; ideo dicit, *del freddo animale,* scilicet (2) serpentis scorpionis, *che con la coda percuote la gente.* Et hic nota quod istud signum scorpionis non dat homini minus nigrum et pestiferum venenum, quam scorpio animal frigidum. Scribit enim Guido Bonatti foroliviensis magnus astrologus (3) se vidisse in Arabia unum astrolabium mirabilis magnitudinis, in quo erant figurata omnia signa zodiaci, et in signo scorpionis erat figuratus unus æthiops tenens stercus ad nasum, ad indicandum quod nati ascendente scorpione delectantur fodere in stercoribus et rebus fœtidis, quales multos sæpe videmus. Et specificat horam temporis, dicens: *e la notte,* scilicet prima, *de' passi, con che sale,* appellat horas passus, quibus nox incedit sicut et dies, et tunc ibant paribus passibus, quia erat æquinoctium, *fatti avea dui,* scilicet passus quasi dicat: jam fecerat duas horas; *e 'l terzo,* scilicet passus, *già chinava in giuso l' ale,* quia tempus non solum currit sed volat, quasi dicat: et tertia hora noctis jam finiebatur; nam præascendente libra, quæ apparuit ibi in principio noctis, sequebatur scorpio immediate cum aurora, *nel loco ove eravamo;* idest, in illo hemisperio inferiori, *quand' io,* qui solus eram vivus, *che meco avea di quel d'Adamo,* scilicet, carnem et corpus, *vinto dal sonno,* sine quo natura humana (4) vivere non potest, *in su l' erba inchinai,* idest, posui me ad jacendum causa quie-

(1) 117 e E. qui elevatur.

(2) E. scilicet scorpionis.

(3) 117, philosophus et astrologus.

(4) E. humana diu vivere.

scendi, *in su l' erba,* idest, in illo solo herboso, ubi erat lectus illorum illustrium; unde dicit: *là dove tutti cinque sedevamo,* scilicet, Virgilius, ipse Dantes, Sordellus, judex Ninus, et marchio Corradus. Et hic nota quod Dantes describit congruam horam sui somni; nam cum tunc esset tempus æquinoctii ipse vir studiosus erat solitus vigilare per tres horas noctis (1) et evigilare in aurora sicut nunc fecit. — *Nell' ora.* Nunc poeta, descripta hora temporis qua obdormuit, scilicet auroram lunæ, describit horam qua somnium fecit, scilicet auroram solis: et breviter vult dicere, quod cum dormisset ad sufficientiam secundum suam naturam et consuetudinem habuit unam visionem circa auroram diei, quando solent plus fieri somnia vera. Visio autem erat, quod videbatur sibi videre unam aquilam in alto, quæ celeriter descendens rapiebat eum et portabat usque ad speram ignis, ubi præ nimio calore ardens cogebatur evigilare. Ordina nunc literam sic: *in sogno,* idest, in (2) somnio, *mi parea veder un' aquila,* ista erat Lucia, idest, divina gratia, de qua dictum est plene secundo capitulo Inferni, *sospesa nel ciel,* quia pendet a mente divina, *con penne d' oro,* de nobiliori materia non potuit formare alas istius aquilæ, quia nullum metallum perfectius, quia numquam corrumpitur, numquam diminuitur, numquam deficit; ideo dicit, *con l' ali aperte,* quia gratia Dei semper aperit brachia, et libenter admittit (3) omnes redeuntes ad eum, sicut nunc poetam nostrum; unde dicit: *et a calar intesa;* idest, intentam et paratam ad descendendum in subsidium autoris. Sicut enim ista Lucia succurrit poetæ nostro intraturo in infernum, dum impederetur ab illis tribus feris pessimis impedientibus sibi ascensum mon-

(1) 117, noctis, et vigilare.
(2) E. in insomnio.
(3) E. admittit redeuntes. — 117, admittit adeuntes ad eum.

tis, ita nunc succurrit sibi intraturo purgatorium contra serpentem; et quia sua virtute non poterat, levavit eum in altum, et præsentavit coram angelo Domini: et hoc fecit circa auroram diei, quam describit a [1] planctu hirundinis; unde dicit: *nell' ora,* scilicet, postmodum in fine noctis, *che la rondinella comincia i tristi lai;* vox est naturaliter significans, quasi dicat: tristes versus et lamentationes, *presso alla mattina,* prope diluculum; et dicit: *forse a memoria de' suoi primi guai,* idest, suorum antiquorum dolorum. Ad huius literæ intelligentiam plenam oportet scire longam fabulam, quam Ovidius scribit valde diffuse VI sui maioris, cuius breviter hæc est summa: Tereus rex thraciæ regionis habens uxorem, nomine Progne, filiam Pandionis regis Athenarum, precibus uxoris suæ profectus Athenas petebat a Pandione socero, ut daret sibi filiam virginem nomine Philomelam, quia uxor sua summe optabat videre sororem. Et ecce interim supervenit Philomela pulcerrima velut dea tam forma naturali, quam cultu artificiali; qua visa infelix Tereus stupefactus nimia pulcritudine ita exarsit eius [2] amore, sicut stipula subito accenditur igne; et fluctuans animo interius vexabatur variis curis, sicut est de more amantium; tandem sub honesto colore obtinuit filiam a patre, qui molestissime tulit eius recessum, quia erat solatium senectutis suæ. Igitur Tereus accepta Philomela in navi, prospere navigans, cum primum applicuit ad litus regni sui, lætus velut aquila, rapto lepore, traxit Philomelam cognatam suam in quamdam sylvam in domum cuiusdam pastoris, et illam trementem, velut agna capta a lupo, aut columba rapta [3] ab asture, et frustra reclamantem, defloravit virginitate sua. Sed Philomela magis accensa igne iræ, quam Tereus igne

---

[1] 117, a cantu. [2] S. in eius amorem. [3] E. capta.

libidinis, exprobrabat [1] illi barbaram crudelitatem et inhumanam luxuriam, et minabatur se propalaturam hoc omnibus. Quare Tereus, extincta flamma libidinis, reaccensus est flamma iræ, et evulsit illi crudelius linguam, quam extorserat honorem eius; quæ lingua [2] feriebat terram velut lingua serpentis amputata; et illa dimissa, reversus in regnum fallaciter finxit uxori quod Philomela mortua erat. Post tempus Philomela, quod non potuit dicere lingua scripsit manu sua; nam texuit pallium et inseruit literas, quibus significavit sorori tam indignum facinus. Illa infuriata dolore accessit ad locum, et sororem occulte duxit ad regiam [3]; et Philomela plorante, Progne dixit, quod non lacrymis sed ferro erat agenda vindicta: et dum multa minaretur ecce Itys filius eius infantulus veniebat ad matrem, qui armavit illius iram. Nam crudelis mater viso filio, dixit: ah, quam es similis patri! et continuo illum captum traxit secum, velut tigris cervulum tenerum, in locum secretum, et impie jugulavit et coxit, extremitatibus reservatis; et invitato marito solo, sicut [4] aliquando solebat, apposuit filium sibi, qui cum ignarus avide comedisset, petivit Itym filium. Tunc Progne non valens ulterius dissimulare crudelia gaudia, dixit: Quem petis intus habes. Sed Tereo circumspiciente, quia credebat quod esset in camera, et quærente ubi esset Itys, Philomela proiecit caput filii in faciem patris, nec unquam tantum optavit loqui sicut tunc, ut posset memorare sibi crudelitatem pro crudelitate. Tereus autem factus furiosus abiecta mensa voluisset, si potuisset, evomere carnes filii, clamans se fore sepulcrum filii sui; et in furore rapto [5] ense persequebatur eas; sed ambæ subito conversæ sunt

---

(1) S. improperabat.
(2) E. lingua extorta.
(3) S. regem.
(4) E. sicut ante solebat.
(5) 117, capto ense.

in aves, Progne [1] in hirundinem, Philomela in avem sui nominis; sed Tereus conversus est in avem turpissimam quæ dicitur upupa, quæ discurrit per sepulcra mortuorum; Itys vero puer conversus est in phasianum. Sed ultimo nota, lector, quod res narrata, licet dicatur fabulosa, tota fuit historia vera, sicut scribit Augustinus de Civitate Dei, et Horosius, præter finem ubi fingitur transformatio istorum; cuius fictionis allegoriam ponam infra, capitulo XVI. Ex dictis ergo clare patet, quare hirundo dicitur prope mane cantare tristes lamentationes. Et subdit poeta quod tali hora fiunt interdum somnia vera, dicens: *e che la mente nostra più peregrina,* idest, magis remota et abstracta, *dalla carne,* idest, a sensibus et passionibus, quia tunc perfecta digestione et resolutis fumis mens est magis sobria, *e men dai pensier presa,* idest, minus occupata a curis rerum exteriorum, *alle sue vision quasi è divina,* idest præsaga, quia scilicet prævidet vere futura per somnium. Et hic nota, quod quædam sunt somnia naturalia, sicut videmus quod aliqui sæpe a natura faciunt somnia vera, aliqui semper falsa; quædam sunt bestialia, sicut illa quæ proveniunt a crapula vel ebrietate; quædam vero sunt spiritualia, quæ fiunt revelatione divina. — *Et esser.* Hic poeta describit locum et modum sui raptus per unam comparationem nobilem. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod, ut fingunt poetæ et græci et latini, Ganymedes filius regis troianorum cum ivisset cum sociis in venationem extra Troiam, ecce aquila, quæ dicitur avis Jovis, subito illum raptum portavit in cœlum, ubi factus dicitur pincerna Jovis. Huius fictionis veritas est, quantum spectat ad nostrum propositum, quod Juppiter potens rex Cretæ [2] felix [3] cum venisset in aciem contra Troem regem Phry-

---

[1] E. scilicet Progne. [2] E. cretensis. [3] 117, felix in prœlio, cum.

giæ, a quo Troia denominata est, apparuit sibi conspectus aquilæ, quam accepit pro bono augurio; et breviter factus victor cepit Ganymedem filium regis, quem duxit in Cretam et fecit pincernam suum. Ad literam ergo, dicit poeta: *et esser mi parea,* scilicet in valle vel sylva, *là dove i suoi,* scilicet socii, *foro abandonati,* scilicet, apud Troiam, *da Ganimede.* Scio quod alii alia dicunt de isto facto, sed (1) dicta sufficiant, *quando fu rapto al sommo concistoro,* scilicet, in cœlum inter Deos. Et hic nota attente quantum poeta noster scivit figmenta aliorum poetarum ducere(2) ad suum propositum. Vere enim non posset inveniri comparatio magis propria huic facto. Aquila enim avis Jovis optime figurat aquilam missam a Deo; Ganymedes raptus ab aquila figurat ipsum nobilem poetam raptum ab aquila divina; sylva amœna et virens apud montes (3) Troiæ figurat vallem herbosam floridam (4) illorum illustrium apud montem purgatorii; nobiles socii Ganymedis figurant nobiles socios Dantis, qui remanserunt ipso rapto in altum, sicut socii Ganymedis, illo rapto in cœlum; et sicut Ganymedes factus est servitor Jovis, ita Dantes factus est servus (5) omnipotentis Jovis tractus nunc ad purgatorium, ubi efficietur totus divinus, et sic perveniet in cœlum. Et ostendit quid imaginabatur in somnio dicens: *fra me pensava;* in illo raptu mentis, *forse questa,* scilicet aquila, *fede,* idest ferit, vel, *sede pur qui,* idest in ista valle, *per uso,* quia forte habet suum nidum hic; *e forse disdegna di portarne suso in pede d' altro loco,* quam ab isto; sed non stetit diu suspensus animus eius, quia aquila non stetit diu suspensa; unde dicit: *poi mi parea che più rotata,* scilicet, illa aquila, *un poco discendesse*

(1) E. sed hæc dicta.
(2) 117, adducere ad suum propositum.
(3) 117, montem Troiæ.
(4) E. et floridam.
(5) 117, servitor omnipotentis.

terribil come folgor; aquila enim dicitur a poetis esse armiger Jovis, et ministrare fulmina illi, ita ista aquila potens missa a Deo subito fulgurat super hominem et ipsum incendit, et rapit in altum; unde dicit, *e mi rapisse suso infin al foco,* idest, ad speram ignis, quæ est contermina ([1]) cœlo. Et ecce effectum illius raptus: *ivi parea ch' ella et io ardesse,* in illo igne; *e sì l' incendio imaginato,* in mente, *cosse,* idest, ita vehementer me incendit, *che convenne che 'l sonno si rompesse;* ita quod evigilarem a somno. Et sic vide quomodo autor accensus novo amore a divina gratia fuit tractus a valle ad montem.

Non altrimenti. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta noster describit interpretationem claram sui mirabilis somnii factam a Virgilio. Et primo præmittit suam evigilationem quam egregie describit per unam comparationem nobilissimam. Ad cuius cognitionem claram, quia multi hic multa superflua ([2]) vulgo dixerunt, est sciendum necessario quod hanc materiam hic tactam eleganter scribit ([3]) Statius in suo minori, quod dicitur Achilleida; cuius summam breviter dicere conabor. Thetis mater Achillis tradidit illum infantulum alendum et instruendum bonis artibus Chironi centauro, qui habebat domicilium suum, sive speluncam sub monte Pelion in Thessalia. Chiro ([4]) ergo non nutrivit Achillem lacte more aliorum, sed sanguine et medullis leonum: deinde ducens eum per cavernas sylvarum, assuefecit eum venationi ferarum, calori, frigori, et omni labori, cum venabulo pharetra et similibus. Nec tenebat eum in molli lecto, sed in duro saxo simul secum; et cum vix esset duodecim annorum docuit eum currere, saltare, natare. Nec unquam permittebat ipsum persequi

([1]) E. conterminata.
([2]) 117, frivola.
([3]) 117, scripsit.
([4]) S. Chiron ergo.

damas vel cervos, sed ursos, apros et leones, et exercebat eum in omni genere pugnæ. Sed domina Thetis præsentiens Paridem ivisse ad rapiendam Helenam, suspicans [1] filium Achillem moriturum apud Troiam, volens obviare fato, decrevit transferre eum ad locum tutiorem. Accessit ergo ad domum Chironis, et ecce Achilles redibat a venatione cum multo sudore et pulvere, et tamen inter labores erat dulcis aspectu cum facie nivea, colore purpureo, capillis flavis, oculis [2] radiantibus, apportans secum duos catulos leoninos, quibus acuebat ungues; sed visa matre, abiectis leonculis, ruit in oscula et amplexus. Audiens ergo dea Thetis, quod rex Lycomedes regnabat in insula Scyro, quæ est una de Cycladibus, asportavit Achillem [3] omnino sopitum ad illam, ubi ipse evigilans a somno stupefactus respiciebat novam terram, novam aquam et omnia nova, ita quod dubitabat agnoscere matrem. Ibi mater induit eum diu recusantem et verecundantem habitum fœmineum. Nam tunc a casu filiæ regis venerant ad Templum Palladis quod erat in litore maris, ubi celebrabatur festum; erant autem septem numero, quarum maior vocabatur Deidamia, * omnes eximiæ formæ in uno habitu, sed Deidamia * [4] cæteras pulcritudine excellebat; qua visa, ille crudus [5] puer continuo contraxit novum ignem amoris in ossa et novum ruborem in faciem; et nisi pudor et [6] reverentia matris detenuisset [7] eum, turbasset festum non obstante turba magna multitudinis. Sic ergo faciliter factus est mansuetus et permisit se vestiri et poliri more fœmineo; et mater admonuit eum, qualiter debebat se gerere inter mulieres, et [8] tradidit illum regi Lycomedi conservan-

---

(1) E. suspectans.
(2) E. et oculis.
(3) 117, Achillem ideo sopitum.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(5) 117, rudis puer.
(6) E. et verecundia matris.
(7) S. detraxisset.
(8) S. et ita dedit illum.

dum usque ad tempus nubilis ætatis, fingens esse sororem Achillis; et sub isto colore excusabat si videretur nimis virilis, rogans ut caveret a circuitu, et præcipue ne veniret ad litus ne forte raperetur a troianis, sicut Helena a Paride. Virgines vero filiæ regis mirabantur virginem novam, honorabant, et tangere gaudebant. Interim Græcia et tota Europa parat bellum contra Troiam, et reges omnes se præmuniunt, et populi armantur ad ultionem tam atrocis iniuriæ: et tandem omnes naves græcorum convenerunt apud Aulidem insulam, quæ est in mari Euboico, et omnes vires congregatæ sunt in unum corpus sub uno rege Agamemnone; et quamvis ibi esset fortis Diomedes, astutus Ulyxes, audax Thelamonius, Aiax et alii multi magnifici principes, tamen tota multitudo suspirabat Achillem absentem, et nomen eius amabant, et solus Achilles contra Hectorem petebatur. Ex quo post longam consultationem Calchas sacerdos et augur ad postulationem Protesilai, quem fortuna trahebat in bellum, dixit quod mater absconderat eum in aula regis Lycomedis in forma fœminea, et statim Diomedes præveniens Ulyxem, dixit: Nos vocat iste labor, cui Ulyxes lætanter assensit. Parata ergo navi cœperunt navigare per Cyclades, et tandem prospero vento pervenerunt ad Scyron scopulosam, et descendentes ad litus dimiserunt navem cum sociis, ne illi de insula terrerentur, et ipsi duo accesserunt ad urbem, et portantes ramum (1) olivæ invenerunt regem in introitu portæ; cui facundus Ulyxes narravit qualiter erant missi ad explorandum vias et passus, ne auxilia irent ad Troiam. Rex illos gratanter receptos introduxit in aulam. Ulyxes providus (2) totam regiam consideravit oculis si notaret ibi aliquod vestigium virginis masculæ. Achilles autem,

(1) E. ramos. (2) E. provide.

audito novo, exhilaratus est valde. Discumbentibus deinde omnibus, rex mandavit quod suæ filiæ venirent; sed Ulyxes intentus statim collegit gestus Achillis, qui non stabat verecunde et timide sicut aliæ damicellæ ([1]), et ostendebat transversaliter illum Diomedi, et nisi Deidamia sollicite revocasset eum et tenuisset sub modestia admonendo illum nunc pede, nunc manu, nunc oculo, jam esset manifestatus Achilles ducibus græcorum. Finito convivio rex cœpit dicere, quod multum invidebat ducibus illis; nam si esset junior, vel haberet prolem virilem iret, vel mitteret ad bellum troianum. Tunc cautus Ulyxes, captata opportunitate temporis, respondit: Certe, rex, tu desideras rem gloriosam; quis enim non cuperet videre avide innumerabilem exercitum et tot reges, duces et principes, cum tota fortitudo et pulcritudo potentis Europæ coniuraverit contra Troiam? Numquam alias fuit data tam copiosa materia famæ fortibus viris. Hæc dicens, Ulyxes respexit Achillem intentum auscultantem omnia auribus attentis, et certe saltasset a mensa nisi Deidamia abduxisset sorores et ipsum. Ipse tamen ultimus recedens retro aspiciebat ([2]) Ulyxem. Ulyxes deinde dixit regi quod remaneret in pace, et procuraret viros ([3]) suis filiabus, quæ erant excellentes in pulcritudine. Respondit rex: Quid diceres si videres eas facere sacrificia Baccho vel Palladi? et certe si cras erit serenus aer poteritis videre. Tunc duces conceperunt maiorem spem, sed nox illa visa est longa sagaci Ulyxi, et desiderabat cito diem fieri. Adveniente die, cœperunt pulsari tympana et alia instrumenta Bacchi, et illæ virgines cœperunt tripudium, sed Achilles ordinem non servabat. Diomedes autem ad mandatum Ulyxis paraverat ([4]) quædam donaria muliebria donanda illis in præmium laboris; et patre rege con-

([1]) E. domicellæ.
([2]) 117, respiciebat.
([3]) E. viros filiabus.
([4]) E. portabat quædam dona muliebria.

sentiente ut acceptarent, aliæ eligebant frisia, aliæ cymbala, vel similia jocalia pertinentia ad mulieres; sed ferus Achilles videns clypeum splendentem, in quo erant sculpta crudelia prœlia, applicitum uni hastæ, quem Ulyxes de industria fecerat afferri, infremuit, nec mandatum maternum, nec occultus amor Deidamiæ remansit in eo; sed Troia erat in pectore toto, et (1) appropinquans magis ad clypeum, videns se in illo horruit et erubuit. Tunc Ulyxes appropinquans illi, dixit: Quid dubitas? Scimus quis es: Græcia tua expectat te signis suspensis: ergo rumpe moras audacter. Jam Achilles aperiebat sibi vestem a pectore ut se (2) spoliaret. Tunc tubicen (3) Ulyxis, sicut erat mandatum sibi, cœpit fortiter pulsare tubam, et continuo omnes puellæ territæ refugerunt versus patrem. Achilles autem abiecta veste apprehendit scutum et hastam, et statim visus est alter, tantum calor belli occupavit eum, et replevit salam horribili splendore armorum, et stabat jam terribilis in medio timentium, velut si jam iret contra (4) Hectorem. Ex alia parte Deidamia videns fraudem detectam, cœpit clamose plorare; nam Achilles cognoverat eam violenter cum semel ivisset extra civitatem ad festum Bacchi, ad quod non licebat accedere nisi mulieribus, et conceperat ex eo, et jam pepererat filium occulte, quod nullus sciebat, nisi quædam nutrix Deidamiæ (5). Achilles autem audiens grandia lamenta Deidamiæ, fracta virtute sua occulto amore, dimisso clypeo, convertens se ad regem attonitum et pavidum novitate rei mirabilis, narravit publice illi totam formam fraudis maternæ, dicens, quod cedebat Lycomedi ad magnam gloriam, quod esset ille qui mitteret eum ad bellum, et quod habebat eum cariorem patre Peleo,

---

(1) E. et appropinquans illi dixit.
(2) 117, se expoliaret.
(3) S. tubicina.
(4) 117, versus Hectorem.
(5) S. Deianira.

qui genuerat eum, et Chirone qui nutriverat, petens ut confirmaret matrimonium furtive contractum, et excusans Deidamiam, quæ non potuerat vitasse (1) vires talium brachiorum, dicebat: fac ergo me pati pœnam de hoc, jam socer es; et proiiciens filium ante pedes, addidit, jam es avus. Ille quamvis cognosceret (2) iniuriam suæ caræ filiæ, tamen timebat obviare factis (3); et si attentasset, quid profuisset? Certe Achilles ibi sprevisset matrem suam si præsens fuisset. Lycomedes ergo ut haberet talem generum consensit. Tunc Deidamia verecunda venit, et quamvis non speraret (4) veniam placavit patrem mediante Achille. His rebus gestis missus est nuncius in Thessaliam, qui significavit (5) patri Peleo rem magnam, ut pararet socios et classem ad bella; et ipse rex Lycomedes armavit genero suo duas naves, excusans se quod non plus poterat. Adveniente nocte Achilles dormivit securus cum sua Deidamia, et illa anxia petebat quando revideret eum inter brachia sua, dolens, quod vix habebat spatium plorandi, et quod una nox dederat et abstulerat Achillem sibi. Achilles autem consolabatur eam et jurabat sibi fidem, promittens magna; postea ingressus navem cœpit recedere a Scyro. Deidamia vero stans in alta turri cum sororibus lacrymantibus, et tenens filium nomine Pyrrhum respiciebat a longe Achillem recedentem; ille vero sæpe retorquebat oculos ad muros urbis, cogitans domum viduam et planctum uxoris relictæ (6), et occultus amor renascebatur in corde eius. Sed Ulyxes sentiens illum suspirantem, conatus (7) est caute revocare eum suis verbis, dicens: o destructor destinate magnæ Troiæ! Ergo tua mater celavit te astute sub habitu fœmineo ut tanta virtus mar-

(1) 117, vitare. — E. evitasse. (2) E. agnosceret. (3) E. fatis.
(4) E. speraret pro his veniam. (5) 117, significaret. (6) E. derelictæ.
(7) 117, conatus est illum caute removere cum suis verbis.

ceret (1) in otiosa umbra? Cui Achilles respondit, quod suus ensis excusaret fallum matris: et petivit Ulyxem, quod sibi narraret principia et justas causas irarum contra Troiam. Ulyxes narravit illi raptum Helenæ, et dixit post multa: quid ageres si aliquis iret nunc ad rapiendam (2) Deidamiam, et asportaret a patria illam attonitam et clamantem nomen magni Achillis? Tunc Achilles reduxit manum ad capulum, et magnus rubor accendit faciem eius. Ulyxes contentus his tacuit. Et continuo Diomedes cœpit petere Achillem de eius nutritura sub Chirone; et sic confabulantes venerunt ad campum, ubi fecit illa miranda quæ scribit Homerus in sua Iliade. Et hic nota, lector, quod solet sæpe moveri dubium, qualiter est possibile, quod Pyrrhus filius Achillis natus ex Deidamia venerit ad Troiam post mortem patris ad bella gerenda? sed certe sic dubitantes non considerant quod apparatus tanti belli non potuit fieri in brevi tempore. Unde debes scire quod tempore mortis Hectoris, Helena jam steterat in Troia per spatium viginti annorum, ut scribit Homerus XXIII Iliados. Ex dictis etiam removetur aliud dubium, videlicet, quis fuerit laudabilior (3) an Hector, an Achilles? Certe non solum Homerus græcus, sed Virgilius, Statius et cæteri poetæ latini videntur præferre Achillem, qui in strenuitate armorum fuit superior; et alia multa adscribuntur sibi, quæ Chiron magister suus docuit illum, qui novit pulsare, cantare, et medicamina herbarum, nobiles mores, justitiam et modum regendi, ut scribit Statius. Nunc est tempus veniendi ad literam, quæ istis visis remanet valde clara. Dicit ergo: *Achille non altrimenti,* idest, similiter, *si riscosse,* scilicet a somno, et evigilavit (4), *gli occhi svegliati rivolgendo in giro,* ut audisti plene in narrata hi-

(1) 117, maneret.
(2) S. rapiendum.
(3) S. nobilior an Hector.
(4) E. et vigilavit.

storia, *e non sapendo là dove si fosse,* quia mutaverat locum; unde dicit: *quando la madre,* scilicet, Thetis timens præsagium, *transfugò lui,* idest, furtive et celeriter transtulit, *dormendo,* idest, dormientem, *in le sue braccia,* non fidens committere illum alteri, *da Chirone,* scilicet, centauro nutritore suo, *a Schiro,* insulam Arcipelagi, *là donde,* idest, de qua insula, *li greci poi il dipartiro,* scilicet Ulyxes et Diomedes, qui duxerunt eum ad exercitum græcorum ad mortem destinatam, a qua mater frustra conabatur liberare eum; *che mi scoss' io,* scilicet, a somno et evigilavi (1), *sì come il sonno mi fuggì dalla faccia,* quia aperui oculos prius clausos, *e diventai smorto,* novitate rei mirabilis a simili, *come fa l' uom che spaventato agghiaccia.* Et hic nota quantum hæc nobilis comparatio est (2) propriissima per omnes partes suas: Thetis enim dea removit Achillem a Chirone magistro suo, et domina ista divina, scilicet Lucia removit Dantem a Virgilio magistro suo, qui sicut Chiron novit naturas equorum, bestiarum, arborum, herbarum, sicut patet ex libro Bucolicorum, sub quo Dantes didicit nobiles mores, sicut Achilles sub Chirone; et sicut mater Achillis solicita de salute filii, ne iret moriturus ad Troiam, transtulit ipsum de pulcra caverna ad locum tutum et quietum; ita ista pia mater Lucia solicita de salute istius filii, ne iret moriturus ad voluptatem, transtulit eum ad locum tutum et munitum purgatorii. Et sicut fortissimus Achilles evigilans stupefactus est totus videns omnia nova, et factus est novus; ita valentissimus poeta Dantes totus est attonitus (3). — *Da lato.* Hic poeta ostendit quomodo in tanto dubio fuerit confirmatus a Virgilio sicut erat solitus in omni terrore (4). Unde dicit: *Da lato m' era solo il mio conforto,* scilicet, Virgilius qui secutus fuerat

(1) E. vigilavi.

(2) 117, est nobilissima et propriissima.

(3) 117, attonitus et mutatus.

(4) E. terrore confirmari. Unde.

eum, ubi consueverat præcedere eum, quia hic erat opus maiori ala ad tam arduum ascensum; nec Virgilius per se erat sufficiens ad perducendum eum ad istum passum, et tempus erat bene dispositum pro eis, quia jam erat multum diei, fugata tota nocte. Unde dicit: *e il sole,* scilicet, novus in die secunda, *era alto già più che due ore,* ita quod poterant tute incipere novum iter, et ipse erat bene dispositus; unde dicit: *e 'l viso m' era a la marina torto,* scilicet versus orientem. Et ponit exhortationem Virgilii, dicens: *il mio signore,* qui solus venerat ad regendum me, *disse: non aver tema,* imo potius bonam spem, ideo, *fatti sicur, che noi siamo a buon punto,* quia pervenimus ad portam tutæ civitatis, ubi justitia et misericordia exercent homines secundum merita(1) omnium; et ideo, *non stringer, ma rallarga ogni vigore,* idest, virtutem animi, quia, *tu se' omai al purgatorio giunto;* et via est patens, unde dicit: *vedi là il balzo,* idest gradum, quia ibi est una scala trium graduum, *che 'l chiude d' intorno;* et ibi in monte erat cavata una porta per quam intrabatur; unde dicit: *vedi l' entrata là 've par disgiunto,* idest, divisum. — *Dianzi.* Hic Virgilius manifestat Danti, quando et a quo fuerit translatus ad istum locum altum, et sic interpretatur somnium; unde tangens primo tempus, dicit: *Dianzi, nell' alba,* scilicet in aurora, *che precede il giorno,* idest, ortum solis, *quando l' anima tua dentro dormia,* multum abstracta a carne, *sopra li fiori, ond' è là giù adorno,* scilicet in valle illa florida, ubi stant principes, *venne una donna,* in forma aquilæ, quæ acute videt et alte volat, vere imperiosa domina, *e disse: io son Lucia;* quæ lucet omnibus disponentibus (2) se ad illam recipiendam, sicut nunc poeta noster; ideo dicit: *lasciatemi pigliar costui che dorme,*

---

(1) E. merita eorum. (2) S. qui disponunt se ad.

quia vos alii [1] illustres nondum estis dispositi ad veniendum sursum, *sì l'agevolerò,* idest, alleviabo ipsum gravem et somnolentum, *per la sua via,* quæ est valde dura. Et dicit Virgilius: *Sordel rimase,* quia sociaverat nos intra vallem, *e l'altre gentil forme,* idest, alii illustres; vel, secundum aliam literam; *e l'altre genti fuor me,* idest, aliæ gentes præter me, qui solus secutus sum illam dominam; est tamen idem effectus, sed credo quod prima litera sit de mente autoris. Et ecce factum: *ella ti tolse,* in pede suo sub umbra alarum suarum, *e sen venne suso come 'l dì fu chiaro;* nam in nocte non potuisset ascendere: et sic nota qualiter divina gratia levavit animam autoris dormientem in herba et floribus, idest, adhuc occupatam circa delectabilia, post noctem, idest cæcitatem peccati, adveniente die, idest claritate, post auroram, idest præparationem gratiæ. Et dicit Virgilius: *e io per le sue orme,* idest, per vestigia aquilæ veni sursum. Et ponit finem huius raptus, dicens: *qui ti posò,* scilicet, illa Lucia deposito onere; *e gli occhi suoi belli,* quia est lux illuminans, *pria mi dimostraro quella intrata aperta,* scilicet portam purgatorii, quæ aperitur sic dispositis; et concludit: *poi ella,* scilicet aquila, *e 'l sonno se n' andaro ad una,* idest, simul, quia in instanti illa recessit et tu evigilasti. — *A guisa.* Hic ultimo poeta ponit bonum effectum exhortationis Virgilii, dicens: *io mi cambiai,* scilicet in mente, *a guisa d' uom che 'n dubio si raccerta, e che muti sua paura in conforto,* idest, timorem in spem, *poi che la verità gli è discoperta;* quia videt rem profuturam sibi, quam prius dubitaverat nocituram; ideo dicit: *e il duca mio si mosse su per lo balzo,* idest, gradum præmonstratum mihi, *come vide me senza cura,* idest, quam cito vidit me liberum

---

(1) E. alii viri illustres adhuc non estis dispositi.

ab omni dubio; *et io diretro,* supple, movi me, *inver l'altura,* illius scalæ altæ.

Lettor, tu vedi ben. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta describit portam et portarium purgatorii; et quia jam fecit pulcras et artificiosas fictiones, et facturus est alias in ista materia, ideo reddit auditorem attentum ad sequentia magnificans [1] processum suum. Unde dicit: *O lettor, tu vedi ben,* idest, faciliter videre debes et potes ex jam dictis, *com' io innalzo,* idest, exalto, *la mia materia,* secundum quod altius ascendo per montem, *e però non ti maravigliar s' io la rincalzo,* idest, suffulcio et munio, *con più arte,* scilicet, fictionibus magis artificiosis et sententiosis. Unde nota hic quod antipurgatorium fuit materia plana et facilis [2] respectu purgatorii, et ita post-purgatorium erit materia difficillima respectu purgatorii, ut videbis in processu. — *Noi.* Hic poeta tangit accessum eorum ad proximum purgatorium, et describit portam et portarium in generali; unde dicit: *Noi ci appressammo,* scilicet, illi balcio, *et eravamo in parte, che là dove pareami prima un rotto,* scilicet, ante portam quæ erat cavata in monte fracto, a simili, *pur come un fesso che diparte muro,* idest, dividit pro faciendo portam, sicut sæpe fit in muris nostris quando volumus facere novam portam; et ecce, *vidi una porta, e tre gradi di sotto per gire ad essa,* quia sine istis non potest quis recte intrare purgatorium, *di color diversi,* ut statim dicetur, *et un portier,* qui erat unus angelus, *ch' ancor non facea motto,* in quo designat sacerdotem confessorem. Et describit in speciali ipsum portarium ab excellentia et habitu, dicens: *e come l' occhio più e più v' apersi,* idest, et cum magis et magis intendi oculum intellectualem ad cernendum ipsum, *vidil seder sopra 'l grado soprano,* scilicet, tertio,

---

(1) S. significans.

(2) E. facilis respectu purgatorii, ut videbis in processu. — *Noi.*

sicut sedet judex in alto tribunali ad examinandam causam et ferendam sententiam juste; ideo dat sibi ensem in manu, et dicit: *tal nella faccia,* idest, tam splendidum, *ch' io non lo soffersi,* propter excessum splendoris (¹). Per hoc figurat, quod sacerdos debet esse luminosus et clarus sapientia et virtute, velut angelus Domini. Et non mireris, lector, si poeta repræsentat nobis sacerdotem sub forma angeli, quia Johannes in Apocalypsi vocat sacerdotes quarumdam ecclesiarum angelos: sacerdos enim velut angelus ministrat Deo, imo videtur excellentior angelo in eo, quod conficit corpus Domini, quod angelus facere non potest. Et dat virgam debitam huic pastori animarum, dicens: *et una spada nuda aveva in mano;* per hanc intellige linguam sacerdotis, quam debet habere in manu, idest, potestate sua, quia mors et vita in (²) manibus linguæ; quæ lingua in sacerdote debet esse nuda et aperta, ut hic dicitur de spata, et acute pungere et penetrare usque ad cor, et ibi rimari subtiliter peccata, et abscindere et extirpare; vel ensis est judicium sacerdotis, qui recte investigat peccata, et juste indicit pœnitentiam, et juste absolvit peccatorem cum transiverit per tres gradus qui hic describuntur: et dicit de ista spata, *che reflettea i raggi sì ver noi,* directe respiciens nos, *ch' io dirizzava spesso il viso invano,* versus eam, quia non videbam. — *Ditel.* Hic poeta describit orationem angeli sedentis ad eos, qui petit ad quid veniant et quomodo; unde dicit: *egli,* scilicet, angelus sacerdos Domini, *cominciò a dire: costinci,* idest, a longe, antequam ascenderemus scalam trium graduum, *ditel,* idest, dicite et manifestate mihi, *che volete voi?* quasi dicat: petitis vos sponte pœnitentiam? *ov' è la scorta,* scilicet, Lucia; *guardate che 'l venir su non vi nôi.* Optime dicit, quia

(¹) E. fulgoris. (²) E. in manu linguæ.

multi quotidie accedunt ad sacerdotem pro pœnitentia, qui truffantur de eo et de Deo, ut videantur boni viri, vel ut derelinquant (1) bonam famam de se, sicut jocose fecit sanctus Capelletus (2), de quo pulcre scribit Boccacius de Certaldo placidissimus hominum. Et ponit responsionem Virgilii ad eum, dicens: *rispose il mio maestro a lui,* scilicet, angelo: *donna del ciel,* scilicet Lucia, *è accorta di queste cose,* quia ipsa nos scortavit, imo portavit istum, *e pur dianzi,* idest, paulo ante, *ne disse: andate là,* ostendens locum, *ch' ivi è la porta,* per quam intrare debetis. Et ponit replicationem angeli acceptantis adventum eorum, dicens: *e 'l cortese portonaio,* idest portarius, qui debet esse benignus, et liberaliter aperire accedentibus debite ad purgatorium, *ricominciò,* scilicet dicere; *et ella,* scilicet, domina, *avanzi i passi vostri in bene,* quasi dicat: prosperet gressus vestros de bono in melius; et dicit: *venite dunque ai nostri gradi innanzi,* qui sunt tres, scilicet contritio, confessio, et satisfactio. — *Là ove.* Nunc poeta describit tres gradus principales constituentes istam scalam; et primo primum, quem ponit album et purum, dicens: *bianco marmo era lo scaglion primaio,* idest, quod primus gradus erat factus ex marmore candido, *dove venimmo,* idest, ad quem primo pervenimus. Per hunc gradum figurat nobis illud quod primo requiritur ad pœnitentiam, scilicet contritionem cordis, quæ lavat et mundat tabulam cordis ab omni labe peccatorum; ideo dicit: *e sì polito e terso,* idest, mundus et lucidus, *ch' io mi specchiai in esso qual io paio;* ita quod videbat se clare in speculo conscientiæ, quam absterserat lacrymis: et describit secundum gradum in ordine, et dicit, quod erat factus ex lapide rigido arsiccio, crepato; unde dicit: *era il secondo, tinto*

(1) E., S. e 117, relinquant.
(2) 117, Capellectus de Burgundia, de quo plene scribit.

più che perso, idest, plusquam color semifuscus. Iste gradus secundus figurat confessionem, quæ aperit nigredinem cordis tincti, sive tingit cor pudore et dolore. Unde dicit: *d' una petrina,* idest, specie petræ, *ruvida e arsiccia,* ita cremat cor durum confessio, et tamquam ignis salutaris purgat; ideo dicit: *crepata per lo lungo e per traverso;* quia confessio rimatur omnia secreta, et elicit inde saniem ex omni parte, sicut ignis facit exalare malum humorem ex terra scindendo eam, et aperiendo poros clausos. Scio tamen quod aliqui volunt, quod primus gradus sit confessio, et secundus sit contritio, quæ facit crepare cor durum et tinctum peccato; quod non credo, quia tunc non servaretur debitus ordo. Et describit tertium, et dicit, quod hic gradus erat factus ex lapide porphyritico rubeo; unde dicit: *lo terzo, che di sopra s' ammassiccia,* idest, qui supremus aggregatur supra alios, *porfido mi parea,* idest, lapis rubeus; unde dicit: *sì fiammeggiante,* a simili, *come sangue che fuor di vena spiccia.* Per hunc tertium gradum figurat satisfactionem, quæ debet esse de colore sanguinis vivi, quia de operibus vivis. Et subdit ultimo poeta stationem angeli qui tenebat pedes super (1) tertio gradu, et sedebat super lapide adamantino. Dicit ergo: *l' angel di Dio,* idest, sacerdos ille gloriosus minister Dei, vicarius Petri, *sedendo in su la soglia,* idest, sedendo (2) in limine ostii, *che mi sembiava pietra di diamante,* quia sacerdos debet esse firmatus super constantia, et debet esse inflexibilis, sicut adamas est (3) indomabilis; quia nulla arte, nullo ingenio, nullo amore vel timore debet (4) moveri ad revelandam pœnitentiam, etiam si proditor manifestaverit sibi proditionem patriæ; *tenea ambo le piante,* scilicet, pedum, *sopra questo,* scilicet tertium gradum. — *Per.*

(1) E. super tertium gradum.
(2) E. sedens in.
(3) E. est lapis indomabilis.
(4) E. debet sacerdos moveri.

Nunc poeta ostendit quomodo libenter accessit ad pœnitentiam, et libenter receptus fuit; unde dicit: *il duca mio,* scilicet, Virgilius, qui prius non fuerat sufficiens ad ducendum me de valle molli ad ista saxa dura, *mi trasse per li tre gradi,* jam descriptos, *su di buona voglia,* quia nemo trahitur invitus, *dicendo: chiedi umilemente,* quia humilitas est prima via qua itur ad pœnitentiam, *che 'l serrame scioglia,* idest, ut aperiat ostium quod claudit portam. Et ostendit quomodo paruit præcepto Virgilii humiliando caput et cor suum, dicens: *divoto mi gittai ai santi piedi,* sacerdotis [1], qui debet esse angelus non diabolus, quales hodie sunt multi; *misericordia chiesi,* idest, ut misereretur mei, *e che m' aprisse,* portam, quæ erat tunc clausa, quia, pulsate et aperietur; et dicit: *ma pria nel petto tre fiate mi diedi,* idest, antequam peterem percussi ter pectus meum cum manu, dicens meam culpam. Hoc pro tanto fingit, quia tria sunt universalia peccata, quibus mundus ipse laborat, quæ obviaverunt Danti, primo ascendenti ad montem virtutis; vel quia offendit Trinitatem, cui nunc petit reconciliari; vel quia peccavit cogitatione, locutione et opere, sicut mos est accedentium ad pœnitentiam; et ipse nunc tendens ad pœnitentiam transiverat per contritionem, confessionem, et satisfactionem, super qua sacerdos tenebat nunc pedes, quia tota essentia pœnitentiæ fundatur in satisfactione; ideo bene assimilavit ipsam sanguini vivo. Sanguis enim est sedes animæ, et vita pœnitentis perficitur in satisfactione. Et ostendit quomodo angelus dedit sibi pœnitentiam, dicens: et ille angelus, *mi descrisse sette P,* idest, septem peccata mortalia, *nella fronte,* quia reduxit et proposuit ante oculos mentis, *col punton della spada,* idest, subtili scrutinio et examine linguæ. Et ecce præceptum salu-

---

(1) 117, scilicet, sacerdotis.

tiferum; *e disse: fa' che lavi queste piaghe,* quia ista peccata sunt vulnera animæ peiora quam quælibet vulnera corporis, *quando se' dentro,* intra istud purgatorium.

Cenere. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua describit (1) suum introitum in purgatorium: et primo describit claves, quibus sacerdos aperuit ostium et vestimentum sub quo tenet eas; unde dicit: *cenere o terra che si cavi secca, fora,* idest, foret, *d' un color col suo vestimento:* hoc est, quod vestis eius erat pallida, humilis, per quod notat, quod si pœnitens debet se humiliare, et sacerdos non debet tenere claves sub arrogantia; et vere istæ claves faciunt multos nimis superbos. Dicit ergo: *e trasse due chiavi di sotto da quel,* scilicet, vestimento, quia duas claves pretiosas tenet sub veste tam vili abiecta. Et describit has claves a materia, quia sunt ex duobus perfectissimis metallis. Ad cuius intelligentiam oportet scire quod clavis, prout hic accipitur theologice, est potestas absolvendi et ligandi, qua ecclesiasticus judex dignos recipere, indignos excludere debet a regno. Claves istæ sunt duæ, scilicet scientia discernendi, et potentia ligandi et absolvendi (2); et secunda clavis est, quæ immediate aperit seram peccati; sed primo ostendit cui aperienda sit. Dicit ergo: *L'una era d' oro,* ista est autoritas absolvendi et ligandi; *e l'altra era d' argento:* ista est scientia discernendi, per quam sacerdos cognoscit quam pœnam mereatur peccator et quid agendum; et ille sacerdos prudens et potens, *fece alla porta sì ch' io fui contento,* quia scilicet libere aperuit mihi, *prima con la bianca,* scilicet argentea, quia scientia discernendi præcedit potentiam absolvendi, *e poscia con la gialla,* idest, cum aurea, quia absolutio sequitur confessionem discretam. — *Quandunque.* Hic poeta

(1) 117, poeta describit. (2) E. e 117, solvendi.

describit necessitatem istarum clavium, ostendens alteram alterius auxilio indigere, ita quod una non potest adimplere officium sine altera; unde dicit: *diss' elli a noi,* scilicet ille sacerdos, *quandunque,* idest, quandocumque, *l' una d' este chiavi falla, che non si volga dritta per la toppa, non s' apre questa calla,* idest, iste arctus callis, quia licet sacerdos habeat scientiam magnam sine autoritate, vel e contrario, non potest dare homini juste (¹) pœnitentiam. Et hic nota, quod autoritas quandoquidem est sine scientia, quandoquidem scientia sine ipsa; sicut a simili in jurisdictione sæculari, aliquis est judex habens autoritatem judicandi, qui non habet juris scientiam; et aliquis e converso habet scientiam juris qui non habet autoritatem. Autoritas ergo sine scientia non potest accipi sine peccato, sed scientia sine autoritate bene potest haberi sine peccato. Et ostendit differentiam clavium, dicens: *più cara è l' una,* scilicet aurea, quanto aurum est carius argento; *ma l' altra,* scilicet argentea, *vuol troppa d' arte e d' ingegno,* quia opus est magno studio et ingenio ad habendam scientiam recte judicandi de animabus hominum et conscientiis, quod est valde difficile; *avanti che disserri,* idest aperiat; et ecce causam, *perch' ella è quella che 'l nodo disgroppa,* idest, dissolvit nodum peccati; potest tamen discretio et fides confitentis supplere ignorantiam sacerdotis. Et ostendit a quo habeat dictas claves, dicens: *da Pier le tengo,* idest, a sede apostolica, cuius princeps est Petrus, quia ab ecclesia sacerdos habet sacram scientiam qua scit absolvere, et habet autoritatem qua potest absolvere. Et subdit sacerdos præceptum Petri dicens: et ille Petrus, *dissemi,* quando commisit mihi officium clavium, *ch' io erri anzi ad aprir, ch' a tenerla serrata.* Per hoc notat quod sacerdos debet

---

(¹) E. justam absolutionem et pœnitentiam.

esse magis promptus ad absolvendum (1) quam ad negandum absolutionem. Ideo optime dicit Chrysostomus: *Si Deus benignus, quare sacerdos eius austerus?* ubi enim paterfamilias est largus dispensator non debet esse tenax (2). Debet ergo recipere a peccatore illud quod potest vel vult, et non exasperare eum dummodo non veniat cum superbia; unde dicit: *pur che la gente ai pedi mi s' atterri,* idest, prosternat se humiliter petens veniam. — *Poi.* Hic poeta tangit apertionem portæ et introductionem suam cum consilio angeli; unde dicit: *Poi,* ille angelus, *pinse l' uscio alla porta sacrata,* scilicet, versus interiorem quæ purgat peccata, *dicendo: intrate,* quia juste petisti, es dignus misericordia; *ma facciovi accorti,* quasi dicat: reddo vos cautos, *che di fuor torna chi 'ndietro si guata,* idest, quicumque temere respicit sibi a tergo exclauditur (3) extra portam sacratæ civitatis, quasi dicat: qui relabitur in peccata, eiicitur de purgatorio, quia omnis recidiva deterior est sua radice. Et hic nota quod iste angelus non imponit autori aliam pœnitentiam certam nisi illam, quam Christus imposuit mulieri cum dixit: *Vade, et amplius noli peccare,* licet ista fuerit maxima pœnitentia; potest etiam dici, quod imposuit sibi pœnitentiam quando indixit (4) sibi supra quod lavaret illa septem vulnera cum lacrymis compunctionis. — *E quando.* Hic poeta describit difficultatem istius introitus per unam nobilem comparationem; et vult dicere breviter quod in apertura istius januæ factus est tantus sonus et stridor, quantus olim factus est Romæ in apertione ærarii facta per Cæsarem. Ad cuius rei intelligentiam debes breviter scire quod, sicut scribit Lucanus diffuse in sua Pharsalia, Cæsar, fugato Pompeio de Italia, reversus Romam ordinavit urbem ad suum (5) modum, et

(1) 117, solvendum. (2) E. tenax sacerdos: debet ergo.
(3) E. excluditur. (4) 117, jussit sibi. (5) E. suum nomen, et ut.

ut haberet stipendia necessaria ad usus bellorum civilium, accessit ad spoliandum ærarium, cui quidam Metellus tribunus plebis ausus fuit resistere; sed illo increpato, per quemdam Aurelium Cottam affinem Cæsaris et repulso, omnis thesaurus ablatus est. Modo ad propositum, in apertione istius portæ purgatorii, quæ est de metallo, factus est similis sonus illi qui factus est in apertione ærarii, cuius porta similiter erat de metallo. Ad literam ergo; dicit poeta: *e quando li spigoli di quella reggia sacra*, idest, portæ sacratæ, *fur distorti ne' cardini;* cardo est instrumentum illud ferreum circa quod vertitur ostium; *che di metallo son sonanti e forti,* quia durum et difficile est intrare portam istam istius civitatis fortis et bene munitæ; *Tarpeia,* camera, in qua erat thesaurus communis, *non ruggío sì,* idest non rugivit, vel non sonuit: unde Lucanus: *Tunc rupes Tarpeia sonat,* sicut, supple, sonuit ista porta purgatorii; *nè si mostrò sì acra;* sicut, supple, nunc ista porta (1). Et hic nota quod Tarpeia vocabatur olim mons in Roma, ubi est Capitolium romanum, in quo fuit templum Jovis optimi maximi, et ibi erat ærarium romanum, quod denominatum est Tarpeia, a quadam virgine Tarpeia, filia Tarpei custodis arcis, quæ cum exisset ad fontem pro aqua, corrupta promissis, dedit ingressum Sabinis in arcem. Illi tamen continuo oppresserunt eam clypeis, vel ut ostenderent quod proditori non est servanda fides, vel ne viderentur intrasse civitatem per proditionem, ne minueretur gloria facti, sicut scribit Livius, et dicit: *come le fu tolto il buon Metello.* Sed hic solet quæri quis fuit (2) iste Metellus. Ad quod est notandum (3), quod de familia clarissima Metellorum multi fuerunt viri illustres famosi, sicut Metellus numidicus, Metellus pius, Metellus isau-

(1) S. porta purgatorii. (2) E. fuerit. (3) 117, sciendum.

ricus, Metellus macedonicus, dictus felix, qui habuit duos filios, quorum unus vocatus est balearicus, alter creticus: modo aliqui opinantur quod Metellus creticus fuerit iste qui contradixit Cæsari, quia ipse primus vicit Cretam de qua triumphavit, et magnum thesaurum posuit in ærarium; ideo quia habebat labores suos ibi, voluit prohibere ne spoliaretur; sed certe quicquid dicatur credo, quod nullus istorum illustrium fuerit, quia iste fuit tribunus plebis, et tribuni plebis communiter semper erant infesti nobilibus; ideo vocat eum bonum, quia ausus est contraire Cæsari violatori libertatis; tamen de isto tribuno nihil dicit Julius Celsus [1], non Florus, non Svetonius, nec alius quem ego viderim. Aliqui tamen textus habent: *il buon metallo,* idest, magnus thesaurus; sed prior litera est verior. Et dicit: *perchè poi rimase macra,* idest, pauper. Et hic nota, quod Cæsar qui fuit aliquando pontifex maximus aliter aperuit ærarium, quam nunc iste sacerdos magnus purgatorium. Nam bis spoliavit ærarium primo fraudulenter pro parte; nam in suo primo consulatu, ut scribit Svetonius, furatus fuit tria millia pondo auri, et posuit ibi tantundem auri ficti; postea spoliavit violenter toto; unde secundum Horosium Cæsar extraxit nunc de ærario quatuor millia centum viginti sex pondo auri, et argenti pondo novem millia. Hic enim erant thesauri Scipionum, Catonum, Metellorum et magni Pompeii et aliorum ducum magnorum. Et hic ultimo nota, lector, quantum ista nobilis comparatio propriissime facit ad propositum: sicut enim illustres romani, devictis hostibus, triumphantes ascendebant montem Tarpeium cum canticis magnæ lætitiæ, et solvebant vota sua Jovi optimo maximo, agentes gratiarum actiones; ita recte viri virtuosi, devictis hostibus, idest,

---

[1] E. Julius Cæsar.

vitiis, ascendunt montem purgatorii cum cantu et gaudio, et solvunt debita suo omnipotenti Jovi in Ecclesia romana. — *Io.* Hic ultimo poeta describit gaudium nunc factum pro eius ingressu, et dicit: *Io mi rivolsi attento al primo tuono,* idest, sono dictæ aperturæ, et audivi sonum devotissimum cantus; unde dicit: *e mi parea udir Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Et hic nota quod istum hymnum fecit beatus Ambrosius cum traxisset Augustinum de malis erroribus, velut medicus spiritualis, qui hymnus cantari solet statim post creationem summi Pontificis. Ideo convenienter fingit hic cantari hymnum istum post conversionem suam ad pœnitentiam. Sicut ergo sanctus Ambrosius sacerdos cantavit præ gaudio: *Te Deum laudamus,* reducto Augustino viro acutissimi ingenii, ita nunc iste sanctus sacerdos cum magno festo cantavit dictum hymnum introducto in purgatorium Dante viro magni ingenii; vel forte non solum iste unus angelus cantavit sed multi. Et ostendit modum istius cantus, dicens: *in voce mista al dolce suono.* Nam gaudium magnum fit in cœlo super anima peccatoris pœnitentiam agentis; et dicit a simili, quod intelligebat cantum confuse, sicut cantus qui fit simul cum sono organi, in quo aliqua verba intelliguntur, aliqua non; unde dicit: *ciò ch' io udiva mi rendea tal imagine appunto,* idest, repræsentabat mihi talem figuram directe, *qual prender si suole quando si stea* (1), stabatur in mundo isto, *a cantar con organi.* Audisti jam sæpe quantum hic nobilis animus cum summa delectatione vacavit cantibus et sonis quando potuit, *ch' or sì or no s' intendon le parole.* Et sic vide, lector, quot nobiles comparationes poeta inculcavit in isto artificioso capitulo, sicut de Ganymede, de Achille, de organis.

(1) E. idest stabatur.

CANTUS DECIMUS, *in quo tractat sicut postquam fuerint ingressi portam viderunt sculptilia in quadam rupe; et primo angelum annunciantem Matrem Domini, ac etiam Traianum imperatorem, et viduam petentem misericordiam; et in fine de inventione superborum oneratorum petris.*

Poi fummo dentro al soglio della porta. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de suo introitu ad purgatorium; nunc consequenter in isto X capitulo agit et tractat de primo vitio capitali, scilicet superbia, quod punitur et purgatur in primo circulo purgatorii. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales, in quarum prima poeta describit difficultatem viæ per quam erant ituri, et cautelam eundi. In secunda describit insignes actus humilitatis, quæ contrariatur superbiæ, quæ hic punitur, ut sic doceat nos purgare istud primum pessimum omnium vitiorum, ibi: *Là su non eran.* In tertia describit pœnam ipsorum superborum, et facit invectivam contra eos, ibi: *Mentre io.* Ad primum veniens dico, quod poeta describit difficultatem viæ cum cautela eundi; sed primo præmittit continuationem ad supra tactam materiam, et dicit, quod sensit portam purgatorii claudi post ingressum eorum. Unde dicit: ego poeta Dantes, *la senti' esser richiusa,* scilicet, illam portam purgatorii iterum claudi post apertionem, sicut primo erat clausa antequam intraremus, *sonando,* quasi dicat: per auditum, non per visum cognovi ipsam esse clausam, *poi,* idest, postquam, *fummo dentro al soglio della porta,* idest limen, quod supra ponitur adamanteum, *che,* idest, quæ porta purgatorii, *disusa,* idest,

removet ab usu, *il mal amor dell' anime.* Hic nota quod sicut poeta noster pulcre scribit infra capitulo XVIII: amor est causa omnium actionum nostrarum virtutum et vitiorum, bonorum et malorum. Amor ergo malus est quando inordinate amamus aliquid bonum ultra debitum; sicut quando ponimus felicitatem in divitiis, honoribus, potentia, voluptatibus et similibus, vel quando nimis remisse amamus summum bonum, scilicet Deum: et iste malus amor est causa omnium vitiorum capitalium quæ hic [1] puniuntur. Et assignat causam, quare porta purgatorii facit animas desuescere et dediscere istum malum amorem in pœnitentia, dicens, *perchè,* ille amor, *fa la via torta,* scilicet, peccatorum vel malorum, *parer dritta,* quia nihil potest amari nisi bonum vel apparens bonum. Sic ergo vide, quod autor vult dicere, quod servavit præceptum [2] quia audivit portam esse clausam per stridorem; sicut enim fecerat magnum sonum in apertura, ita fecit in clausura, et tamen ipse non retrospexit, et bene fecit. Unde interrogat: *e s' io avessi volti gli occhi,* scilicet mentis, *ad essa,* scilicet, portam, *qual fora stata degna scusa al fallo?* idest, quæ fuisset justa excusatio errori meo? quasi dicat: nulla; ideo bene dicit Seneca: *Tollite excusationes, nemo peccat invitus;* et in hoc tangit tacite multos qui quærunt excusationes peccatis suis; unde eleganter quidam sacerdos Domini dixit peccatori dicenti: nonne Petrus sacerdos magnus totiens negavit Christum? Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Dantes ergo constans non revolvit se, ne perderet animam suam, sicut Orpheus uxorem suam, sicut pulcre expositum est Inferni capitulo IIII. — *Noi.* Nunc poeta describit primam viam purgatorii valde difficilem, dicens: *Noi salivam,* idest,

---

(1) E. ponuntur et quæ hic puniuntur.
(2) 117 e E. præceptum angeli, quia.

ascendebamus, *per una pietra fessa,* idest, divisam et arctam. Per istam viam aliqui volunt intelligere humilitatem contrariam superbiæ, quæ flectit se, et contrahit ad hanc partem et illam, secundum quod fortuna quatit illam; unde dicit: *che si movea d' una e d' altra parte,* idest, hinc inde; quod declarat per pulcram comparationem et claram, dicens: *siccome l' onda,* idest, aqua maris, *che fugge e s' appressa,* idest, quæ accedit et recedit secundum varium fluxum maris, idest, impetum adversorum. Ego tamen credo, quod poeta sub ista fictione peregrina (1) velit figurare, quam difficile et laboriosum est ipsum primum initium intrandi viam virtutis, quia homo nescit faciliter capere medium, imo declinat nunc ad unum extremum, nunc ad aliud, sicut videmus clare in istis primis qui hic (2) puniuntur. Nam superbus superbum vocat magnanimum, et humilem pusillanimum. Et ponit consilium Virgilii circa istum transitum, dicens: *il duca mio,* scilicet Virgilius, *cominciò,* supple, dicere mihi, *qui si conviene usar un poco d' arte,* quia ubi est maius periculum, ibi cautius est agendum; et ecce artem, *in accostarsi or quindi or quinci a lato,* scilicet lapidis, *che si parte,* idest recedit a sponda. Et hic nota, quod poeta videtur dare præceptum quod dat Aristoteles primo Ethicorum, ubi dicit, quod homo volens invenire medium virtutis debet facere sicut volens dirigere virgam, qui flectit ipsam multum in contrariam partem, ut sic reducat eam ad rectitudinem. Et ostendit difficultatem loci per moram temporis, quia multum expenderunt de tempore in faciendo istud modicum viæ; et vult breviter dicere quod steterunt bene per unam horam in transeundo istum passum fortem; unde dicit: *e ciò fece li nostri passi scarsi,* quia lente incedebamus mutantes

(1) E. peregrinans. (2) E. qui hic ponuntur et puniuntur.

latus secundum motum lapidis, quod declarat per motum lunæ, dicens: *tanto, che lo scemo della luna,* idest, luna quæ erat sima ([1]), quia jam erat diminuta per quatuor dies post plenilunium. Erat enim luna plena quando Dantes intravit infernum, in quo stetit per tres dies, et jam steterat in purgatorio per unam diem, et nunc erat in secunda. Jam enim audisti in præcedenti capitulo quod sol erat altus duabus horis, et nunc expenderant unam horam in ista via, ita quod erat quasi hora tertiarum; unde dicit: *rigiunse,* in ipso secundo die*, al letto suo,* idest ad occasum, *per coricarsi,* idest, causa collocandi se, quia, quando disparet nobis in occasu, videtur quasi ire pausatum ad lectum suum; *pria che noi fossimo fuor di quella cruna,* idest, extra petram illam, quæ erat divisa et arcta, sicut foramen acus, quod est per longum strictum; vel secundum aliam literam, *cuna,* et tunc dicam quod appellat istam viam cunam per pulcram metaphoram, quia prima initia virtutis recte possunt dici incunabula, quibus homo primo nutritur. — *Ma quando.* Hic poeta descripta prima via difficili valde, nunc describit viam generalem magis facilem per quam itur usque ad summum purgatorii. Et quia litera videtur nimis obscura, ad illius intelligentiam claram volo te imaginari, quod iste mons purgatorii est tamquam turris rotunda altissima circa quam sit una sola via facta in circuitu ad revolutiones per quam ascenditur usque ad summum; talis est una via circa istum montem, quæ appellatur *cornice,* et distincta in septem gradus, in quibus purgantur septem genera peccatorum, et unus gradus est distinctus ab alio, et clausus cum porta. Ad literam ergo: dicit poeta, quod pervenerunt ad istam viam faciliorem, dicens: *Ma quando fummo li-*

([1]) E. scima.

beri et aperti, scilicet, extra illam petram instabilem cavatam, ubi fueramus per horam clausi, *su,* scilicet in extremitate, *dove 'l monte indietro si rauna,* quia mons aggregatur in se clausus a dicta via, et est integer, quia ab isto loco usque ad summum non invenitur aliqua vallis, aliqua scissura vel fractura, sicut invenitur infra locum istum, ut patuit paulo supra; *io stancato,* quia eram cum (1) carne, et feceram viam tam impeditam; *et ambedui incerti di nostra via,* quia eramus ignari locorum. Simile dixit in primo ingressu quando fuerunt introducti a Catone, *ristemmo su in un piano,* idest, in via plana et aperta, quæ erat pro cornice, et dicit: *solingo più che strade per diserti,* quia paucissimi gradiuntur (2) per istam viam pœnitentiæ, et maxime superbi, qui primo inveniuntur in (3) ista via. Et descripta via in generali describit ipsam in speciali, quantum ad latitudinem et longitudinem; et vult dicere breviter, quod ista via habebat in latitudine forte tria brachia vel tres passus, sed altitudo eius erat incerta, quia vix oculus poterat attingere summum. Construe sic literam: *un corpo umano,* idest, homo vivens in corpore, sicut ego eram ibi, *misurrebbe,* idest, mensuraret per syncopem, *in tre volte,* cum brachiis et pedibus; et ponit numerum perfectum, sicut alibi supra, quia *numero Deus impare gaudet,* ut ait Virgilius, *dalla sua sponda,* scilicet, extrema illius viæ, *ove confina il vano,* idest vacuum; quasi dicat: ubi est solus aer pro confine, quia aer appellatur a poetis vacuus; nam quamvis, teste philosopho, non sit dare vacuum, quia omnia sunt plena aere; tamen vulgariter dicimus illud esse vacuum, in quo nihil est nisi aer; *a piè dell' alta ripa,* dicti montis, *che pur sale,* quia recte tendit sursum. Et tangit longitudinem dicens: *e*

---

(1) 117, in carne. (2) E. grediuntur. (3) S. sub ista via.

questa cornice, dat nomen proprium huic viæ; sic enim appellatur ab architectoribus talis via; *mi parea cotale,* idest, tam alta et arcta; *quanto l' occhio mio potea trar d' ale,* idest, quantum visus meus poterat volare sursum, quia ista via protenditur usque ad speram ignis, ut patebit in fine; et dicit: *or da sinistra et or dal destro fianco,* scilicet eundo circa montem.

Là su non eran. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta docet refrænare superbiam per nobilia exempla summæ humilitatis; et primo fingit quod superficies montis erat incrustata marmore albo, in quo mirabili artificio erant sculptæ quædam historiæ continentes humilitatem altissimarum personarum; unde dicit: *i nostri pei non eran mossi anco là su,* quasi dicat: nondum ascenderamus illam viam descriptam, scilicet cornicem, *quand' io conobbi quella ripa intorno,* idest, tergum montis marmoreum in circuitu, *che aveva dritto di salita manco,* quasi dicat, rectitudinem ascensus non habebat, quia non poterat recte ascendi per ipsum, sed per viam quæ circuit ipsum; *esser di marmo,* idest, factam ex marmore, *candido et adorno,* idest, albo et ornato, *d' intagli,* idest, sculpturis, *sì,* idest, tam perfecte et cum tanto ingenio, *che non pur Policleto,* qui fuit maximus artifex statuarum, ut scribit philosophus VII Ethicorum*, ma la natura,* quæ est potentior arte, cum ars sit quædam imago naturæ, *gli averebbe scorno,* quia videret (1) se delusam, et numquam fecisse figuras æque pulcras aut similes istis. Et hic nota, quod iste Polycletus fuit excellentissimus statuarius græcus, de quo scribit Plinius XXXIIII. naturalis historiæ, dicens, quod Polycletus Sicionius Hageladis discipulus multa opera mirabilia de ære fecit, adeo quod solus hominum artem istam fecisse judicatur:

---

(1) E. videretur.

fecit duos pueros ludentes nudos, qui fuerunt in atrio Titi imperatoris, quo opere nullum perfectius multi judicaverunt; unde hanc scientiam consummasse judicatur. Ego autem vidi Florentiæ in domo privata statuam Veneris de marmore mirabilem in eo habitu in quo olim pingebatur Venus. Erat enim mulier speciosissima nuda, tenens manum sinistram ad pudenda, dexteram vero ad mammillas, et dicebatur esse opus Polycleti, quod non credo, quia ut dictum est Polycletus sculpsit in ære, non in marmore. Ideo ulterius volo te notare, lector, quod poeta noster forte melius et magis proprie dixisset Praxiteles quam Polycletus, quia ut dicit idem Plinius, Praxiteles fuit marmore felicior; ideo clarior fuit. Praxiteles ergo marmore nobilitatus fecit opera quasi incredibilia; inter alia fecit Venerem tantæ pulcritudinis, quod quidam juvenis furioso amore ipsam maculavit; et multi de diversis partibus navigaverunt ad insulam Gnidon, ubi erat ista statua pro ea videnda: et rex Nicomedes voluit solvere omnia debita Gnidiorum, quæ erant maxima, pro illa habenda, sed non potuit obtinere. — *L' angel.* Hic poeta incipit describere actus summæ humilitatis, et primo excellentissimam omnium humilitatum, quæ numquam habuit parem nec habere potest, videlicet quod filius Dei fuerit inclinatus tantum infra naturam suam excelsissimam [1] ad assumendam carnem humanam vilissimam ex fœmina humillima omnium; et ipse Christus in omni verbo et opere, in vita et morte semper fuit humillimus [2], ita quod summa humilitas fuit in Christo et Maria. Dicit ergo: *L' angel,* scilicet, Gabriel, *che venne in terra col decreto della molti anni lagrimata pace,* idest, lacrymabiliter desiderata et suspirata a sanctis patribus per multa secula annorum. Alii

(1) E. excellentissimam. (2) 117, humilis.

tamen plus, alii ([1]) minus expectaverunt istam pacem, ut exirent de loco tenebrarum ad gloriam altam cœli; unde dicit: *che aperse il ciel,* quod prius erat clausum, *dal suo lungo divieto;* quia enim primus parens gustavit de pomo vetito, ideo vetitum fuit sibi et generi suo ne posset exire infernum, et intrare cœlum per tantum tempus; *dinanzi a noi parea sì vivace,* vel *verace, quivi intagliato,* in isto marmore, *in un atto soave che non sembiava,* idest apparebat, *imagine che tace,* idest, figura muta sculpta in lapide, sed potius viva; quod probat cum subdit: *giurato si saria,* idest, jurari potuisset a vidente, *ch' ei dicesse: ave,* supple, *Maria* etc.; et ecce quare: *perch' ivi,* scilicet, in dicto marmore ex opposito Mariæ, *era imaginata quella,* scilicet Beata Virgo, *ch' ad aprir l' alto amor,* scilicet, divinum pro salute humani generis, quod habebat odio, *volse le chiave,* virginitatis et humilitatis suæ; unde tangit humilitatem Mariæ in eo actu in quo recipit ([2]) salutationem, dicens: *et avea,* idest, habere videbatur, *in atto impressa,* idest, in marmore, *esta favella,* scilicet: *Ecce ancilla Dei, propriamente,* a simili, *come figura in cera si suggella.* Hic ergo actus Mariæ docet superbos humiliari, unde ipsa dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:* et iterum dicit: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.* — *Non.* Hic poeta describit alium actum maximæ humilitatis quæ fuit in excellentissimo rege David: et primo fingit quod Virgilius invitet eum ad alia videnda, dicens: *disse il dolce maestro,* scilicet Virgilius, qui dulciter me docebat humilitatem, *che m' avea da quella parte,* scilicet sinistra, *onde il cor ha la gente:* unde vide quod Dantes ibat ad dextram juxta ripam montis, et Virgilius bonus dux ibat ad sinistram ne rueret; et utitur

---

([1]) E. et alii minus. ([2]) E. recepit.

communi modo loquendi, quia si associo unum a sinistra, ille potest dicere: habeo te ideo; bene dicit: qui habebat me: *non tener pur la mente,* idest, speculationem mentalem, *ad un loco,* idest, solum ad humilitatem Christi et Mariæ, forte enim lector huius libri posset dicere: ego non sum Christus, non Maria, qui peccare non potuerunt; ideo poeta adducit [1] in exemplum humilitatem potentissimorum principum, qui potuissent melius uti superbia quam multi superbientes de nihilo. Et subdit, quomodo obedienter disposuerit se ad videndum humanam humilitatem alterius, dicens: *perch' io mi mossi col viso,* scilicet, intellectuali, *e vedea di retro da Maria,* idest, post historiam Mariæ, *per quella costa,* scilicet, dextra, in marmore, *onde m' era colui che mi movea,* idest, David, qui erat figuratus ibi in eadem costa a dextra; et non dicas sicut multi, quod Virgilius, vel cor suum movebat eum, quia tunc poeta contradiceret sibi cum jam dixerit, quod Virgilius erat sibi a sinistra ubi est cor hominis. Videbat ergo, *un' altra istoria nella roccia imposta,* idest, in ripa insculptam; unde dicit: *perch' io varcai Virgilio,* quia traxi me ante eum, *e fe'mi presso,* illi historiæ secundæ, *acciò che fosse agli occhi mei disposta,* idest, ut melius et habilius considerarem eam. — *Era.* Hic poeta describit ipsam historiam. Ad cuius intelligentiam debes breviter scire, quod sicut scribitur libro II Regum, et colligitur per Josephum libro Antiquitatum, David, mortuo Saul rege superbissimo, factus rex congregavit omnes cleros Israel, ut transferret Arcam Domini in civitatem suam Syon. Accepit autem eam de domo Aminadab filii Saul qui erat in Gabaa, et illam positam in plaustro novo ducebat cum magno festo in omni genere musicorum. Oza vero et Achia filii

(1) E. adduxit.

dicti Aminadab regebant currum, et Achia præcedente, boves in via cœperunt calcitrare, et Arca declinare; propter quod Oza extendit manum ad Arcam et tenuit ne caderet; propter quod Dominus iratus percussit eum, et subito mortuus est. David territus noluit pro tunc ducere Arcam ad se, sed dimisit eam in domo cuiusdam Obethedon, ubi stetit tribus mensibus; sed David audito quod Dominus benedixerat domum illam, ivit et duxit Arcam (1) in civitatem David: et erant cum eo septem chori cum frequenti victima et suffumigationibus thuris; David vero cantabat cum organo, et saltabat coram Arca. Cum autem Arca cum magno gaudio populi intrasset civitatem David, Michol eius uxor, filia Saul regis, videns per fenestram virum sic (2) salientem despexit eum in corde suo; et posita Arca in loco suo, Michol egressa in occursum David turbata dixit (3): O quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, quasi videretur unus de scurris! De quo David non curans, dixit ei, quod semper luderet coram Domino qui elegerat eum, reprobato Saul patre suo superbissimo, et quod adhuc fieret vilior pro Domino et gloriosior appareret. Nunc ad literam; dicit poeta: *era intagliato,* in illa ripa, *nel marmo stesso,* idest, eodem marmore, *lo carro e i buoi traendo l'arca santa.* Et hic nota, quod ista Arca sancta erat sicut una cassa (4), in qua servantur hodie aliqua sacra, sicut corona Christi et clavi. In ista Arca erant multa sacra, sicut tabulæ legis et virga Moysis, cum qua (5) vicit superbissimum Pharaonem, et urceus mannæ, et multa alia: hanc Arcam fabricavit Moyses cum eduxisset populum Dei de Ægypto; de cuius constructione et translatione dicetur Paradisi capitulo XX, et dicit: *per cui si*

(1) E. Arcam illam in. (2) E. sic saltantem despexit. (3) 117, dixit ei.
(4) E. capsa, in qua. (5) E. cum qua percussit superbissimum.

teme officio non commesso, quia punita est evidenter temeritas Ozæ, quæ est species superbiæ, in quo datur exemplum, quod homo non immisceat se officio alieno, ne ira Domini veniat super eum. Et hic nota quod aliqui dicunt, quod iste Oza, nocte præcedente, cognoverat uxorem suam, ideo non debuit manibus pollutis tangere rem sacram, licet absque hoc ipse fuerit in manifesta culpa, quia non debet profanus tangere rem sacram, cum sit crimen sacrilegii. In morte enim [1] purgata est temeritas Ozæ, et ipse salvatus est. Et tangit jubilationem populi, dicens: *dinanzi,* idest, ante dictam Arcam, *parea gente,* scilicet, hebræorum, sculpta in marmore, *e tutta quanta partita in sette cori, facea dir a' duo miei sensi,* scilicet, visui et auditui, *l' un non,* scilicet, cantat, quia auditus nihil audiebat, *l' altro sì canta;* quia visus affirmabat cantum, sed auditus negabat. Et similis pugna erat inter duos sensus in facto thurificationis; unde dicit: *similmente gli occhi e 'l naso,* idest, visus et odoratus, *fensi discordi al fumo degl' incensi che v' era imaginato,* idest, figuratus ibi, *et al sì et al no;* quia, scilicet, visus affirmabat et dicebat: vere hic est fumus thuribulorum, sed olfatus e contra non sentiens odorem denegabat. — *Lì.* Hic poeta describit humilitatem magnam David et superbiam Michol, dicens: *l' umile salmista,* scilicet, David qui fecit psalmos, *precedeva lì al benedetto vaso,* idest, processionaliter ibat post Arcam, *alzato,* more sacerdotali, *trescando,* idest chorizando. Et non rideas hic, lector, si iste magnificus et potens rex religiose saltabat hic, cum dux romanus paganus saltaverit cum scuto ad collum ad mandatum sacerdotis, ut dicit Valerius; et dicit: *e più e men che re era in quel caso:* erat plus quam rex, quia in habitu sacerdotali, et di-

---

[1] 117, ergo purgata.

gnitas pontificalis est maior regali; et erat minus quam rex inter turbas saltando et cantando humiliter. E contra autem Michol uxor eius superba, *effigiata di contra,* idest, figurata in marmore ex opposito David, *ad una vista,* scilicet, ad fenestram, *d' un gran palagio ammirava,* scilicet, David tam turpiter jubilantem, *sì come donna dispettosa e trista,* quia indignabatur et tristabatur de actu et gestu viri sui. Et hic nota quod aliqui volunt, quod Michol non tantum dolebat de humilitate viri, quantum quod videbat concubinas et alias mulieres pulcras circa David, cum ipsa esset turpis; sed certe Michol filia superbi ob contemptum religionis cum arrogantia non peperit filium ex David usque ad mortem: David vero ob devotionem fidei et humilitatis habuit quietem ab omnibus inimicis suis. — *Io mossi.* Hic poeta describit tertium actum maximæ humilitatis in imperatore romano potentissimo, qui in vita fuit remotus ab uno vero Deo. Ad huius literæ intelligentiam volo te scire quod multi describunt pulcre hanc historiam, sicut Helynandus gallicus et Polycratus anglicus, qui sic scribit libro V: Traianus tantæ fortitudinis et civilitatis fuit, quod longe et late ampliavit fines romani imperii, quod post Augustum magis fuerat defensum quam nobiliter ampliatum; gloriam tamen militarem moderatione superavit Romæ, et per provincias omnibus se æqualem reddens, amicos visitans (¹) etiam infirmantes, et diebus festis cum illis faciens convivia, equis et vestibus eorum indifferenter utens publice et privatim, ditans omnes, exemptiones civitatibus donans, relaxans tributa provinciis, nulli gravis, omnibus carus, adeo quod usque ad nostram ætatem (²) acclamatur: Felicior sis Augusto, melior Traiano. Ergo omnibus Traianus præferendus est, qui in cultum

(¹) E. visitans et infirmantes.
(²) E., S. e 117, ætatem principibus acclamatur.

solius virtutis regni constituit coronam. Virtutes eius legitur commendasse sanctissimus papa Gregorius, qui, fusis pro eo lacrymis, extinxit incendia inferorum, Dominò remunerante in copiosa misericordia justitiam quam Traianus fecerat viduæ. Cum enim memoratus imperator ascendisset equum iturus ad bellum, vidua, apprehenso pede eius, miserabiliter lugens, sibi justitiam fieri postulavit de iis, qui filium eius optimum et innocentissimum juvenem iniuste occiderant; et dixit: o Auguste, tu imperas, et ego patior tam atrocem iniuriam. Cui respondit imperator: satisfaciam tibi cum rediero. Et (1) illa: quid, si non redieris? Dixit Traianus: Successor meus satisfaciet tibi. Et illa: quid tibi proderit, si alius benefecerit? (2) tu mihi debitor es secundum opera mercedem recepturus: fraus certe est nolle reddere quod debetur; successor tuus tenebatur (3) patientibus iniuriam pro se; te (4) non liberabit justitia aliena; bene stabit successor tuus si se ipsum liberabit. Traianus motus his verbis, descendit de equo et causam præsentialiter examinavit, et condigna satisfactione consolatus est viduam. Dicitur autem beatissimus papa Gregorius tam diu pro eo orasse, donec ei revelatum est Traianum a pœnis inferni esse liberatum; unde Traianus merito præfertur aliis, cuius virtus ita placuit sanctis præ cæteris, ut eorum meritis solus sit liberatus. Nunc ad literam; poeta descripturus hanc nobilem historiam perpetuo celebrandam, primo præparat se ad illam, dicens: *Io mossi i piè del loco ov' io stava,* quasi dicat: feci unum passum tantum, *per avisar da presso un' altra istoria,* quæ facta est inter equos et equites, non inter boves et pedites, sicut historia David, *che biancheggiava,* idest, in marmore albo apparebat, *diretro da*

(1) 117, Et illa inquit: si non redieris?
(2) S. benefecerit mihi?
(3) E. e 117, tenebitur.
(4) E. tamen non.

Michol, fœminam [1] superbam, *ove era istoriata l' alta gloria,* idest, gloriosa militia et justitia, *del roman principato,* idest, imperii Traiani, *il cui valore,* idest virtus, *mosse Gregorio,* scilicet, primum, qui fuit doctor magnus et ipse valde humilis, et vere nobilis animus fuit suus in rogando pro isto; *alla sua gran vittoria,* quia [2] vicit infernum, ubi nulla est redemptio, et Traianum liberavit de manibus hostis antiqui. — *Io.* Hic poeta describit ipsam historiam tactam; unde se declarans, dicit: *Io dico di Traiano imperadore,* romano, *ed una vedovella gli era al freno,* retinens et retardans eum, *di lagrime atteggiata e di dolore.* Et vere hæc fuit romana mulier audax et prudens, quæ tam audacter ingessit se in turmas armatorum, et tam prudenter contendit cum summo imperatore. Quid ergo miramur si mater [3] Coriolani dixit illa alta verba contra filium, qui infestabat hostiliter Romam! Bene ergo fecit poeta ponere in litera et actus et verba istius mulieris: et tangit apparatum belli, dicens: *intorno a lui era calcato e pieno di cavalieri.* Hic enim inclytus imperator multa et magna bella gessit: de cuius virtutibus et laudibus dicam plenius Paradisi capitulo XX, *e l' aguglie nell' oro,* quia aquila nigra in campo aureo erat insignium romanorum ducum, *si movieno sovr' esso in vista al vento,* quasi dicat: vexilla erant jam explicita [4], quia Traianus, ut verbo Lucani utar, erat laturus victrices aquilas in alium orbem. — *La.* Hic poeta describit querelam et contentionem istius mulieris cum imperatore, dicens: *La miserella parea dicer tra tutti costoro,* quia dolor faciebat eam audacem inter strepitus legionum armatarum, *Signor, fammi vendetta del mio figliuol ch' è morto, ond' io m' accoro,* quia gladius non ita transfixerat corpus filii, sicut dolor cor matris. Et

---

(1) E. fœmina superba.
(2) E. quæ vicit.
(3) E. si mulier.
(4) E. explicata.

hic nota quod aliqui scribunt, quod occisor istius filii fuit filius Traiani, et quod Traianus tradidit ipsum in filium huic mulieri cum magna substantia; sed hoc non credo, quia numquam inveni Traianum habuisse filium, imo ipse adoptavit Adrianum valentissimum imperatorem. Et ponit responsionem principis dicens: *et egli a lei rispondere,* supple, videbatur: *ora aspetta tanto ch' io torni,* melius fuisset si commisisset justitiam alteri; *e quella,* supple, videbatur respondere, *come persona in cui dolor s' affretta,* quia dolor faciebat eam impatientem moræ; *Signor mio, se tu non torni?* quia dubius est eventus belli; et ille Traianus videbatur respondere: *quei che fia dov' io,* idest, in loco mei, *la ti farà,* scilicet, ipsam vindictam juste; *e quella,* supple, videbatur respondere: *l' altrui bene a te che fia,* idest, quid (¹) prodesset tibi, *se 'l tuo metti in oblio?* idest, si tuum bonum justitiæ tradis oblivioni, ut enim vadas ad (²) expurgandos barbaros, cives hostes patriæ relinquis impunitos.— *Ond' elli.* Hic ultimo poeta ponit effectum dicens: *Ond' elli,* supple, Traianus videbatur respondere: *or ti conforta,* idest, ergo consolare, mulier, *chè convene,* ex quo debitor tuus sum, *ch' io solva il mio dovere,* idest, solvam meum debitum, *'nanzi ch' io muova;* erat enim jam in procinctu, et dicit: *giustizia vuole e pietà mi ritiene.* Et hic nota quod aliqui dicunt hic quod iste actus Traiani magis videtur spectare ad justitiam, quam ad humilitatem. Ad quod dico quod hic fuit magna justitia et clementia, quæ sunt duæ virtutes principales principum, sed maxima humilitas fuit fundamentum huius virtutis. Certe maxima humiliatio fuit quod altissimus princeps ita inclinaret imperatoriam maiestatem ad audiendam mulierculam plorantem sub superbis signis in Campo Martio superbo, inter

(¹) E. quid prodest tibi? (²) E. e 117, ad expugnandos barbaros.

equites superbos; certe unus tyrannus [1] faceret justitiam de homicidio, sed in tali casu etiam justissimus imperator commisisset causam alteri. Sed Traianus in omnibus factis [2] fuit semper humilis, placabilis, et dulcis; unde cum increparetur quod nimis esset familiaris omnibus, respondit, se debere esse talem imperatorem civibus, quales cives desideraverat [3] ipse sibi. Et ultimo concludit poeta in historiis humilitatum, et respondet quæstioni tacitæ; posset enim aliquis dicere: quis fuit tam excellens artifex, qui ita vinceret artem et naturam? respondet, dicens: *Colui che mai non vide cosa nuova,* scilicet, Deus, *produsse esto visibile parlare,* scilicet, quod videbatur hic inter angelum et Mariam, inter David et Michol, inter Traianum et mulierem; et dicit: *novello a noi perchè qui non si trova;* quia non comprehendimus hic loquelam hominum cum visu, sed auditu.

Mentre. Hæc est tertia et ultima pars capituli, in qua poeta describit pœnam superborum. Et primo ostendit quomodo Virgilius induxerit eum ad visionem istorum, dicens: *Mentre io mi dilettava di guardare,* idest, interim cum starem adhuc attentus cum delectatione ad videndum, *le immagini di tante umilitadi,* quæ erant in se pulcræ, sed plus ratione artificis, unde dicit: *e per lo fabbro loro,* scilicet Deum, *a veder care; il poeta,* scilicet, Virgilius, *mormorava,* idest, murmurando dicebat. Hoc dicit quia Virgilius videns Dantem ita fixo intuitu intentum ad inspectionem sculpturæ lapidis, cœpit voce submissa dicere quasi ridenter: expecta modicum, quia videbis aliam purgationem veram, scilicet superbos sub saxis; et ecce quid dicebat: *ecco di qua molte genti,* quia magnus est numerus superborum, *ma fanno i passi radi,* quia veniunt sub pondere saxorum, et dicit: *questi ne*

(1) S. Traianus. (2) E. factis suis semper fuit humilis.
(3) 117, desideraverat esse sibi.

meneranno agli alti gradi, scilicet primi circuli, quem nondum intraverant, sed stantes extra consideraverant historias prædictas. Et ostendit quomodo se volverit factus avidus ad verba Virgilii, dicens: *gli occhi miei,* scilicet intellectuales, *ch' a mirar eran contenti,* illas pulcras sculpturas: sic dicit Virgilius de Enea: *et animum pictura pascit inani.* Ista autem erat pictura utilis; *volgendosi ver loro,* scilicet, superbos tam lente venientes, *non for lenti,* et ecce causam, *per veder novitadi, onde son vaghi,* idest, avidi, quia naturale est velle audire et videre nova, ut plura sciamus. — *Non vo'.* Hic poeta volens describere pœnam gravissimam superborum primo apostrophat ad lectorem ne fugiat istam pœnam; unde ad intelligendam istam literam volo te notare, quod poeta noster aliter punit superbos et cæteros peccatores in inferno, aliter in purgatorio. Omnis enim pœna inferni est perpetua et coacta; omnis vero pœna purgatorii est temporalis et voluntaria; ideo primo admonet lectorem ne recuset ferre sponte pœnam istam, quia etsi gravis est tamen brevis; unde melius est temporaliter humiliari, quam in futuro æternaliter cruciari. Dicit ergo: *o lettor,* qui peccasti per superbiam, *non vo' però che tu ti smaghi,* disturberis (1) et removearis, *di buon proponimento,* scilicet, purgandi superbiam, *per udire come Dio vuole,* et juste, *che 'l debito si paghi,* idest (2), peccatum purgetur debita pœna; et ideo, *non attender la forma del martìre,* idest, non consideres gravitatem pœnæ; *pensa la succession,* futuræ gloriæ, quæ est æterna; *pensa che a peggio non può ire oltre la gran sentenzia;* quasi dicat: pœna purgatorii quæ ad plus quod possit extendi non potest transire ultra diem judicii; et hoc est verum in purgatorio essentiali; in morali vero vult

(1) E. idest, disturberis, *di buon.* (2) E. idest, quod peccatum.

dicere: considera quod si humiliatio videtur tibi gravis, certe non potest esse longa, quia non ultra mortem. Ergo (1) age, sume onus tuum in ista brevissima vita, et considera quod si non humilieris sponte, humiliaberis coacte. — *Io.* Hic poeta describit ipsam pœnam superborum. Ad cuius intelligentiam nota bene, quam justissimam et dignissimam pœnam poeta dat istis superbis. Fingit enim, quod singuli portant in sua superba cervice saxum ponderosum quod incurvat eos ad terram, et incedunt ita gravati paulatim per viam. Per hoc autem figurat, quod qui vult purgare istud grave vitium superbiæ, debet submittere caput suum ad terram, quod prius portabat erectum contra cœlum; et breviter, debet tantum inclinari et humiliari, quantum voluit extolli et exaltari. Istud autem videtur gravissimum superbo, quia imputat sibi hoc ad magnam vilitatem, qui (2) volebat videri magnanimus. Hoc autem fecit optime optimus imperator Theodosius; cum enim superbe exterminasset civitatem et venisset Mediolanum, beatus Ambrosius rigidissime et mordacissime increpuit eum volentem intrare templum. Ille autem dolore et pudore magno percussus, post magnam querelam et multas lacrymas humilians se sponte petivit veniam (3) et pœnitentiam, et sic reconciliatus est; sicut et de multis audivimus superbis, qui venerunt cum corrigia ad collum. Ad literam ergo: dicit poeta: *Io cominciai,* supple, dicere Virgilio: ***Maestro, quel ch' io veggio muover a noi,*** idest, versus nos, *non mi sembian persone,* idest, non videntur mihi homines, sicut tu dicebas mihi: autor enim non videbat nisi saxa moveri per aerem, et non homines latentes sub eis; *e non so che,* supple, sit, *sì nel veder vaneggio,* idest, ita in visu vacillo, quia visus dicit mihi:

(1) E. Ergo sume onus. (2) E. quia volebat.
(3) E. veniam, et sic reconciliatus.

non sunt homines; sed mens dicit: imo sunt. Et ponit responsionem Virgilii qui detegit sibi formam facti, unde dicit: *et elli a me,* supple, Virgilius dixit mihi: *la grave condizione di lor tormento a terra gli rannicchia,* idest incurvat, quasi dicat: qui solebant extendere se in cœlum, nunc contrahunt se ad terram; *sì che i miei occhi in pria n' ebber tenzione;* quasi dicat: ego jam dubitavi prima facie quando [1] primo vidi, quasi dicat: non videntur illi elati, qui solebant ire cum capite ita levato. Et docet Virgilius cognoscere eos, dicens: *ma guarda fiso là,* inclinando te, *e disviticchia,* idest, dissolve et discerne, *col viso quel che vien sotto quei sassi;* idest, sub pondere saxorum; *già scorger,* idest, perpendere, *puoi come ciascun si picchia,* idest, percutit sibi pectus genibus gravitate ponderis premente [2] eum. — *O.* Hic poeta gratia prædictorum facit unam pulcram et utilem invectivam contra genus superborum, qui superbiunt pro rebus vanissimis. Unde dicit: *O superbi cristiani,* notanter dicit christiani, quia infideles ad purgatorium non veniunt; *miseri lassi,* quia [3] miserabilis est semper finis superborum; *che, della vista della mente infermi,* non cernentes infirmitatem humanæ naturæ, *fidanza avete nei ritrosi passi,* idest, in istis fortuitis, per quæ creditis tendere in altum et relabimini in miseriam. Et hic nota quod poeta optime dicit; cum Plinius paganus dicat in septimo: *miseret et etiam pudet extimare quam sit frivola origo superbissimi animalium, quem sæpe antequam nascatur fœtor candelæ extinctæ extinguit, et natum morsus culicis necat, et ipsa vita quanto longior tanto miserior.* Unde quidam extimaverunt esse optimum non nasci, aut citissime mori. Ideo bene dicit Plinius: *Qui te Deum credis aliqua prosperitate superbiens tam faciliter*

(1) E. quando ego primo. (2) E. prementis eum.
(3) E. quia miserabiles sunt, et miserabilis est.

perire potuisti; certe qui fragilitatis humanæ memor fuerit numquam superbiet, qui a planctu vitam incipit futuræ miseriæ auspicium. Et quia superbus constituit sibi finem in felicitate præsenti, ostendit ad quem finem formatus est homo, per unam subtilem comparationem; et vult breviter dicere quod homo factus est in mundo, sicut ille vermis qui facit sericum. Talis enim vermis facta veste cum (1) multo labore suo, moritur, et ex eo exit alius vermis habens alas sicut papilio; ita a simili homo, factis operationibus suis, corrumpitur et moritur; sed anima levis inde exit et evolat. Dicit ergo: *non v' accorgete voi,* quasi dicat, perpendere potestis, si non estis omnino obcæcati (2), *che noi siam vermi,* quantum ad corpus, *nati a formar l' angelica farfalla,* idest, papilionem, per quem intelligit animam rationalem, quæ videtur de natura angelica cœlesti, quia immortalis, incorruptibilis, levis et pura. Et nota quantum comparatio istorum vermium est mirabiliter propria, quia, sicut isti vermes, ut experientia docet, indigent maxima cura et custodia, quia sunt maxime delicati, et indignantis naturæ in tantum quod modicus ventus vel fœtor lædit eos, et facillime corrumpuntur et moriuntur; ita recte homines per (3) nobilitatem suæ complexionis: et sicut isti vermes sunt naturaliter industres, et faciunt subtilia opera; ita homines qui a natura vincunt omnia animalia faciunt opera mirabilia. Et certe, lector, quando considero naturam istius vermis facientis sericum, cogor credere illud quod scriptum est de phœnice, quæ moritur, et ex se renascitur (4) vermis, qui induit alas et renovatur in avem. Dicit ergo: *che,* idest, quæ *farfalla,* idest, anima, *vola alla giustizia,* idest, statim post mortem vadit (5) ad ju-

(1) E. cum magno labore.
(2) E. cæcati.
(3) 117, propter nobilitatem.
(4) E. nascitur.
(5) 117, volat ad justitiam.

stitiam Dei, *senza schermi,* idest, defensionibus, quia non potest vitare judicium [1] justi judicis, qui semper sedet pro tribunali et judicat justius quam Traianus, de quo dictum est. Et concludit notabiliter [2] poeta, et dicit: *di che l' animo vostro in alto galla?* idest, supernatat sicut galla in aqua superbiens, cum deberet humilis [3] stare in terra, quasi dicat: de qua re vana extollimini? de diuturnitate, vel felicitate, vel sanitate? certe, *voi siete quasi entomata in difetto.* Et hic nota, quod enthomata, secundum quod scribit philosophus in III de generatione animalium, sunt animalia generata per putrefactionem et a casu, et sine coitu, sicut aliqui vermes et apes et vespæ; et dicitur proprie enthomatum, idest, mirabile; ideo dicit: *sì come verme in cui formazion,* scilicet, generativa, *falla,* idest, deficit. Ideo bene dixit ille humilis Job: *Vermis sum ego et non homo.* — *Come.* Hic ultimo poeta, facta exclamatione contra superbos, revertitur ad explicandam formam pœnæ eorum per unam comparationem propriissimam ad suum propositum. Et vult breviter dicere, quod singuli istorum stabant sub pondere saxorum ita oppressi ut crepare videantur, sicut a simili videmus, quod figura hominis marmorea sub onere ædificii stat tota contracta, ita ut deficere videatur. Construe sic: *e vid' io coloro,* scilicet, superbos, *così fatti,* idest, ita contractos, *quand' io posi ben cura,* idest, cum bene notavi formam eorum, *come una figura,* sculpta vel picta, *si vede tal volta giunger le ginocchia al petto;* in tali forma quali stat miser homo in utero matris, tenens cubitos super genua, et faciem super pugnos clausos; et dicit: *per sostentar solaio o tetto,* sicut scribit Plinius de Hercule marmoreo facto a Praxitele, qui videbatur sustentare atrium Titi imperatoris, *per mensola,* idest, pro

---

(1) E. judicium recti judicis. (2) E. nobiliter.
(3) E. humiliter stare.

base quæ supponitur capiti trabium: et dicit: *la qual,* scilicet, figura, *fa nascere vera rancura del non vero,* quia de re non vera sed ficta, *a chi la vede.* Et sic vide, si comparatio potest esse magis propria in manifestando talem actum, et si homo interdum compatitur homini non vero sub nimio pondere; quanto magis ipse memor superbiæ suæ compatiebatur nunc istis superbis. Et quia dictum suum videbatur nimis largum, ideo declarat ipsum, dicens: *ver' è che più e meno eran contratti,* secundum plus et minus ponderis, idest, secundum quod fuerant plus et minus superbi; unde dicit: *secondo ch' avean più e meno addosso.* Et concludit gravitatem huius (1) pœnæ, dicens: *e qual più pazienzia avea negli atti, piangendo parea dicer: più non posso.* Per hoc autor pulcre notat, quod nullus est tam patiens, cui non videatur nimis durum humiliare se, de superbis loquor. Quam durum putas fuisse Friderico Barbarussæ quando subiecit se Alexandro papæ hosti infestissimo, petens suppliciter veniam; et ille superbe dicebat: *Super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem.*

---

(1) E. istius pœnæ.

CANTUS DECIMUS PRIMUS, *in quo tractat de eisdem superbis canentibus Pater noster rogantibus eos ut precent pro eis sub titulo Humberti de Senis et aliorum multorum; et hic declarat dominus Provenzanus Salvani de Senis sicut inanis gloria mundi est ventus.*

P*ADRE nostro che nei cieli stai.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de qualitate et pœna superborum in generali; nunc consequenter in isto capitulo XI agit et tractat de eisdem superbis in speciali. Et totum præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum præmittit orationem quam cantant isti superbi. In secunda introducit unum spiritum modernum superbum, ratione generositatis sanguinis, ibi: *Deh! se giustizia.* In tertia introducit secundum spiritum modernum superbum et vanum ratione (1) excellentiæ artis, ibi: *Ascoltando.* In quarta introducit tertium spiritum modernum superbum ratione potentiæ et status temporalis, ibi: *Colui, che del camin.* Ad primum veniens dico, quod poeta præmittit orationem (2) quam cantant isti superbi, quia, scilicet, cantant orationem dominicam, dicentes: *Pater noster.* Sed antequam veniam ad expositionem literæ, est primo prævidendum, quod aliqui mirati sunt, imo quasi truffati, cur poeta inserat hic istam orationem communem, quam sciunt omnes pueri et puellæ. Ad quod dico, quod non inutiliter, non superflue hoc fecit, cum in ea sint multi passus non bene

(1) 117, ratione excellentis artis, ibi.
(2) E. orationem dominicam, quam cantant isti superbi, scilicet *Pater noster.* Sed antequam.

intellecti; ideo ipsam ponit, et in quibusdam punctis exponit. Et est notandum quod poeta potius ponit istam orationem sanctam hic, quam alibi, quia isti superbi damnabilius peccaverunt, et plus fecerunt contra istam orationem; ideo orationem perfectissimam omnium canunt. Ad cuius perfectionis intelligentiam volo ([1]) te tota mente notare, quod oratio est perfectissima; primo ratione autoris est excellens et authentica, quia non a discipulo vel propheta, sed a Dei sapientia instituta; ratione materiæ est sufficiens et completa, cuncta necessaria homini comprehendens; ratione formæ, quia brevis et expedita. Sic enim decuit ut verbum abreviatum faceret Christus in oratione, ne quis de ignorantia eius posset se excusare, quasi tardus ingenio vel ineptus ad studium; ergo bene est oratio perfectissima; unde Augustinus: Si per omnia ([2]) sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo nihil invenies, quod ista non contineat vel excludat. Ista ergo oratio non continet nisi bonum, quod patet discurrendo per omnes petitiones ([3]). In duabus enim primis petimus consequi ultimum finem; et ([4]) prima enim, quæ est *sanctificetur*, petimus dilectionem ([5]) nostri in Deum. In duabus sequentibus petimus quæ per se sunt utilia ad finem ipsum consequendum, unum quidem directe, cum dicimus *fiat;* aliud vero instrumentaliter cum dicimus, *panem* ([6]). In tribus sequentibus petimus quæ utilia sunt per accidens: in prima quidem rationem ([7]) peccati, cum dicimus, *et dimitte;* in secunda, superationem hostis, cum dicitur ([8]): *et ne nos* ([9]); in tertia liberationem a malo, cum concludi-

---

([1]) 117, volo te scire et tota mente notare, quod hæc oratio.
([2]) E. omnia precationum verba.
([3]) E. petitiones ejus.
([4]) E. in prima.
([5]) 117, dilectionem qua diligimus Deum.
([6]) E. *panem nostrum*. In.
([7]) 117, remotionem peccati. — E. ratione peccati.
([8]) 117, dicimus.
([9]) E. *et ne nos inducas in tentationem;* in tertia.

tur: *sed libera.* Quia vero in omni deprecatione benevolentia reconcilianda est eius quem deprecamur, ut ait Augustinus, ideo brevis præmittitur prologus, scilicet, *Pater noster qui es in cœlis,* in quo disponitur animus deprecantis: primo per hoc quod dicitur *Pater:* dulce verbum est, ubi olim terribiliter dicebat: ego [1] Dominus, ego Dominus, nunc vult appellari *Pater,* et sic fiduciam præstat obtinendi quod petitur filiis adoptionis. Quanta cura ergo debet conari qui dicit: *Pater noster,* quod tanto patre non sit indignus: et dicit *noster,* et non *meus,* ut confitearis filiationem esse communem aliis, et non velis derogare juri fratrum tuorum. Pater enim est specialiter solius Christi, sed generalis omnium. Et quia voluntas exauditionis ostenditur inesse Deo, per hoc quod dicitur *Pater,* ita et potentia per hoc quod dicitur, *qui es in cœlis;* sed cum sit ubique, dicitur potius esse in cœlo, quia ut [2] dicitur *primo cœli et mundi,* propter incorruptionem cœli omnes posuerunt cœlum locum spirituum. Dicit ergo poeta in litera invocative: *O Padre nostro, che nei cieli stai;* et declarat quomodo sit in cœlis, dicens, *non circonscritto,* quia non continetur a cœlis, sed solus est omnia continens, ut ait Augustinus; nam immensitas divinæ magnitudinis est, ut intelligamus eum intra omnia non inclusum, extra omnia non exclusum; unde non est magis in cœlo quam in terra vel alibi, sed constituit sibi locum excelsum et luminosum, in quo angeli et beati contemplarentur eum. Unde dicit: *ma per più amore ch' ai primi effetti,* scilicet, angelis ab initio seculi, *di lassù tu hai;* quia magis diligit eos, et diligitur ab eis. — *Laudato.* Hic poeta dicto quis sit qui petitur, incipit ponere quæ petuntur; primo enim petitur honorificentia divini nominis, qua ostendi-

---

[1] E. ego Deus, ego Dominus.
[2] E. ut dicit philosophus *primo cœli* etc.

mus nos diligere Deum in se et propter se; et quia vocasti eum Patrem et dixisti eum habitare in cœlis, videtur respondere: quid vis, quid petis? Ad hoc respondens, peto, ut sanctificetur nomen tuum: et merito præponitur ista petitio, quia ante omnia debet filius petere honorationem patris. Et hic nota quod quia litera videbatur obscura, quomodo enim potest sanctificari qui est sanctus sanctorum? poeta hoc declarat, dicens: *laudato sia il tuo nome e 'l tuo valore,* idest virtus, *da ogni creatura,* quasi dicat: fac nos sic vivere, ut per nos te universi glorificent, et nomen tuum sanctissimum amplietur in omnibus digne; ideo dicit: *com' è degno di render grazie al tuo dolce vapore;* idest, benignæ gratiæ; vel expone: sanctificetur, idest, firmetur in nobis; sanctum enim, idest firmum; et hæc prima petitio maxime videtur contra superbos. — *Vegna.* Ista est secunda petitio, in qua post honorificentiam patris adiungitur congrue petitio hæreditatis, in qua dirigimus nos in Deum, dicentes: *adveniat regnum tuum:* et quia ista litera videtur obscura, poeta ipsam declarat, dicens: *Vegna ver noi la pace del tuo regno,* quasi dicat: non petimus huc cœlestia inclinari, sed magis nos ad cœlestia elevari catena divini luminis, quæ veniens a cœlo trahat nos sursum; et assignat causam quare sic dixit, dicens: *chè noi non potem,* supple, venire, *ad essa,* scilicet, pacem, *da noi con tutto nostro ingegno,* quia non est possibile homini accedere ad regnum Dei, nisi gratia Dei preveniat et perveniat ad eum; ideo dicit: *s' ella,* idest, si ipsa pax, *non vien,* scilicet, ad nos. Et hic nota quod Christus proponit nobis præmium beatitudinis sub metaphora regni. Nam in domo una inveniuntur necessaria ad vitam, sed melius in vico, et optime in civitate, in regno vero superabundanter. Per regnum ergo petimus beatitudinem, statum omnium bonorum aggregatione perfe-

ctum. — *Come.* Ista est tertia petitio, in qua petimus quod nos directe ducat ad regnum. Et ad huius literæ intelligentiam volo te notare, quod istud dictum exponitur diversimode a multis: uno modo, ut per cœlum intelligas justum, per terram peccatorem; sed secundum hoc videtur quod hæc petitio solum proficeret peccatoribus: secundo modo, ut per cœlum intelligatur spiritus, per terram corpus: tertio modo, ut per cœlum intelligatur Christus, per terram Ecclesia; ita ut sit sensus, quod sicut Christus fecit voluntatem Patris, ita fiat in Ecclesia; sic tripliciter ponit Augustinus: quarto modo exponit Hieronymus sic, ut quomodo angeli inculpate serviunt tibi in cœlo, ita et nos tibi serviamus in terra; et hanc expositionem Hieronymi sequitur (1) Thomas de Aquino, quem poeta noster sequitur. Dicit ergo, istam petitionem declarans: *come del suo voler gli angeli tuoi fan sacrificio a te,* cui dedicaverunt totam voluntatem ad serviendum, *cantando Osanna,* quod idem sonat quod salvifica; *così facciano gli uomini de' suoi,* scilicet, de voluntatibus suis. Et hic nota, lector, quod aliquis hic dubitabit, quare non dixit Christus aperte, sicut in angelis ita et in hominibus. Ad quod respondetur, quod non omnes angeli faciunt voluntatem Dei, sed tantummodo qui in cœlis sunt; nec omnes homines faciunt voluntatem Dei, quia non damnati; non (2) etiam pro omnibus hominibus oramus, quia non pro beatis, sed pro his qui in terra sunt. — *Da' oggi.* Ista est quarta petitio, in qua petimus instrumentum et organum quod valet ad obtinendum regnum; et hoc multipliciter exponitur, scilicet, de pane spirituali, sacramentali et corporali: et per panem intelligimus omnia necessaria vitæ præsenti et humano victui; et dicit nostrum, ut ostendat quod vi-

(1) E. sequitur beatus Thomas. (2) 117, nec etiam pro.

ctualia omnibus sunt communia; unde qui abundat panibus et non dat indigentibus, non solum manducat panem suum, sed etiam alienum, ut dicit Chrysostomus: per hoc quod dicit quotidianum intelligitur quod quotidie est necessarium. Cyprianus autem exponit: ut tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit; si enim in uno convivio tantum expendis, quantum tibi sufficere potest per centum dies, jam non quotidianum cibum manducas sed multorum dierum: vel sic dicitur, ne desiderium petitionis extendatur in longum. Sed quare dicimus, da nobis, si nostrum est? Respondet Gregorius: nostrum est per acceptionem, a Deo vero datur ex munere; ne igitur fiat nostrum quasi res furtiva sine voluntate Domini dicimus: da nobis hodie, quia non cogitabis de crastino. Ad literam ergo, dicit poeta: *da' oggi a noi la quotidiana manna.* Et hic nota, quod loquitur subtiliter, quia pro manna sub pulcerrima metaphora dat intelligi cibum spiritualem et corporalem, quia pluvit [1] a cœlo et pavit corporaliter populum Dei in deserto; ita et hic panis pascit corporaliter et spiritualiter [2] in deserto huius mundi, qui est vere desertum, sicut poeta pulcre finxit primo capitulo Inferni. Unde dicit: *senza la qual,* scilicet manna, *per questo aspro deserto,* idest, in isto mundo, *a retro va chi più di gir s' affanna:* quod verum est tam de cibo corporali quam spirituali; quia sine corporali moritur quantum ad corpus, et sine spirituali moritur quantum ad animam.—*E come.* Ista est quinta petitio, in qua petimus remissionem peccatorum; debita [3] sunt peccata secundum Augustinum, quæ petimus nobis dimitti, sed sub conditione: dimittere autem debemus non solum veniam postulantibus, sed etiam non postulantibus. Petimus ergo

---

(1) E. pluit de cœlo.
(2) E. spiritualiter nos in deserto.
(3) E. quia debita.

ut removeatur a nobis illud quod habet nos excludere a regno Dei, scilicet malum culpæ, idest peccatum. Dicit ergo: *e tu benigno perdona,* scilicet, nobis, *e non guardar a nostro merto;* scilicet, quod simus immeriti et indigni, *come noi perdoniamo a ciascuno lo mal ch' avem sofferto.* Et hic oritur dubitatio, quia videtur quod homo, qui non parcit alteri, dicens istam orationem, directe roget contra se. Ad hoc dixerunt aliqui, quod litera debet exponi, sicut nos dimittimus, idest, dimittere debemus; sed quidquid dicatur, unusquisque debet et potest dicere istam orationem communem omnibus, in qua loquitur in persona Ecclesiæ: unde [1]: *dimitte nobis* et non mihi.—*Nostra.* Ista est sexta et ultima petitio: nam, petita venia peccatorum præteritorum, petitur præservatio a futuris. Ad quod est notandum, quod tentare idem est quod experiri vel probare; tentat ergo hominem qui de eius virtute experientiam sumit. Virtus autem hominis consistit in duobus, videlicet, in operando bonum, et declinando a malo. Primo modo Deus tentat hominem; secundo modo virtus hominis tentatur per inductionem ad malum per tres tentatores: primo tentat caro, quia unusquisque tentatur a concupiscentia sua, ut dicit apostolus de se: secundo, tentat mundus cum vanitatibus suis: tertio, diabolus tentat hominem de vitio, ad quod videt hominem facilius inclinari; et magis tentat quem robustiorem invenit pugnatorem, nec aliquis sanctorum sufficeret crudelitatem dæmonis sustinere, nisi præsens Christus repelleret et frœnaret eorum incursus. Dicit ergo poeta in litera: *non spermentar nostra vertù, che di leggier s' adona,* idest, quæ [2] tam debilis faciliter inclinatur et comprimitur ad terram, sicut palea quando pluit super eam; *con l' antico avversaro,*

(1) 117 e E. unde dicit: *dimitte.*

(2) E. quæ tamquam debilis.

idest, diabolo. Et hic nota quod, ut dicit Augustinus, non oramus hic ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem; sicut si aliquis, cui necesse est igne examinari, non orat ut igne non tangatur, sed ut non exuratur. Et subdit: *ma libera,* scilicet, nos, *da lui,* scilicet, dæmone, *che sì la sprona,* idest, stimulat. Et hic nota quod poeta hic sequitur Thomam de Aquino. Aliqui tamen volunt, quod cum dicitur: *sed libera,* sit septima petitio, ita ut petatur liberatio ab omni malo. Et hic nota quod ut aliqui volunt, istæ septem petitiones contineant septem virtutes contra septem vitia; ideo ultimo ponitur conclusio, amen, quasi dicat: veræ et justæ sunt petitiones tibi propositæ, ideo nos exaudire digneris. Et ultimo poeta addit, quod isti superbi sic orantes dicebant in fine se facere istam ultimam petitionem non pro eis sed pro viventibus; unde dicit: *questa ultima preghiera,* scilicet, *ne nos inducas; o signor caro, già non si fa per noi chè non bisogna,* quia mortui tentari non possunt, *ma per color che dietro a noi restaro,* scilicet, pro viventibus in mundo, vel pro animabus quæ sunt retro, quæ nondum intraverunt portam purgatorii; nam illæ possunt tentari a dæmone, ut patuit supra capitulo VIII, et sic moraliter loquitur; potest etiam dici quod illæ non tentantur, licet serpens quærat hoc, quia angeli defendunt eas. — *Così.* Hic ultimo poeta concludit bonam dispositionem illarum animarum, dicens: *Così,* sicut dictum est, *quell' ombre,* idest, animæ prædictæ, *orando buona ramogna,* idest, bonum augurium, *a se et a noi,* qui sumus adhuc in hoc seculo, *andavan sotto il pondo,* scilicet, saxorum; et declarat ipsum pondus importabile gravissimum per unam subtilem comparationem, quæ propriissime repræsentat hunc actum, dicens: *simile a quel,* scilicet, ponderi, *che tal volta si sogna.* Ad cuius intelligentiam est notandum quod est quoddam

genus morbi naturalis accidens homini in nocte in somnio, quia videtur ei, ut audio ab expertis, quod habeat totum mundum super se, et videtur suffocari sub nimio pondere et vocatur a physicis incubus. Illæ animæ dico, ibant *angosciate,* idest, angustiatæ, *disparmente,* secundum plus et minus ponderis, *tutte a tondo,* quia omnes ibant in circuitu montis, *e lasse,* idest, fatigatæ, *su per la prima cornice,* idest, per primum circulum, qui est prima pars illius cornicis; et dicit: *purgando la caligine del mondo,* idest, superbiam, quæ offuscat mentem præ cæteris vitiis, quia istud vitium vult facere hominem Deum, vel similem Deo. — *Se.* Hic poeta persuadet (¹) nobis reddere piam vicem, scilicet mercedem duplicem pro istis. Unde dicit: *se di là,* scilicet, in purgatorio, *ben per noi si dice,* scilicet, ab ipsis qui orant pro nobis cum dicunt: *et ne nos inducas; che si puote,* interrogative loquitur, *dire,* scilicet, orando, *e far,* sicut jeiunia, eleemosinas, peregrinationes et similia; *per noi,* pro animabus eorum, *di qua,* scilicet, in mundo nostro, *da quei,* scilicet, justis, *c' hanno al voler buona radice?* Aliqui enim habent voluntatem benefaciendi mortuis, quorum preces non merentur exauditionem. Et respondet sibi, dicens: *ben si dee aitar lavar le note loro,* idest (²), signa, scilicet, peccata mortalia, *che portar,* scilicet, in fronte signatas a sacerdote, *quinci,* idest, ab hoc seculo; *sì che mondi,* idest, mundati et purgati ab istis maculis, *e lievi,* idest, alleviati pondere saxorum, *possano uscire alle stellate rote,* idest, ad speras cœlorum.

Deh! se giustizia. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta introducit unum spiritum modernum qui fuerat superbus ratione generositatis sanguinis. Et primo fingit quod Virgilius rogat umbras in generali ut do-

(¹) E. suadet. (²) E. idest maculas, scilicet peccata eorum mortalia.

ceant meliorem viam; et in brevi et pulcra oratione sua Virgilius primo facit exordium, secundo petitionem, tertio confirmationem. Primo quidem captat benevolentiam ab istis per id quod desiderant super omnia, scilicet per festinam liberationem eorum; unde adiurat eos, dicens: *Deh!* dictio deprecativa est, *se giustizia e pietà,* justitia enim, et misericordia exercentur erga illos, qui puniuntur in purgatorio, ut jam sæpe dictum est, *vi disgrevi tosto,* idest, alleviet ab oneribus vestris, *sì che possiate mover l' ala,* ad volandum sursum, *che secondo il disio vostro vi levi,* scilicet, ad cœlum, quod solum desideratis, *mostrate da qual mano,* scilicet, an (1) ad dexteram, an sinistram, *si va più corto in ver la scala,* quæ ducit ad cornicem. Et sic vide, quod nondum intraverant viam, sed stantes extra, primo viderant exaltationem humilium in ripa figuratam; deinde pœnam superborum veram in via, sive cornice. Et dicit: *e se c' è più d' un varco,* idest, passus, vel ascensus, *quel ne 'nsegnate che men erto cala;* quasi dicat: si in dextrum et sinistrum ascenditur ostendatis nobis quo levius ascendere possumus (2): et assignat causam quare sic petit, dicens: *chè questi che vien meco,* idest, qui sequitur me ducem suum, *per l' incarco della carne d'Adamo,* idest, corporis, quod traxit originem ab Adam, ita quod babet unum onus carnis, et vult subire aliud, scilicet saxum suum, *onde si veste,* quia est adhuc vivus, *al montar su,* per istam scalam, *contra sua voglia è parco,* idest avarus; quasi dicat: spiritus eius promptus est, caro autem infirma, de quo dolet. — *Le.* Hic poeta ponit responsionem illarum (3) umbrarum satis clare; et dicit: *Le lor parole, che rendero,* illæ animæ, *a queste,* scilicet verbis, *che dette avea colui,* scilicet, Virgilius, *cui io seguiva,* idest,

(1) 117, an a dextra, an a sinistra. (2) E. possimus.
(3) E. illarum animarum seu umbrarum satis clare.

cuius vestigia imitabar poetando, *non fur da cui venisser manifeste;* quia licet vox audiretur, tamen non videbatur persona quæ erat latens sub saxo, quod non solum erat magnum et grave, sed etiam latum; ita quod ubi primo superbus conabatur ostentare (1) se, nunc nititur ex humilitate se occultare, et licet non videretur a quo proveniret ista vox, tamen veniebat ab Humberto comite de Sancta Flore. Et tangit verba dicens: *ma fu detto,* ab uno spiritu, *venite con noi,* quasi dicat: sicut imus (2), *a man destra per la riva,* quia per purgatorium semper itur ad dexteram, *e troverete il passo possibil a salir persona viva.* Intellexerat iste spiritus quod poeta noster erat vivus, quando Virgilius dixerat quod erat tardus propter carnem, de quo erat valde stupefactus. Et vult dicere tacite, quod licet via purgandi superbiam (3) videatur valde difficilis, non tamen impossibilis est volenti. Et ostendit aviditatem videndi vivum, dicens: *e s' io non fossi impedito dal sasso,* sub quo non possum respicere nisi ad terram, *che la cervice mia superba doma,* quam porto bassam sub jugo humilitatis, quia portavi eam altam in vita; unde dicit, *onde portar conviemmi il viso basso,* scilicet ad terram; *guardere' io cotesto ch' ancor vive,* quod est mirabile, *e non si noma,* idest, nominat (4), *per veder s' io 'l conosco,* quia debet esse verisimiliter homo magnæ excellentiæ; *e per farlo pietoso a questa soma,* idest, ut compateretur gravi oneri meo. — *Io fui.* Hic prædictus spiritus ut inclinet facilius animum autoris (5) ad se, manifestat se a provincia generali et speciali et parentibus et nomine proprio. Et ad huius literæ intelligentiam est sciendum, quod in maritima civitatis Senarum fuerunt olim

(1) 117, ostendere se.
(2) 117 e E. nos imus.
(3) E. superbiam sit et videatur.
(4) S. non nominat.
(5) 117, auditoris.

comites nobilissimi de Sancta Flore castello, adeo potentes in Tuscia, quod solebant gloriari quod poterant omni die anni mutare locum et stare in loco tuto, tot castella fortia habebant; sed habuerunt diu bellum cum dicta civitate, per quod jam tempore nostri poetæ erant in magna ruina, et hodie sunt quasi omnino exterminati. De hac stirpe illustri fuit iste Humbertus, qui hic loquitur, juvenis quidem strenuus et animosus valde: qui cum exivisset (¹) probiter contra inimicos ad unum avisamentum, interfectus fuit in campo apud unum suum castellum, quod dicitur Campagnaticum. Ad literam ergo: dicit iste: *Io fui latino,* idest italicus; nam in Italia primo natum est nomen latinum, *e nato d' un gran tosco,* idest, nobilis et potentis comitis in Tuscia; et ecce patrem, *Guglielmo Aldobrandeschi,* sic cognominatus, *fu mio padre;* et dicit: *non so se 'l nome suo giamai fu vosco;* quasi dicat: credo quod sic, quia fuit satis famosus in Italia. Iste Humbertus audiverat Virgilium loquentem latine, ideo sic loquitur. — *L' antico.* Hic Humbertus narrat quid præstabat sibi superbiam magnam; et dicit, quod fuerunt duo, scilicet, nobilitas et virtus suorum clarorum progenitorum; dicit ergo: *L' antico sangue,* idest nobilis, *e l' opere leggiadre,* idest, gesta strenua, *de' miei maggior,* idest, prædecessorum; antiquitas enim facit nobilitatem, ut dicit philosophus libro Rhetoricorum, *mi fer sì arrogante,* idest, fecerunt me tam superbum, *che non pensando a la comune madre,* idest, ad Hevam, ex qua omnes sumus nati, vel communem matrem vocat terram, quæ est communis omnium parens; vel vult dicere et melius, quod omnes æqualiter nascimur (²) de fœmina, ita quod per viam nativitatis nulla est differentia inter regem et rusticum; quasi dicat: respiciens tantum no-

(¹) E. exivisset prohibitus probiter.
(²) E. nascuntur de fœmina.

bilitatem et claritatem maiorem, et non ad vilissimum ortum omnium hominum; *ogni uomo ebbi in despetto.* Et hic nota, quod secundum philosophum II Rhetoricorum, hic est malus mos nobilium, quod sunt despectores suorum progenitorum, quia nobilitas crevit in eis, sicut patuit in Alexandro Magno, qui in furore interfecit Clitum familiarem suum, quia præferebat Philippum patrem sibi. Et dicit: *tanto avante,* idest, tam excessive despexi omnes non appretiando vires et potentiam hostium, *ch' io ne mori' com' i senesi sanno;* a quibus interfectus fui, *e sallo in Campagnatico,* castello tunc meo, *ogni fante;* quia ibi cum paucis exivi contra multos. — *Io.* Hic Humbertus damnat superbiam causam exterminii sui et suorum, dicens: *Io sono Omberto: e non pur a me danno superbia fu* vel *fe, chè ella ha tratto seco tutt' i mei consorti,* idest, consanguineos meos, qui pluries per impotentiam superati sunt a senensibus, sicut jam tetigit supra, capitulo VI, *nel mal anno;* quia in ruinam irreparabilem. Et concludit Humbertus, tangens pœnitentiam ob culpam; *e qui convien ch' io questo peso porti,* idest, ponderosum saxum, *per lei,* scilicet [1], superbiam, *tanto,* idest, tam diu, *ch' a Dio si sodisfaccia,* idest, divinæ justitiæ, *qui trai morti,* in isto primo circulo, *poi ch' io nol fei trai vivi,* idest, in vita temporali.

Ascoltando. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta introducit alium spiritum superbum ratione excellentiæ artis. Et primo apparat se [2] et illum ad loquendum, unde continuans dicta dicendis, dicit: *Ascoltando, chinai in giù la faccia,* ut viderem illum loquentem; *et un di lor,* scilicet, superborum, *non questi che parlava,* quasi dicat, non magnus et magnificus sicut comes Humbertus, sed quidam spiritus parvus [3] et plebeius. Erat enim

(1) E. scilicet, per superbiam. (2) E. se se, et illum.
(3) E. parvus erat et plebeius. Et erat unus.

unus miniator librorum; *si torse sotto 'l peso che l' impaccia,* quia non permittit erigere caput; *e videmi e conobbemi,* quia noverat me in vita, *e chiamava,* scilicet me, *tenendo gli occhi con fatica fisi,* idest, fixos propter pondus, *a me che tutto chin andava con loro;* scilicet, cum ipsis oculis, ut viderem et audirem facilius loquentem: et moraliter potest intelligere, quod exemplo istius et aliorum hic discebat inclinari et humiliari; et manifestat eum, dicens: *diss' io lui,* scilicet, illi spiritui, qui ita firmaverat se: *o,* admirative loquitur et petit: *non se' tu Odorisi?* Iste Odorisius fuit magnus miniator in civitate Bononiæ tempore autoris (1), qui erat valde vanus jactator de arte sua non credens habere parem; ideo Dantes, qui optime noverat animum eius avidum laudis et gloriæ, de industria commendat eum super omnes, ut experiatur si deposuit ventum, quo solebat esse inflatus, dicens: *l' onor da Gobbio,* quasi dicat, qui multum honoras patriam tuam et artem tuam; unde dicit: *e l' onor di quell' arte,* scilicet, miniandi, *ch' alluminar è chiamata in Parisi!* Parisius enim dicitur illuminare ubi italici dicunt miniare. Et hic nota, quod miniare est magis proprium: sic enim dicitur a colore minio, qui olim fuit aliquando in maximo pretio; unde Scipio Africanus ducens gloriosissimum triumphum, devicto Hannibale, intravit urbem cum facie (2) tincta minio, ut scribit Plinius. — *Frate.* Hic poeta ponit responsionem illius ad se, qui humiliter confitetur falsam gloriam quam quærebat, et concedit ipsam alteri. Dicit ergo: *diss' elli,* scilicet, ille Odorisius dixit mihi: *o frate, più ridon,* idest florent, *le carte che pennelleggia,* idest, miniat cum pennicello, *Franco bolognese:* hic fuit alius miniator de Bononia excellentior eo concurrens secum,

(1) E. autoris et erat.

(2) S. facie minio colorata, ut.

sicut adhuc apparet in quibusdam libris miniatis per eum; ideo dat sibi palmam huius artis, dicens: *l' onor è tutto or suo,* quia scilicet ipse tenet apicem, *e mio in parte,* solummodo; et subdit: *ben non sare' io stato sì cortese,* sicut modo sum, *mentre ch' io vissi,* et ecce causam, *per lo gran disio dell' eccellenzia,* idest, propter magnum desiderium excellendi cæteros in arte mea, *dove mio core intese;* quia totum conatum apponebam circa hoc. Et hic nota quod aliqui mirantur hic ex ignorantia, et dicunt: quare Dantes nominavit hic homines ignoti nominis et bassæ artis, cum potuisset dignius facere mentionem de viris excellentissimis qui pulcra et nobilia opera fecerunt avidissimi gloriæ? Sed certe poeta fecit hoc cum magna arte et jure optimo, quia per hoc dat tacite intelligi, quod appetitus gloriæ ita indifferenter occupat omnes, quod etiam parvi artifices sunt solliciti circa illam acquirendam, sicut vidimus quod pictores apponunt nomina operibus, sicut scribit Valerius de pictore nobili etc.; et concludit Odorisius quod ad culpam necessario sequitur pœna, dicens: *il fio,* idest feudum, scilicet, pretium et supplicium, *si paga qui,* idest, punitur, *di tal superbia,* idest, tam superbæ gloriæ. Et dicit quod habet (¹) bonum pactum, quod non tardavit pœnitentiam usque in finem. Unde dicit: *et ancor non sarei qui,* idest, in isto purgatorio, imo essem relegatus extra cum aliis, *se non fosse che mi volsi a Dio,* a quo recesseram per superbiam, *possendo peccare;* quia in vita homo potest peccare per libertatem arbitrii, et sic Odorisius tacite commendat felicitatem nostri poetæ, qui bono tempore convertit se ad Deum, et admonet unumquemque ut non sit tardus ad pœnitentiam.— *O vanagloria.* Hic poeta gratia prædictorum exclamat ad dis-

(¹) E. habuerat bonum peccatum quia non tardavit.

suasionem inanis gloriæ, ostendens, quam inutilis et vanus est ([1]) eius appetitus, quia paucissimi sunt pervenientes ([2]) ad summum gloriæ, et cum pervenerint rarissime gloria diu durat. Et quia ista litera videtur non modicum obscura, volo te notare, quod multi multa vana dixerunt ad illius expositionem. Aliqui enim dicunt, quod gloria parum durat, et cito arescit, nisi attingatur ab ætatibus grossis, idest, ab antiquis sapientibus, qui sciunt uti ea moderate. Sed istud nihil valet, quia multi juvenes intemperantes mundanam gloriam obtinuerunt, sicut Alexander Macedo, cuius pectus fuit insatiabile gloriæ: sapienti vero clarissimum est spernere gloriam etiam studio virtutis acquisitam. Alii autem videntur subtilius dicere exponentes, quod gloria parum durat, nisi attingatur a magnis constellationibus; sed ista expositio est alienissima a mente autoris, qui videtur velle, et sic est, quod quocumque tempore aliqui perveniant ad summam gloriam, licet non tot quot sub coniunctionibus magnis, ita quod si tempore Alexandri Magni fuerunt magni famosi, sicut Aristoteles, Plato, et alii, et tempore Augusti Titus Livius et Trogus, tamen aliis temporibus fuerunt et ante et postea viri famosissimi, sicut Homerus, Boetius, Averrois. Sed ne vanus videar discurrendo per plura, dico breviter, quod vera intentio poetæ est, quod si fama vel gloria alicuius debet diu durare in culmine, oportet quod coniungatur ætatibus grossis, idest, rudium hominum, intellige per respectum ad se: verbi gratia, fama Platonis non diu viguit in alto, quia Aristoteles subtilior diminuit et offuscavit gloriam eius; sed quia post Aristotelem non venit alius subtilior ([3]); ideo fama adhuc viget. Nunc vide literam: dicit poeta arguens amorem propriæ excellentiæ in hominibus: *O vanagloria del-*

([1]) E. sit eius. ([2]) 117, venientes.
([3]) E. subtilior eo; ideo fama eius adhuc viget.

l'umane posse, idest, humanarum potentiarum et studiorum hominum, sicut armorum (1), scientiarum, artium; *com' poco dura verde,* idest, quam brevi tempore viret, quasi dicat: quam cito arescit, *in su la cima,* idest, in summo apice. Et notanter (2) in cima, quia fama multorum durat in longum tempus, sed non (3) excellentia singulari; *se non è giunta dall' etati grosse!* quia si coniungeretur subtilibus, non duraret; verbi gratia, si fuissent plures tempore Virgilii, qui scripsissent de eadem materia vel (4) simili eo, vel æque bene, fama eius non durasset jam per tot secula in alto apice. — *Credette.* Hic poeta confirmat dictum suum per exempla moderna, quæ clare manifestant expositionem factam; et primo ponit exemplum duorum concivium suorum, quorum unus nomine Cimabos fuit excellens pictor. Alter nomine Giottus fuit excellentior illo; ideo cito derogavit gloriæ eius. Ad literam ergo, dicit poeta, vel Odorisius: *Cimabue,* tuus florentinus, *credette tener lo campo nella pintura,* idest, victoriam gloriæ in arte pingendi, sed spes eius est delusa, quia non reperit se in ætatibus grossis, imo subtilioribus. Unde dicit: *et ora ha Giotto il grido,* idest, rumorem famæ et gloriæ, *sì che la fama di colui,* scilicet, Cimabovis, *oscura.* Et hic nota, lector, quod poeta noster merito facit commendationem Giotti, ratione civitatis, ratione virtutis, ratione (5) familiaritatis. De isto namque Giotto faciunt mentionem et laudem alii duo poetæ florentini, scilicet Petrarcha et Boccatius, qui scribit, quod tanta fuit excellentia ingenii et artis huius nobilis pictoris, quod nullam rem rerum natura produxit, quam iste non repræsentaret tam propriam, ut

(1) S. amorum scientiarum.
(2) S. notanter dixit in cima.
(3) E. e 117, non in excellentia.
(4) E. vel simili, melius vel æque cum eo bene, certe eius fama non durasset.
(5) E. et ratione.

oculus intuentium sæpe falleretur accipiens rem pictam pro vera. Accidit autem semel quod dum Giottus pingeret Paduæ, adhuc satis juvenis, unam cappellam in loco ubi fuit olim theatrum, sive harena, Dantes pervenit ad locum: quem Giottus honorifice receptum duxit ad domum suam, ubi Dantes videns plures infantulos eius summe deformes, et, ut cito dicam, simillimos patri, petivit: egregie magister, nimis miror, quod cum in arte pictoria dicamini non habere parem, unde est, quod [1] alienas figuras facitis [2] tam formosas, vestras vero tam turpes! Cui Giottus subridens, præsto respondit: Quia pingo de die, sed fingo de nocte. Hæc responsio summe placuit Danti, non quia sibi esset nova, cum inveniatur in Macrobio libro Saturnalium, sed quia nata videbatur ab ingenio hominis. Iste Giottus vixit postea diu; nam mortuus est in MCCCXXXVI. Et sic nota, quod Giottus adhuc tenet campum, quia nondum venit alius eo subtilior, cum tamen fecerit aliquando magnos errores in picturis suis, ut audivi a magnis ingeniis. Ista ars pingendi et sculpendi habuit olim [3] mirabiliores artifices apud græcos et latinos, ut patet per Plinium in naturali historia. — *Così.* Hic poeta adducit aliud exemplum aliorum modernorum, quorum uterque fuit pulcer inventor Rhythmorum in lingua materna [4]. Unus vocatus est Guido Guinicellus de Bononia, de quo et cuius laudibus habes infra capitulo XXVI. Alter vero vocatus est Guido de Cavalcantibus de Florentia, sine comparatione excellentior eo, quia fuit magnus philosophus, de quo jam multa dicta sunt Inferni capitulo X, ubi poeta commendavit eum a scientia; hic vero commendat eum ab eloquentia, dicens: *l' un Guido,* scilicet, Cavalcantes, *ha*

---

(1) E. quod alias figuras. (2) S. faciatis tam.
(3) S. olim maiores artifices et mirabiliores apud græcos.
(4) E. materna; quorum unus.

tolto così, idest, simili modo, sicut Giottus florentinus, *a l' altro Guido,* de Guinicellis bononiensi, *la gloria della lingua,* idest, dicendi in lingua materna. Et hic nota, quod iste Guido, sicut et Dantes, fuit homo multum speculativus, tardiloquus, faciens subtilia et subita scommata. Accidit autem, quod semel Guido cogitabundus deambulabat solus juxta sanctum Johannem in Florentia, cum (1) quidam miles florentinus nomine Bettus de Burneleschis superveniens cum aliis sociis clamavit super eum, dicens: Ecce, Guido, cum tantum cogitaveris, quod inveneris Deum non esse, quid feceris? Cui Guido præsto respondit: Domini, potestis dicere (2) juxta domum vestram quidquid placet. Et continuo evolavit a facie eorum, quia erat agillimus ut capreolus. Tunc illi respicientes unus alterum cœperunt dicere, quod Guido erat unus immemor, quia id quod responderat nihil portabat, cum non haberent plus facere ibi, quam cæteri cives, nec Guido minus (3). Quibus dominus Bettus dixit: immo vos estis immemores, qui (4) non intellexistis eum. Ipse dixit vobis honeste maximam verecundiam; quia, si bene advertitis, arcæ sunt domus mortuorum, quas dicit esse nostras (5) domos, ad innuendum quod nos et alii vulgares ignorantes ad comparationem scientiatorum sumus peius quam homines mortui et sepulti; et ideo cum sumus hic, sumus ad domum nostram. Tunc illi intelligentes coopertum scomma Guidonis laudaverunt autorem et interpretem eius. Et subdit poeta: *e forse è nato,* scilicet, aliquis excellentissimus eloquens: et dicit signanter *forte,* quia verecunde loquitur de se ipso: *chi l' uno e l' altro,* scilicet, utrumque Guidonem, *caccerà di nido,* idest, de domo famæ, quam

---

(1) E. et quidam.
(2) E. dicere mihi juxta.
(3) E. e 117, minus quam ipsi. Quibus.
(4) 117, quia non.
(5) E. e 117, vestras domos, ad intelligendum.

pulcre describit Ovidius in Maiori. Et certe hic [1] præclarus non solum expulit istos de possessione, sed et omnes alios ante se, et post se usque in hodiernam diem. Aliqui tamen volunt quod poeta noster loquatur hic de quodam tertio Guidone, scilicet de domino Guidone de Polenta Novello, sub quo vixit et mortuus est; qui fuit vir satis intelligens et eloquens: sed non credo. — *Non è.* Nunc poeta ex dictis concludit vanitatem famæ assimilans eam vento; unde dicit: *il mondan romor,* idest, fama loquax, *non è altro ch' un fiato di vento,* et est optima similitudo, quia fama est volatilis velut ventus, et cito pertransit magna spatia terrarum cum magno rumore; unde Virgilius: *Fama malum, quo nil aliud velocius illum Mobilitate viget, viresque acquirit eundo Parva motu primo* etc. Talis recte est ventus; unde dicit: *ch' or vien quinci et or vien quindi,* idest, nunc ab una plaga mundi, nunc ab alia, *e muta nome perchè muta lato,* quia unus et idem ventus habet [2] diversa nomina, et diversas vires in partibus diversis: ita est recte de fama et gloria, quia illud quod est laudabile apud unam gentem est vituperabile apud aliam. Sicut enim dux Venetiarum, qui est tam venerabilis apud suos, si accederet ad partes vicinas, ne dicam barbaras, certe irrideretur cum cornu suo quod portat in capite; sicut etiam ventus venit interdum cum magno impetu, et omnia prosternit, ita et fama sæpe facit magnos motus, sed cito deficit, et vanescit sicut ventus. — *Che fama.* Hic poeta, sive Odorisius, ostensa vanitate famæ, ostendit eius brevitatem; et est litera fortis, sed in effectu videtur velle dicere, quod fama hominis, quæ durat mille annis, imo mille millibus si sit possibile, parva imo nulla est si comparetur ad æternitatem, quia finiti ad infini-

(1) E. hic poeta præclarus.
(2) E. habet multa nomina et diversa.

tum nulla est proportio. Dicit ergo Odorisius: *tu,* scilicet Dantes, qui appetis multum gloriam, *che fama avrai più,* quasi dicat: parum plus vel nihil plus famæ habebis; *se tu scindi,* idest, separas et dividas, *la carne vecchia da te,* idest, si morieris in senectute, *che se fossi morto anzi che tu lasciassi il pappo e'l dindi,* idest, in infantia quando nesciebas adhuc expedite loqui, et nominare panem et denarium. Et hoc dico: *pria che passin mill' anni, ch' è spazio più corto a l' eterno,* idest, respectu æternitatis infinitæ, *ch' un muover di ciglia,* idest, quam unum instans indivisibile sit breve, *al cerchio,* idest, cœlo, *che più tardi in cielo è torto,* idest, respectu nonæ speræ, quæ movetur in centum annis uno gradu. Aliqui tamen exponunt, quod poeta loquitur hic de circulo zodiaci, qui est tortuosus, sed nihil esset dicere hic; ideo cum dicit, *è torto,* debet exponi, idest, torquetur, movetur, volvitur circulariter.

Colui. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta describit alium spiritum modernum, superbum ratione status et potentiæ temporalis, ut ostendat brevitatem vanæ gloriæ in eo. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod iste fuit quidam nomine Provinzanus Silvanus, dominus nobilis civitatis Senarum, qui cum gente regis Manfredi dedit illum terribilem conflictum florentinis ad Montem Apertum, de quo plene dictum est capitulis X et XXXII Inferni. Hic Provinzanus in MCCLXIX cum comite Guidone Novello et (1) gente Manfredi venit in obsidionem ad quoddam castrum, quod dicitur Colle, in comitatu Florentiæ, et habuit mille quadringentos equites et octo millia peditum. Tunc Florentiæ erat quidam vicarius Caroli Veteris, nomine Zannes Bertaldus, qui cum sua gente gallica et florentinis ivit contra præ-

---

(1) E. et cum gente.

dictos [1]. Senenses timentes sibi, voluerunt recedere; sed in recessu fuerunt invasi ab hostibus et faciliter debellati. Provinzanus captus decapitatus fuit in campo per dictum Zannem Bertaldum; cuius caput abscissum affixum fuit hastæ longæ, et circumportatum per campum. Ex quo fuit verificatum et declaratum responsum auguris, sive dæmonis, qui prædixerat sibi: *Ibis, pugnabis, vinces, non morieris in prœlio. Et tuum caput erit sublimatum super cætera.* Paucis senensibus parcitum fuit a florentinis, in vindictam eorum qui fuerant occisi paulo ante ad Montem Apertum. Nunc ad literam; dicit Odorisius nostro poetæ: *Colui che del camin sì poco piglia,* quia ibat totus contractus per cornicem, *dinanzi a me,* quia præcedebat ipsum, *sonò tutta Toscana,* quia fuit ad tempus famosus in tota Tuscia; *et ora,* idest, nunc de præsenti, MCCC, *a pena se n' pispiglia,* idest, vix susurratur et murmuratur de eo tacite, *in Siena,* idest, in patria sua, ubi fuit magnus et magnificus dominus. Quanto minus ergo in Florentia vel alibi? Et ostendit gloriam eius per victoriam magnam, quam habuit de superbia florentinorum, dicens: *ond' era sire,* idest, cuius civitatis Senarum erat dominus, *quando la rabbia fiorentina,* idest, plebs furiosa Florentiæ, quæ tunc erat intolerabilis, *fu distrutta,* idest, debellata et prostrata; et sic una superbia punivit aliam, ut est de more; unde dicit: *che superba fu a quel tempo,* quia contra consilium omnium sapientum voluit pertinaciter ire contra hostes ad exterminium suum, *sì com' è or putta,* idest, lasciva, vana, avara, sicut meretrix. — *La.* Hic poeta, sive Odorisius, tangit ex dictis mutabilitatem famæ per similitudinem herbæ, dicens: *la vostra nominanza è color d'erba, che viene e va,* quia nunc virescit, nunc arescit;

---

(1) S. prædictos senenses, qui timentes sibi.

et dicit, quod qui dederat eam, aufert eam, scilicet sol, unde dicit: *e quei sol per cui ella*, scilicet, fama, tamquam herba, *uscìo acerba della terra,* idest, nata est tenella, nondum matura, *la discolora,* idest, aufert sibi viriditatem. Et bene assimilat famam herbæ, quæ virtute solis tempore primi veris egreditur acerba ex terra; postea processu temporis caliditas temporis [1] crescendo discolorat, et exsiccat eam, sicut patet in messibus; ita fama humana, quæ non habet radicem stabilem, paulatim in tempore mutatur et amittit viriditatem. Et ita videtur dicere quod tempus est illud quod dat et tollit famam homini. Ideo nota, quod gloria humana est quædam umbra vel aura volatilis, quam qui dant homines eripiunt in tempore; unde sæpe videmus, quod qui erat gloriosus heri hodie est ignominiosus. Stultum ergo est ponere spem in deposito quod locaveris penes instabilem et perfidum, quia populus est iniquissimus judex, et ex manibus, imo linguis eius, pendent famæ hominum. Et tamen nulla est tanta humilitas quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Unde Tullius: vix invenitur aliquis, qui susceptis laboribus non desideret gloriam quasi mercedem rerum gestarum, sicut Africanus maior, et magnus Pompeius et alii duces avidissimi gloriæ. Sed hic oritur dubitatio, quia videtur quod autor contradicat sibi, qui in inferno dixit, quod homo qui moritur sine fama vanescit velut fumus in aere et spuma in aqua; hic vero assimilat ipsam famam vento et herbæ. Dicendum breviter, quod bene dicit hic et ibi, quia ad virtutem sequitur fama et gloria, et homo potest licite appetere honorem, laudem et gloriam de merito suo, et si referat hoc in Deum, non in nocumentum proximi; sed non debet ponere felicitatem suam in ea, nec superbire de

[1] 117, caliditas solis crescendo.

ea. Ideo hic damnat superbam gloriam et merito, quia [1] hic tendit ad pœnitentiam. — *Et io.* Hic poeta laudat dictum Odorisii, et petit de prædicto spiritu, dicens: *et io a lui,* supple, dixi illi Odorisio: *tuo ver dir m' incuora,* idest, ponit mihi in corde, *buona umilità, e m' appiani gran tumor,* idest, mitigas in me magnam inflationem ventosæ gloriæ. Hoc dicit, quia ipse aliquando multum amavit gloriam; et petit: *ma chi è colui di cui tu parlavi ora?* idest, ille famosus tuscus, de quo dicebas mihi nunc? Et ponit responsionem Odorisii qui manifestat nomen et culpam illius spiritus; unde dicit: *quegli,* scilicet Odorisius, *rispose: Provenzan Salvani è qui,* in ista gravi pœna; et ecce causam, *però che fu presuntuoso,* temeritas est una de filiabus superbiæ, *a recar Siena tutta alle sue mani,* idest, ad reducendum totam patriam suam in suam potestatem: fuit enim senensis gloriosus et vanus. Et tangit diuturnitatem pœnæ ultra gravitatem, dicens: *ito è così e va senza riposo poi che morì,* jam viginti novem annis; et ostendit quod pœna correspondet culpæ, dicens: *chi è troppo oso,* idest, quicumque est nimis audax, quia superbire non est aliud, quam super alios velle ire, *di là,* scilicet, in mundo viventium, *rende cotal moneta,* idest, luit pœnam tam dignam, *a sodisfar,* idest, ad satisfaciendum divinæ justitiæ. — *Et io.* Hic poeta movet unam dubitationem circa dictum spiritum, et breviter petit quomodo iste pervenerit ad purgatorium, qui deberet esse extra, quia tardavit pœnitentiam usque ad mortem. Unde repetens illud, quod jam totiens dictum est, dicit: *et io,* supple dixi Odorisio: *se quello spirito ch' attende,* idest, expectat, *l' orlo,* idest, extremitatem, *della vita pria che si penta, dimora là giù,* inter alios relegatos, *e non ascende quassù,* ad ve-

---

[1] E. quia hoc tendit.

rum purgatorium, *se buona orazion,* alicuius viri justi, *non aila lui,* impetrando gratiam apud Deum, sicut audies infra de alio spiritu senensi, qui fuit adiutus precibus sancti viri, *prima che passi tempo,* scilicet, tantum, *quanto visse,* scilicet, in peccato sine pœnitentia, *come fu la venuta largita a lui,* idest, qualiter ergo fuit donatus et concessus sibi accessus ad purgatorium? — *Quando.* Hic poeta ponit responsionem Odorisii ad quæsitum suum, qui breviter respondet quod Provinzanus promeruerit istam gratiam a Deo propter opus pium, quod cum summa humilitate et benignitate fecit pro amico (1) in suprema necessitate. Ad cuius rei intelligentiam claram volo te scire, quod cum quidam amicus Provinzani, captus in conflictu Conradini, detineretur in carcere Caroli victoris, adiudicatus morti, nisi infra certum brevem (2) terminum solvisset decem millia aureorum, ipse Provinzanus exposuit se ad mendicandum suffragia pro redemptione amici. Nam posito banco cum tapeto in platea civitatis, cœpit humiliter rogare unumquemque ut conferret redemptioni istius; et sic in brevi collecta pecunia necessaria liberavit amicum. Ad literam ergo, dicit poeta: Ille Odorisius, *disse:* Provinzanus prædictus, *liberamente s' affisse,* idest, firmavit et collocavit se, *nel campo di Siena,* idest, in platea Senarum, quæ vulgo appellatur ibi Campus: et est pulcerrimum forum, quasi circulare, circumcinctum magnis palatiis, et in eius circuitu solent deambulare nobiles et honorabiles cives, in medio vero negotiantes. Ideo Provinzanus habilius fecit istam procurationem pecuniæ ibi; et dicit: *quando vivea più glorioso,* idest, in illa gloriosa civitate, *deposta ogni vergogna,* quia verecundia magna videtur quando dominus rogat servum, ut (3) minor maiorem. Et tan-

(1) 117, pro amico in summa necessitate.
(2) E. breve tempus solvisset.
(3) E. sicut minor maiorem.

git summam humiliationem [1] Provinzani, dicens: *e si condusse a tremar per ogni vena,* scilicet, rogando, quo nihil est durius et verecundius. Ideo bene exclamat Seneca II de Beneficiis: *O onerosum verbum, vultu dimisso semper dicendum rogo;* et ecce quare: *per trar l'amico suo;* iste vocabatur Vinea, qui captus apud Tagliacocium expectabat decapitari; ideo dicit: *di pena, che sostenea nella prigion di Carlo,* idest, Caroli regis veteris: et sic vide quod Provinzanus redemit amicum de manibus Caroli, qui non potuit postea se redimere de manibus vicarii illius. Et concludit Odorisius: *quest' opera,* tantæ humilitatis et caritatis, *gli tolse quei confini,* idest, liberavit eum a loco confinatorum extra purgatorium. Et excusat se prædicens sibi suum exilium, unde dicit: *più non dirò,* quia bene intelligenti pauca verba sufficiunt, *e scuro so ch' io parlo;* quia [2] dixerat quod Provinzanus conduxerat se ad tremendum per omnem venam; *ma poco tempo andrà,* quia forte biennium transibit, *che i tuoi vicini,* scilicet, florentini, *faranno sì,* expellendo te de patria, *che tu potrai chiosarlo,* idest, declarare aliis, quia cum tremore et pudore disces rogare alios, et facit parenthesim.

---

(1) E. humilitatem.

(2) S. quasi dicat, quod.

CANTUS DECIMUS SECUNDUS, *in quo exponit sicut in medio itineris invenerunt multa sculptilia olim superborum quos omnes nominat. Et in fine sicut quidam angelus docuit ipsos iter, et sicut ibi audiverunt voces aliquorum spirituum invidiæ.*

Di pari come buoi che vanno a giogo. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de purgatione superbiæ in speciali et inanis gloriæ, quæ est filia primogenita superbiæ; nunc consequenter in isto capitulo XII docet nos vitare utrumque vitium. Et præsens capitulum potest breviter dividi in tres partes generales: in prima quarum describit suum apparatum ad sequentem materiam, et tangit ipsam materiam dicendorum. In secunda percurrit breviter multa memoranda exempla superborum, ostendens miserabiles effectus [1] superbiarum, ibi: *Vedea colui.* In tertia describit unum angelum qui mundat eum a vitio superbiæ, et dirigit ad secundum circulum, in quo purgatur invidia, ibi: *Più era già.* Ad primum veniens dico, quod poeta primo describit apparatum suum ad sequentem materiam quam proponit; sed præmittit continuationem dictorum ad dicenda per unam pulcram comparationem et claram, dicens: *Io m' andava con quella anima carca,* idest, Odorisio onerato pondere [2] saxi, *di pari,* idest, pariter et æqualiter, *come buoi che vanno a giogo;* et est propria comparatio; sicut enim taurus superbus ponitur sub jugum ut dometur et fiat humilis et mansuetus, ita quod discit non ferire amplius cornu vel pede; ita nunc Odorisius superbus positus erat sub

[1] 117, effectus superborum.

[2] E. pondere superbiæ saxi.

saxo, ut domaretur et efficeretur humilis et mansuetus, et oblivisceretur non ferire alios lingua: et Dantes qui similiter fuerat superbus ibat par cum illo, ut habilius loqueretur secum, et disceret inclinari et humiliari. Et dicit: *fin che 'l sofferse il dolce pedagogo,* idest, donec permisit mihi magister et dux meus Virgilius. Nec rideas de ista metaphora tamquam puerili, quia Aristoteles ponit eam libro Ethicorum. Virgilius enim figurat rationem, quæ ducit et regit passionem et disciplinat, sicut pedagogus puerum. Dicitur enim pedagogus a *pedos,* quod est puer, et *goge,* quod est ducere, quasi ducens puerum; et dicit notanter dulcis, quia pedagogus solet videri (1) terribilis et amarus scolari suo; iste vero erat benignus et carus. — *Ma.* Hic poeta præmissa continuatione describit suam dispositionem ad tractatum sequentem; et dicit, quod ad præceptum Virgilii erexit se ubi ibat primo incurvatus cum Odorisio. Dicit ergo: *Ma rifemi dritto con la persona sì come vuolsi andare,* idest, sicut est naturale et rationabile (2) homini ire recte. Rectitudo enim arguit nobilitatem; unde cum natura fecerit cætera animalia prona ad terram, solum hominem fecit rectum ad cœlum, ut dicit Cicero, Ovidius, Salustius, Juvenalis et omnes sapientes; et dicit: *avegna che i pensieri mi rimanessero e chinati e scemi,* quasi dicat, quamvis erexissem me sursum, tamen pondus curarum incurvabat (3) me ad terram, quia ille Odorisius prædixerat sibi quod ipse cito disceret quam grave sit rogare; sic ergo erexi me, *quando,* Virgilius, *disse: lascia lui,* scilicet, Odorisium, *e varca,* idest, transi ad novam materiam; et assignat optimam rationem, dicens: *che,* idest, quia, *è buon,* idest, utile et necessarium, *ciascun pinger*

(1) E. videri in scolaribus terribilis et amarus, iste enim erat suo scolari benignus et carus.

(2) E. rationale.

(3) 117, curvabat.

sua barca, idest, promovere ingenium suum, quod assimilatur navi, ut patuit in principio primi capituli huius purgatorii; *quantunque può,* quasi dicat: totis viribus ingenii, *qui,* idest in isto loco procelloso, *con la vela e co' remi,* idest, cum speculatione maiori et minori. Et hic nota quod metaphora navis est propriissima ad propositum; sicut enim nautam oportet uti omni arte et ingenio ad eruendam navim de loco periculoso ne incurrat scopulum, ita oportet nunc poetam facere ad evadendam animam a saxo superborum ne incurrat naufragium. Et ostendit modum navigandi istam aquam amaram tangens bonam dispositionem utriusque [1]; unde dicit: *io m' era mosso,* juxta præceptum Virgilii, *e seguia volentieri,* avidus novæ rei, *i passi del mio maestro,* idest, vestigia Virgilii, *et ambidue già mostravam com' eravam leggieri,* ipse per se et ego per eum; *et ei mi disse: volgi gli occhi in giue,* quasi dicat: converte speculationem tuam, et fige remum in aquam, idest, stylum tuum in materiam amaram istorum superborum, ut videas naufragia eorum, et evadas; unde dicit: *buon ti sarà,* o superbe, *veder lo letto delle piante tue,* idest, considerare viam superborum quomodo jacent prostrati per terram, *per alleggiar la via,* idest, ad alleviandam viam quæ erat alta et laboriosa. Et hic oritur dubitatio, quare poeta noster superius finxit [2] exempla humilium esse sculpta in alta ripa in marmore albo, hic vero fingit exempla superborum esse figurata in terra, et calcari a pedibus ambulantium? Dicendum breviter quod eleganter hoc fingit, ut innuat, quod qui se humiliat exaltatur [3] et efficitur clarus; qui vero se exaltat humiliatur [4] et fit obscurus. — *Come.* Hic poeta manifestat formam figurarum apparentium ibi per unam com-

[1] E. utrinque.
[2] E. finxerit exempla.
[3] 117, exaltabitur.
[4] 117, humiliabitur.

paratiomem artificiosam valde; et vult dicere in summa, quod sicut petræ quæ tegunt sepulcra mortuorum in terra habent sculptam figuram sepulti ad memoriam eius, ita quod transiens per ipsas in claustro firmat se et respicit, et invitatur interdum ad lacrymas considerans quis fuit homo qui jacet ibi; ita a simili erant nunc hic apparentes diversæ imagines superborum et superbiarum. Ordina sic literam et construe: *sì vid' io lì,* in [1] illo primo circulo, *figurato quanto avanza per via di fuor dal monte.* Quasi dicat, totum illud spatium quod facit viam circa montem, quam viam jam supra vocavit cornicem, ita quod tota illa via ubi puniebantur superbi, per quam nunc ibant, erat tota plena variis figuris. Et dicit: *ma di miglior sembianza,* idest, apparentiæ, *secondo l' artificio;* quia subtilius et artificialius videbantur figurare, quia non arte humana sed divina: modo redi supra; *come le tombe terragne,* idest, sepulcra facta in terra, quia facta in muro vel in alto non facerent ad propositum, *portan segnato,* idest, figuratum, *sopra i sepolti,* scilicet, mortuis, *quel ch' elli eran pria,* scilicet, talis vir sapiens vel potens, *perchè di lor memoria sia,* et ad utilitatem vivorum; unde dicit: *onde lì molte volte si ripiagne,* idest, ploratur a respiciente, *per la puntura della rimembranza,* idest, ex pietate et compassione recordationis, quia venit in mentem quis [2] fuerit et quid nunc est; et dicit: *che,* idest, quæ recordatio, *solo ai pii dà delle calcagne;* quia solum homines pii moventur memoria mortuorum, non impii. Et hic nota quantum comparatio facit mirabiliter ad propositum. Sicut enim ambulans per cœmeterium vel claustrum ecclesiæ videt figuras mortuorum et considerat quod non est amplius homo sed vermis et pulvis; propter quod si [3] est homo

(1) E. idest in illo. (2) E. quis fuerat, et quis nunc.
(3) E. sicut homo bene dispositus.

bene dispositus movetur ad compassionem et recordatur se moriturum, superbus vero obstinatus non terretur timore vel memoria mortis; ita nunc poeta videns figuras superborum, qui fuerant tam alti et gloriosi in mundo, nunc ita deiectos et prostratos, considerans qui fuerant et qui erant, factus humilis condolebat miseriæ humanæ et ruinæ irreparabili superborum, et videbat altam gloriam eorum sub pedibus conculcatam.

Vedea colui. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta docet vitare superbiam percurrens multa memoranda spectacula superborum. Et primo incipit a maxima omnium superbiarum, et quæ numquam habuit parem, scilicet, a superbia primi angeli qui voluit fieri similis Altissimo. Dicit ergo: *Vedea colui,* scilicet, Luciferum, qui primo occurrit oculis mentis eius, *che fu nobil creato più d' altra creatura,* quia plus recepit de luce et gratia a Creatore, *scender giù dal cielo folgoreggiando,* cum superbia sua, *da un lato,* scilicet ab hemisperio inferiori, ut plene dictum est finali capitulo Inferni. Et sic nota, quod, sicut [1] scribit Petrarcha in simili casu, dans remedium contra superbiam: fundamentum veræ virtutis est humilitas, nec tanta claritas [2] ulla est quam superbia non obscuret; scit ille qui clarissimus creatus, se ipsum extollens, non solum obscurus sed princeps fieri meruit tenebrarum. Ergo bene ad summam superbiam secuta est summa ruina. — *Vedeva.* Hic poeta describit secundum actum et effectum superbiæ maximæ secundum figmenta poetarum, scilicet Briarei maximi gigantis, qui voluit eripere regnum summo Jovi, sicut Lucifer præsumpsit contra omnipotentem Deum; ideo fulminatus est cum aliis gigantibus. De isto Briareo et fabula [3] gigantum dictum est Inferni capitulo XXXI et alibi sæpe;

---

(1) E. sicut semel Petrarcha. (2) E. claritas est.
(3) S. de fabula gigantum.

et dictum est quid fictio importet allegorice; ideo non plura hic. Dicit ergo : *Vedeva Briareo,* immensum gigantem, qui sic dictus est, quasi briæ reus, idest mensuræ, *fitto dal telo celestial,* idest, a fulmine, *giacer grave a la terra,* propter magnitudinem corporis, *per lo mortal gelo,* quia (1) mors reddit corpus gelidum extincto calore naturali, et calor superbiæ erat extinctus in eo; *da l' altra parte,* scilicet, ex opposito Luciferi. Et tacta fulminatione unius gigantis maxime terribilis, tangit fulminationem cæterorum gigantum in eodem bello giganteo, quos omnes Juppiter cum filiis suis fulminavit. Dicit ergo: *vedea ancor Timbreo,* idest, videbam etiam Apollinem, qui sic dicitur a Tymbra insula, *Pallade,* quæ et Minerva dicitur, *e Marte,* qui est deus belli, et omnes dicuntur filii Jovis, *armati,* scilicet, Apollo sagittis, Pallas scuto et hasta, Mars omnibus armis, *intorno al padre lor,* scilicet Jovem, *mirar le membra de' giganti sparte,* idest, dispartita a fulminibus et sparsa per campos Flegræ in regione Thessaliæ, ut dictum est Inferni capitulo XIIII. Et hic, lector, volo te notare unum pro intelligentia huius literæ, et expositione multorum dictorum ipsorum autorum, videlicet, quod antiqui philosophi et poetæ, licet viderentur ponere plures deos et deas, tamen de rei veritate ponebant unum deum, qui est prima causa omnium; sed poetæ per tot deos et deas intelligebant varias potestates, virtutes et effectus unius (2) Dei, ita quod unus et idem Juppiter erat Apollo et Pallas in sapientia, Mars in potentia, Mercurius in eloquentia, et ita de multis; quod totum mirabiliter et clare expressit Valerius Soranus poeta latinus in duobus versibus, sic (3) dicens: *Juppiter omnipotens regum rerumque*

---

(1) E. idest quia.
(2) E. unius solius Dei qui est prima causa omnium, ita quod.
(3) E. e S. breviter sic dicens.

Deumque Progenitor genitrixque Deum, Deus unus et omnes; ut scribit (¹) Augustinus de Civitate Dei de mente Varronis. Modo ad propositum: poeta non vult aliud dicere hic, nisi quod Deus sua sapientia et potentia fulminavit gigantes, idest, superbos præsumentes contra eum, sicut semper fecit et faciet. — *Vedea.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ, scilicet, magni gigantis Nembroth, quem descripsit Inferni capitulo XXXI a magnitudine sua, a sono terribili cornu, ab idiomate non intelligibili, a fune quo erat ligatus; nunc vero describit eum singulariter a superbo opere, quo voluit ascendere cœlum, et effugere (²) divinum judicium. Ad quod est sciendum quod, ut habetur ex libro Genesis et Josepho libro Antiquitatum, gigantes fuerunt tempore diluvii; sed post diluvium Nembroth pronepos Noe fuit gigas corpore magnus, viribus fortis, qui venantium obtinuit principatum, et primus cœpit imperare gentibus rudibus; cuius persuasione ab hominibus illius temporis coniuratum est contra cœlum et incœptum est opus in Senaar regione Chaldææ circumdata flumine Euphrate; ex quo Nembroth non solum felix sibi, sed etiam Deus superbe (³) videbatur. Nam ut fertur usque hodie umbra turris a longe videtur ad instar montis elevati ad nubes: sed Dei judicio pars alta corruit; sed quod debebat esse frœnum homini superbo fuit incitamentum illi. Nam Nembroth quod destructum erat reparavit; sed immissa confusione linguarum, in diversas regiones orbis cum diversis ducibus recesserunt. Sic Nembroth solus confusus remansit in regno, vel, ut aliqui volunt, recessit in Persas. Ad literam ergo: dicit poeta: *Vedea Nembroth a piè del gran lavoro,* scilicet, turris Babel, *quasi smarrito,* confusione sermonum; *e riguardar le genti,*

(¹) E. ut scribit etiam Augustinus. (²) 117, fugere. (³) S. superbiæ.

scilicet, fratres et socios, *che 'n Sennaar,* contrata, *con lui,* scilicet, Nembroth superbo, *superbi foro.* Et hic nota, quod numquam credo fuisse maius vel mirabilius opus in terris, de quo mirabilia scribit Quintus Curtius libro IV de gestis Alexandri. Dicit enim, quod Semiramis condidit Babylonem, cuius murus habuit in latitudine triginta pedes, ita quod quadrigæ sine periculo occurrebant sibi; altitudo fuit quinquaginta cubitorum, circuitus totius operis habuit quadringenta sexaginta octo stadia. Euphrates magnus fluvius interfluit urbem, cuius pons est numeratus inter mirabilia orientis. In hac urbe superbus Alexander stetit diutius quam in aliqua alia, cuius luxuria maxime nocuit militibus suis; nam ibi pretio parentes vendunt libidinem filiorum; sed postea Cyrus rex persarum superbissimus, de quo dicetur paulo post, superbum flumen humiliavit, et superbam Babyloniam domuit, quam evertit. Hieronymus vero dicit Babylon metropolis chaldæorum, cuius muri sexdecim millia passuum per quadrum ab angulo in angulum, quod est simul sexaginta quatuor millia. — *O.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ unius mulieris. Ad quod est breviter sciendum, quod, sicut scribit Ovidius clare VI Maioris, Niobe filia Tantali regis avarissimi omnium, quia ex avaritia nascitur superbia, et uxor Amphionis regis Thebarum post infelicem Cadmum, devenit per superbiam in tantam insaniam quod spernebat Latonam deam, quæ dicitur fuisse mater Apollinis et Dianæ, ut dicetur plene capitulo XX huius libri, et vetabat illam coli, glorians et extollens se de nobili prole, quia habebat septem filios masculos et totidem fœminas, sed in vindictam superbiæ suæ omnes filii dicuntur sagiptati ab Apolline et omnes filiæ a Diana, ex quo ipsa conversa dicitur in saxum. Hoc forte indicat quod septem filii percussi sunt ab Apolline deo sapien-

tiæ quia infatuati sunt, et septem filiæ percussæ sunt a Diana dea castitatis, quia factæ sunt meretrices. Et certe nimis intollerabilis est superbia fœminæ, cui natura dedit mollem carnem, humile ingenium, frigidam virtutem, quas intra terminos verecundiæ, pudicitiæ et taciturnitatis decet esse contentas. Ad literam ergo, dicit poeta indignanter exclamans: *O Niobe,* fœmina vana, *con che occhi dolenti vedeva io te,* quia (1) indurata erat in saxum, quia scilicet pro nimio dolore impetravit intus, *segnata,* idest, figurata, *in su la strada,* in (2) illa via, sive cornice, *tra sette e sette tuoi figliuoli spenti,* idest, interfectos. Et hic nota, quod sicut scribit A. Gellius libro Noctium Atticarum filii Niobis apud aliquos poetas fuerunt septem masculi et septem fœminæ, sicut apud Ovidium, quem sequitur poeta noster; apud alios ponuntur tantum sex, sicut apud Homerum XI Odysseæ; apud alios quatuor et quatuor; apud alios tres et tres: ideo forte hæc fictio importat aliud ministerium quam dictum sit. — *O Saul.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ magnificentissimi regis. Ad quod est sciendum quod sicut potest colligi ex libro Regum, vel Josepho ex libro Antiquitatum, Saul fuit primus rex Israel gloriosus valde inter reges orientales sui temporis, quem quærentem asinas patris perditas Deus dedit in regem populo hebræorum, et inungi fecit per Samuelem prophetam. Saul igitur fuit altæ staturæ, fortis corpore, pulcer facie, felix bellator, qui multas victorias obtinuit de multis regibus et gentibus, et magnas fecit prædas. Ditatus et exaltatus nimis tenuit terram a litore Ægypti usque ad litus maris rubri (3), felix pulcra prole filiorum; sed quia contra præceptum Domini servaverat Agag regem Amalachitarum victum prœlio, reprobatus a Domino, mutata

(1) E. quia indurabatur in saxum, quia scilicet præ nimio.
(2) 117, idest, in illa via. (3) 117, rubei.

fortuna in contrarium, privatus fuit visione futurorum, quam dederat Deus illi; et aliquando vexabatur a dæmone, et sæpe perdebat exercitus. Hic superbus Saul voluit ex invidia bis occidere David humilem, qui contulerat sibi tot beneficia, et bis servaverat eum a morte, cum posset occidere; et in necessitate recurrit ad pytonissam, quæ suscitaret sibi Samuelem. Finaliter cum odiosus esset Deo et hominibus eduxit infeliciter exercitum contra philistinos hostes apud montes [1] Gelboe: commissa pugna cum videret suos debellari, et filios suos circa se mortuos et se vulneratum, petivit mortem ab armigero suo; sed cum ille recusaret incubuit super gladium, et superbum illum spiritum magnanimiter eiecit ne fieret ludibrium adversariorum suorum, qui etiam post mortem in corpora sævierunt; nam capita regis et filiorum portaverunt in hastis per terras eorum, et corpora in muris ad tempus suspensa tenuerunt; talis est finis superborum. Ad literam ergo: poeta noster indignanter exclamat: *O Saul,* superbissime regum, *come parevi qui,* figuratus in via, *morto in su la propria spada,* a te ipso interfectus, *in Gelboe,* cum tribus filiis tuis. Et dicit: *che poi non sentì pioggia nè rugiada.* Hoc dicit, quia David, audita morte soceri et filiorum, maledixit montes Gelboe, ut ros neque pluvia caderet super eos. Et merito: nam Saul etsi superbus magnanimus tamen fuit, qui dum præsciret finem suum, non expavit, non declinavit pugnam, et victus se percussit gladio, cuius magnanimitatem multipliciter commendat Josephus. — *O folle.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ mulieris. Ad quod sciendum quod, sicut scribit Ovidius VI Maioris, Arachne fuit fœmina textrix ingeniosissima de Colophonia civitate Asiæ, quæ [2]

---

[1] 117, montem Gelboe.

[2] E. e S. quæ per superbiam.

pro superbia ausa est præferre se Palladi, quæ dicitur Dea sapientiæ apud græcos, quia suo ingenio adinvenit multas artes de novo, sicut lanificium et alias. Pallas ergo, audita temeritate fœminæ, in habitu vetulæ cœpit monere eam benigne ut cessaret a temeritate sua. Arachne autem magis superbiens vel indignans minabatur illi; tunc Pallas venit ad certamen telæ (1) secum, et figuravit in sua tela certas laudes deorum; Arachne vero in sua tela artificiosa valde figuravit crimina et convicia deorum, sicut adulteria Jovis et aliorum; propter quod Pallas (2) irata percussit eam in capite cum instrumento telæ; et illa in furore se suspendit. Sed Pallas continuo vertit (3) eam in vermem sui nominis, et reliquit eam sic pendentem semper intendentem operi tam fragili et caduco quamvis subtili. Ad literam ergo; poeta indignanter exclamat: *O folle Aragne,* idest, temeraria mulier; nam si Niobe, de qua dictum est paulo supra, græca regina, nobilitate, divitiis, regno et prole pollens damnata est turpi superbia, quanto magis Arachne fœmina asiana plebeia, quæ vili arte tantum intumuit, ut non cederet divinitati? *sì vedea io te già mezza ragna,* velut si tunc transmutaretur, *trista in su gli stracci,* quia Pallas laceravit opus eius, *dell' opera,* idest telæ, *che mal per te si fe',* scilicet, malo tuo et damno tuo. Et hic nota (4) quod ista fabula, quæ videtur fœminea et ridicula, continet sub se pulcerrimam allegoriam. Nam per Palladem debes intelligere virum vere sapientem, per Arachnem sophistam verbosum qui eviscerat se, et toto posse laborat ut faciat aliquid subtile opus, sicut recte faciunt hodie isti moderni logici anglici; sed tale opus durat sicut tela araneæ: et sicut tela ipsa araneæ sub-

---

(1) E. tale secum.
(2) E. indignata et irata.
(3) 117 e E. convertit eam.
(4) 117, nota, lector, quod.

tilis non valet nisi ad fallendum vel capiendum muscas volantes et minuta animalia, ita tale opus subtile non valet nisi ad capiendum (1) juvenes vanos, sed non senes vere philosophantes. Ergo bene finxerunt poetæ araneam esse odiosam Palladi, quæ ita confudit et damnavit opus eius. — *O Roboam*. Hic poeta describit alium actum et effectum superbissimi regis. Ad quod sciendum, quod sicut legitur libro Regum et libro Josephi Antiquitatum, Roboam filius sapientissimi Salomonis et clementissimi David nepos, mortuo patre venit regaliter superbus in terram Sichem, ubi convenerat universus populus Israel, qui supplicavit regi ut dignaretur alleviare jugum quod Salomon imposuerat eis. Roboam autem, spreto consilio seniorum, et juniorum consilio acceptato, respondit superbe, quod minimus digitus suus erat grossior dorso paterno, et quod si pater percusserat eos flagellis, ipse cæderet (2) eos scorpionibus. Populus turbatus rebellavit sibi; nam decem tribus recesserunt tunc ab eo, et præfecerunt sibi Jeroboam regem, et Adoram thesaurarium petentem tributum lapidaverunt. Quo audito, Roboam terrefactus ascendit subito currum, et cum magna festinantia refugit (3) in Jerusalem sedem regni sui: contra quem Sisoth rex Ægypti, audita seditione, continuo venit, et vastata regione ferro et igne obsedit Jerusalem cum numeroso (4) exercitu. Sed Roboam ex superbissimo factus vilissimus, invalescente fame in populo, recepit regem Ægypti in patriam turpi fœdere; cui tandem concessit spoliare nobilem urbem et templum illud ditissimum Salomonis. Sisoth recedens illum pauperatum reliquit sibi tributarium. Sic Roboam factus vilis et obscurus infeliciter mortuus est, nihil regale secum portans nisi

(1) E. capiendos.
(2) 117, occideret.
(3) 117, recurrit.
(4) 117, universo exercitu.

quod sepultus est cum maioribus suis, qui sine ulla virtute mortuus erat in vita. Bene ergo fœda superbia sua; ideo poeta irrisive exclamat in eum: *O Roboam,* cum illo roboatu tuo, *già non par che il tuo segno,* idest, figura, *minacci quivi,* in ista via, sicut tu olim minatus es in Sichem; *ma un carro nel porta,* illum Roboam, *pien di spavento,* fugientem iram et furorem populi, *prima che altri il cacci,* quia non expectavit impetum. — *Mostrava.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ unius mulieris. Ad cuius intelligentiam debes breviter memorare illud quod scriptum est de Amphiarao XX capitulo Inferni, qui cum prævidisset horrendam mortem suam apud Thebas occultaverat se ne iret ad bellum; sed uxor eius sola conscia facti, corrupta ab Argia uxore Polynicis, quæ donavit sibi pretiosum jocale, manifestavit virum; propter quod Alcmeon filius Amphiarai pius erga patrem impie mactavit matrem. De hoc autem dicetur plenius IIII capitulo Paradisi. Dicit ergo: *il duro pavimento,* idest, illa strata dura, qualis est via superborum, *mostrava ancora,* ibi figuratum, *come Almeone,* filius magni auguris, *fe parer caro lo sventurato adornamento,* idest, infelix monile donatum sibi, *a sua madre,* quæ vocata est Eriphyle, quam occidit in ultionem patris. Et hic nota quod autor merito appellat istud ornamentum infortunatum, quia fuit primo donatum Hermioni uxori Cadmi, quæ habuit tot infelicitates in stirpe sua, de quibus scriptum est Inferni capitulo XXX; sed maxime fuit infortunatum huic Eriphyli, quæ fecit virum mori, et a filio mactari meruit. Nota etiam quod iste actus non videtur tantum fuisse superbiæ quantum avaritiæ: potest tamen dici quod hæc mulier potius fecerit hoc ad superbam gloriam. — *Mostrava.* Hic poeta describit alium actum et effectum superbiæ insanæ. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod ista historia scri-

bitur diffuse III Regum et Paralipomenon libro II; cuius breviter hæc est summa. Mortuo Acham rege Israel, Ezechias filius eius optimus cœpit regnare in Jerusalem, qui reduxit populum ad cultum Dei, et templum, sacerdotium et religionem mirabiliter ordinavit, regnum suum constituens et exponens in manu Dei, et sic prosperatus est in omnibus actionibus suis. Sennacherib vero rex assyriorum potentissimus intravit Judæam, volens sibi acquirere regnum Israel, et convertens totum impetum belli contra Jerusalem, quam Ezechias muniverat omni apparatu murorum, armorum et aliorum necessariorum, præmisit nuncios suos Jerusalem, qui (1) jactaverunt potentiam regis superbissime dicentes populo, quod Ezechias decipiebat eos, quia Deus eorum non posset eos liberare de manibus suis, facientes magnam blasphemiam in Dominum Deum Israel, et Ezechiam servum eius. Quare Ezechias et Isaias propheta exclamaverunt usque ad (2) cœlum, et Dominus misit angelum suum, qui percussit omnem virum robustum et bellatorem, et omnem principem exercitus. Sennacherib autem reversus est cum ignominia in terram suam, et cum intrasset templum Dei, sui filii peremerunt eum; et scribit Isaias, quod angelus Domini interfecit centum octuaginta (3) quinque millia assyriorum; Josephus vero dicit, quod morbo perierunt. Sed quare, incredule, hoc non credis, qui credis omnia libris Gentilium? Nonne Brennus ille superbus qui Romam superbam everterat, et alia magna mala fecerat in Italia et Græcia, tandem cum ivisset ad spoliandum illud famosum templum Apollinis delphici, vidit suum exercitum terræmotu, grandine et tempestate prosterni, et ipse gladio se interfecit? Nunc ad literam: dicit poeta: et illud pavimentum, *mostrava*

---

(1) 117, qui nuntiaverunt potentiam. (2) E. e 117, in cœlum.
(3) E. octuaginta millia.

come i figli, qui fuerunt duo, scilicet, Adramelech et Sarrasar, *si gittaro,* cum impetu, *sopra Sennacherib,* patrem suum, *dentro dal tempio;* hoc fuit in famosa civitate Ninive in templo Dei sui, qui dicebatur Nesareth, *e come morto lui quivi lasciaro;* et fugerunt in terram Arath. Et sic vide quomodo ira Dei fulminavit istum superbum blasphemum fortius quam Capaneum, et exaltavit humilem Ezechiam, de quo dicetur plenius Paradisi capitulo XX. — *Mostrava.* Hic poeta tangit alium actum altæ superbiæ et miserabilem effectum. Ad quod (¹) sciendum, quod Cyrus ab infantia impie expositus opera avi sui Astiagis, pie lactatus a cane, victor avi materni factus potentissimus rex persarum, Asia subiugata, et universo oriente in potestatem suam redacto, intulit bellum scythis, quorum regina Thamiris misit filium juvenculum contra ipsum; quo debellato et occiso, regina justa ira fremens super mortem unigeniti filii sui, dolorem orbitatis non effudit in lacrymas, sed solatium ultionis. Ergo hostes recenti victoria exultantes circumvenit pari fraude; nam compositis insidiis in montibus trucidavit ducenta millia persarum cum ipso rege, et caput Cyri truncatum a corpore mandavit immergi in utrem sanguine plenum cum ista exprobratione: *Satiare sanguine quem sitisti, et cuius insatiabilis semper fuisti;* et sic superbiam omnium victricem manus fœminea vicit et fregit. Ad literam ergo; dicit poeta: illud pavimentum durum, *mostrava,* scilicet ibi figuratum, *la ruina,* scilicet, stragem et cædem magnam exercitus, *e 'l crudo scempio,* idest, et exemplum crudele non imitabile, *che fe Tamiri,* regina tartarorum, *quando disse a Ciro,* superbissimo regi persarum: *sangue sitisti,* idest, habuisti sitim et appetitum humani sanguinis effudendi (²);

(¹) E. Ad quod scias, quod. (²) S. effundendi.

et ideo: *et io di sangue t' empio,* ad sedandam sitim. Hic superbus Cyrus superbam Babyloniam cepit, et populum hebræum restituit de captivitate Babylonis, de quo dicit Isaias: *Christo meo Cyro.* — *Mostrava.* Hic poeta tangit alium ([1]) et amarum exitum superbiæ fractæ fraude fœminea. Historia ista scribitur ([2]) diffuse in libro speciali, qui intitulatur Judith, cuius summam attingam brevissime, quia est notissima vulgo. Est ergo sciendum quod Nabuchodonosor potentissimus rex assyriorum, cuius regni sedes fuit magna Ninive, in tantam superbiam inauditam elatus est, quod volens solus dici Deus in terris constituit Olofernem principem militiæ suæ, ut omnem terram suo subiugaret imperio, qui multas gentes et nationes vi et terrore subiecit sibi, vastans et spolians terras et provincias. Sed filii Israel territi exemplo aliorum muniverunt fortilicia sua et occupaverunt fauces ([3]) montium implorantes auxilium Domini cum magna humilitate. Olofernes hoc audito exarsit in iram et cum furore duxit exercitum contra Bethuliam civitatem in montibus sitam, et privavit eam omni aqua. Cum autem sitis extrema cogeret bethulianos ad deditionem, de ([4]) consilio Oziæ sacerdotis deliberaverunt expectare per quinque dies. Tunc Judith vidua mulier formosissima et ditissima, quæ erat honestæ vitæ et bonæ famæ, exornans se omni cultu, cuius decorem Deus ampliavit, quia non ex libidine, sed virtute compositio ista pendebat, exivit ad hostes cum una sola ancilla sua; et ducta ad Olofernem sagaciter finxit se recessisse in extrema necessitate, ut consuleret suæ saluti, et doceret modum ([5]) capiendæ civitatis; et admiscens falsa veris magnis adulationibus cepit Olofernem, sed multo fortius pulcritudine

---

([1]) 117 e E. alium actum et amarum.
([2]) 117, describitur.
([3]) 117, fontes montium.
([4]) S. ex consilio.
([5]) 117, modum capiendi civitatem.

sua. Stetit autem per quatuor dies ibi simulans se vacare orationibus secundum legem suam. Olofernes autem ardens eius amore, uno sero cum in convivio magno bibisset plusquam umquam, Judith invasit eum sepultum somno et vino, et caput illius abscissum portavit ad suos; quo de consilio eius posito in muro civitatis, bethuliani eruperunt, et exercitum faciliter debellarunt jam præ timore fugientem. Ozias autem misit literas per omnes civitates Israel et persecuti sunt eos per omnia itinera montium. Et Joachim summus pontifex in Jerusalem venit Bethuliam ad videndam Judith, quam exaltavit et benedixit super omnes mulieres. Ex his ergo patet quomodo intoleranda superbia confusa est per manum humillimæ mulieris. Ad literam ergo: dicit poeta: et illud pavimentum, *mostrava,* ibi figuratum, *come gli Assiri si fuggiro in rotta,* quia, ut dicetur (1) in litera, ita consternati sunt, ut nullus loqueretur cum proximo suo, *poi che fu morto Oloferne,* et sepultus in sanguine suo; et dicit: *et anco,* idest, etiam ostendebat, *le reliquie del martiro,* scilicet, occisiones militum suorum, et laceram fugam. Erant enim centum viginti millia peditum, et equitum (2) viginti duo millia; similiter et prædas magnas, nam omnes ditati sunt spoliis. Benedicta ergo Judith castitatis exemplum, quæ de invicto et insuperabili principe tam magnanimiter triumphavit. — *Vedeva.* Hic ultimo poeta ponit regem Priamum memorabile exemplum fortunæ, tam miserabile quam triste spectaculum omnium superborum. Ipse quidem antiquo sanguine Dardani generosus, uxore felix, prole inclytus; nam ex Hecuba decem novem filios utriusque sexus suscepit, ex concubinis triginta unum, regno opulentissimo clarus ut Hesione sororis dedecus aboleret (3), Helena rapta per Pa-

(1) E. dicitur. (2) E. equitum duodecim millia. (3) E. aboleretur.

ridem vidit superbam civitatem Ilion per decennium ab hostibus obsideri, Hectorem optimum virum troianorum ab Achille raptari, et Troilum alterum Hectorem eiusdem manu peremptum: et post Paridis et aliorum necem patriam captam vidit ardentem viris et mulieribus captivatis; et ipse tandem more victimæ mactatus ad aram senex infelix superbam animam manu Pyrrhi misere efflavit. Ad literam ergo, poeta tangit ruinam regni et regalis civitatis Priami, ut per hoc ostendat maiorem infelicitatem Priami, quia rex simul cum regno cecidit. Dicit ergo: *Vedeva Troia,* figuratam in illo pavimento, *in cenere e in caverne,* propter multas terras eversas. Et apostrophat ad civitatem sedem regni, dicens cum admiratione: *O Ilion,* altum et superbum, *come il segno che lì si discerne,* idest, figura quæ cernitur ibi in via, *mostrava te basso e vile!* Et hic nota, lector, quod Ilion fuit civitas Troiæ et non arx, sicut communis error est multorum, sicut potest probari testimonio illustrium historicorum. Sicut enim scribit Titus Livius: Lucius Scipio dictus Asiaticus, cum consul romanus cum Scipione Africano fratre suo gereret bellum contra Antiochum regem Asiæ pervenit cum exercitu ad Ilion, positis castris in campis subiectis civitati, ingressus urbem et arcem fecit sacrificium Minervæ, quæ potissime colebatur ibi, præferens in omnibus rebus et sermonibus ilionenses, asserens romanos ex illis originem habuisse. Hoc idem scribit Trogus Pompeius, hoc Augustinus, hoc Horosius, hoc Pomponius Mella. Dicit enim Livius quod Scipio antequam perveniret ad Ilion, primo venerat Dardanum civitatem, quæ, ut credo, hodie dicitur Dardanellum, quæ civitas venit sibi obviam cum lætitia. Præterea Achilles multas terras cepit intra Troiam et evertit, antequam perveniret ad Ilion, sicut Thebem, Lesbiam et alias, sicut scribit Homerus in Iliade. Præ-

terea quomodo Hercules cum una navi cepisset (¹) magnam Troiam; aut quomodo Priamus in tam brevi reædificasset Troiam. Troia ergo fuit provincia in Asia minore, parva, sed fertilis, amœna, plena gentibus, qualis paulo ante erat Romandiola in Italia cum erat in flore: sæpe tamen capitur ab autoribus, Ilion pro Troia et Troia pro Ilio; vel oportet te dicere quod Ilion et Troia fuerit una et eadem civitas. Ilion etiam evertit crudeliter Fimbria Marianus, quam antiquam Romæ parentem cæde et incendio funditus delevit, ut dicit Augustinus III de Civitate Dei. — *Qual.* Hic poeta, percursis breviter exemplis notabilibus quorumdam superborum, commendàt magisterium et artificium dictarum figurarum; unde petit cum admiratione: *Qual fu maestro di pennello o di stile,* quasi dicat: Quis fuit umquam tam excellens pictor vel designator? quasi dicat, nullus, *che ritraesse l' ombre,* idest, figuras, *e i tratti ch' ivi mirar farieno ogni 'ngegno sottile,* sicut Apellis, Zeusis, Phidiæ et similium pictorum, qui nescirent attingere excellentiam tantæ artis. Quod confirmat, dicens: *Li morti parean morti, e i vivi parean vivi;* ita erant proprii, sicut a simili dicit Plinius, quod equus vivus visa equa picta hinnitum dedit; et hoc dico notavi oculis; unde dicit: *chi vide il vero,* sicut Virgilius, *non vide mei,* idest melius, *di me,* quasi dicat, optime vidi veritatem, *quant' io calcai,* idest, toto spatio viæ, *finchè chinato givi;* idest, donec ivi cum visu ad terram respiciens illas figuras. Et ultimo poeta digne exclamat contra duritiem superborum, qui nolunt considerare ista exempla ad purgationem superbiæ, dicens: *O figliuoli d' Eva,* idest, o miseri homines de muliere nati, *or superbite,* loquitur ironice, quasi dicat superbire non debetis, *e via col viso*

(¹) E. cepit.

altiero, idest, cum capite elevato ad sydera, cum deberetis respicere terram, de qua estis, *e non chinate il volto,* ironice [1], quasi dicat: inclinare deberetis, sicut ego nunc feci, *sì che veggiate il vostro mal sentiero,* idest, viam ruinosam, quam nunc descripsit, continentem interitum superborum. Et hic nota, lector, quod Dantes dedit hic compendiosam doctrinam circa superbiam evitandam; sed si velis copiosam materiam, vide luculentissimum [2] speculum quo poteris clarius et plenius speculari, scilicet librum de Casibus virorum illustrium, quem eleganter edidit Boccaccius de Certaldo vir humillimus hominum.

Più era già. Ista est tertia et ultima pars generalis, in qua poeta noster describit unum angelum qui mundat ipsum ab isto primo vitio superbiæ, et dirigit eum ad secundum circulum, in quo punitur invidia. Et primo ostendit quomodo Virgilius invitaverit eum ad videndum angelum, quia jam multum temporis et loci transiverat in illa inspectione figurarum; unde dicit: *Più era già per noi del monte volto,* quia jam perveneramus ad finem primi circuli superborum, *e del camin del sole assai più speso,* quia jam transiverat sexta hora diei, ut statim dicetur de utroque, *che non stimava l' animo non sciolto,* idest, ligatus circa speculationem illarum figurarum, quia ita attente notaverat illas, quod non perpenderat de loco vel de tempore, *quando colui,* scilicet, Virgilius, *che sempre andava atteso,* idest, attentus, *innanzi, cominciò,* supple, dicere mihi: *drizza la testa,* quam tenuisti hucusque inclinatam ad terram, quia *non è tempo da gir più sì sospeso,* circa considerationem prædictorum; et ecce quare non: *vedi colà un angelo,* in alto, *che s' appresta per venir verso noi.* Et hic nota con-

---

(1) 117, ironice loquitur, quasi. (2) 117, lucentissimum.

venientem fictionem: sicut enim in inferno ponit angelos mâlos ministros pœnarum volentes sibi impedire introitum circulorum; ita nunc e contra ponit angelos bonos ministros gratiarum invitantes ipsos ad purgationem vitiorum. Et tangit tempus dicens: *vedi che l' ancilla sesta,* idest, hora quæ servit diei, *torna dal servizio del dì;* quia functa est officio suo, quasi dicat: hora sexta secundæ diei transacta (1) et septima incipit. — *Di.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius præceperit (2) ut ipse præparet se ad digne recipiendum tam nobilem hospitem; unde dicit: et ille Virgilius dixit: *Di riverenzia il viso e gli atti adorna,* idest, speculationem intellectualem et actionem realem, ut reverenter admittas gratiam venientem; et reddit causam: *sì che diletti lui inviarci in suso,* scilicet ad secundum circulum superiorem isto. Et ut reddat ipsum promptiorem admonet ipsum circa brevitatem temporis utilius dispensandi, dicens: *pensa che questo dì mai non raggiorna,* idest retrocedit, cuius jam medietas transivit: erat enim tunc æquinoctium. Et subdit quomodo statim percepit eius persuasionem, dicens: *io era ben del suo ammonir uso,* scilicet, *pur di non perder tempo,* quia frequentissime Virgilius hoc facere solebat, sicut pulcre ostensum est sæpe in inferno et purgatorio; ideo non oportet amplius replicare. Unde dicit: *sì che 'n quella materia,* brevitatis temporis, quando dixit: *pensa, non poteami parlar chiuso,* quia ita bene placebat mihi sicut sibi, non perdere tempus. Satis ergo dictum erat de infelici fine aliorum superborum, ideo tempus erat mundandi propriam superbiam, et ecce modum. — *A noi.* Hic poeta describit angelum venientem ad purgationem eius quantum ad habitum, et quantum ad actum, dicens: *A noi venia la*

(1) S. e E. est transacta.

(2) S. præcepit.

creatura bella, scilicet angelus qui plus habet de similitudine pulcerrimi Creatoris cæteris creaturis. Et tangit illius puritatem, dicens: *bianco vestita,* ut jam dixit II capitulo huius libri; et tangit luciditatem, dicens: *e nella faccia tale,* idest, tam splendidus, *qual matutina stella par tremolando,* scilicet, Venus, quæ est lucidissima aliarum stellarum, quando præcedit solem de mane in oriente, et vocatur Lucifer, sicut dictum est primo capitulo Purgatorii. Et nota quod primum angelum quem vidit assimilavit Marti in splendore flammanti; istum vero assimilat Veneri, quæ est clarior et pulcrior Marte, et videtur maior Marte; ideo quia videbat illum a longe assimilavit Marti; istum vero videbat de prope, ideo eum assimilavit Veneri; fecerat etiam visum acutiorem, quia jam multa viderat de regno isto, et purgaverat primum vitium pessimum. Et ostendit quid fecerit angelus erga se, dicens: *le braccia aperse,* sicut recte facit Dominus gratulabundus quando recipit servum redeuntem ad gratiam post recessum et fallum suum; ideo dicit: *et indi aperse l' ale, e disse: venite,* audacter, *qui son presso i gradi,* scilicet, secundæ scalæ, quæ ducit ad secundum circulum; et dicit, quod melius est, *et agevolemente omai si sale,* idest, faciliter (1) ascenditur amodo ad cæteros circulos, quia eritis leves exonerati gravissimo pondere superbiæ. Superbia enim aufert Deum, invidia proximum, ira seipsum. Et (2) exclamat poeta dolenter ex hoc: *molto radi,* idest, valde pauci, *vegnon a questo annunzio,* quia paucissimi habilitant se et disponunt ad recipiendam gratiam per purgationem, quæ semper apertis ulnis est parata ad recipiendum hominem; ideo dicit: *o gente umana per volar su nata,* idest, ad hunc finem ut per virtutes facias tibi aditum ad cœlum, ubi fruaris per-

(1) E. facilius ascenditur admodum ad cæteros.
(2) E. exclamabatque poeta.

fecta beatitudine, sicut jam pulcre autor dixit supra capitulo X circa finem, ubi dixit: *Nati a formar l' angelica farfalla, — perchè a poco vento,* superbæ gloriæ et vanæ prosperitatis, *così cadi?* ab altitudine tua. Et ponit effectum huius benignæ invitationis, dicens: *Menocci,* ille angelus volans ante nos, *ove la roccia,* idest, ripa, *era tagliata,* in modum scalarum; *quivi mi batteo l' ali per la fronte,* et abrasit * primum P a facie mea; idest purgavit * [1] primum peccatum; quo facto, *poi mi promise sicura l' andata;* quia dixit: ite secure, et intrate secundum circulum invidiæ, quæ est alia filia superbiæ, quia impossibile est quin superbus invideat. — *Come.* Nunc poeta describit ipsum ascensum ad secundum circulum per unam comparationem domesticam patriæ suæ. Ad cuius intelligentiam debes primo scire, quod in civitate Florentiæ ultra Arnum extra mœnia eundo versus Aretium est una ecclesia Sancti Miniati in monte satis pulcra et devota. Modo in ascensu istius ecclesiæ, quia via erat alta et repens nimis, facti sunt olim quidam gradus lapidei in modum scalarum, quasi a radice montis usque ad introitum ipsius ecclesiæ, ut sic habilius et facilius possent ascendere viri et mulieres euntes ad ecclesiam pro indulgentia. Ad propositum ergo dicit poeta, quod iste ascensus ad secundum circulum purgatorii erat similis isti. Nunc ordina literam, et construe sic: *La ripa che cade dall' altro g.rone,* scilicet a secundo, *ben ratta in se così s' allenta,* idest, efficitur planior et facilior, *quivi,* idest, in isto ascensu; et dicit: *ma quinci e quindi,* a dextra et sinistra, *l' alta,* vel *l' altra petra rade;* vult dicere quod utraque sponda montis a latere scalæ non est adibilis vel scansibilis: redi nunc supra: *come l' ardita foga del montar,* idest, ardui ascen-

---

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri testi.

sus, *si ruppe,* idest, planata fuit, *per le scalee,* idest, gradus scalarum, *che si fero ad etade,* scilicet meliori quam nunc sit, quia florentini erant tunc legaliores; unde dicit: *ch' era sicuro il quaterno e la doga;* quaternus quidem erat securus, quia nondum mercatores cœperant lacerare cartam de quaterno rationum, et cancellare postam, sicut sæpe fit hodie, vel de registro communis fuit laceratum folium tempore autoris. Et dicit: *la doga,* quia de stario Florentiæ fuit extracta una doga, ut habebis clare Paradisi capitulo XVI. Et hoc dico: *a man destra per salir al monte,* extra terram, *dove siede,* idest, in quo monte situata est, *la chiesa,* scilicet, Sancti Miniati, supereminens Florentiæ. Et hic est sciendum quod Miniatus dicitur fuisse filius regis Armeniæ, qui veniens Romam gratia devotionis reduxit se ad istum locum, ubi tunc erat sylva solitaria, quem Decius imperator fecit decollari; deinde facta est ibi ecclesia parvula a christianis, et post tempus fuit facta maior et pulcrior a (1) florentinis, qui visitabant illam ex devotione. Ideo dicit: *che soggioga,* idest, quæ ecclesia habet sub se in planitie, *la ben guidata,* scilicet Florentiam: et loquitur ironice, quasi dicat: male rectam et peius ductam; *sopra Rubaconte;* pons (2) est supra Arnum per quem itur ad dictam ecclesiam, qui sic denominatus fuit ab uno potestate Florentiæ, qui vocatus est Rubaconte, et fuit nobilis miles de Mediolano, de illis de Mandello, cuius tempore factus fuit hic pons MCC. Et nota quantum dicta comparatio proprie faciat ad præsens propositum: sicut enim exeuntes de Florentia, terra superborum, ascensuri montem pro indulgentia peccatorum inveniunt ascensum mitigatum per gradus lapideos; ita recte nunc Virgilius et Dantes florentinus, exeuntes

(1) E. a dominis florentinis. (2) E. qui est pons supra.

de circulo superborum ascensuri alium circulum altiorem pro purgatione, invenerunt ascensum factum in modum scalarum. — *Noi.* Hic poeta describit lætitiam quam fecerunt animæ primi circuli de purgatione superbiæ facta in eo ab angelo, quia cœperunt omnes dulcissime cantare. Unde dicit: *e voci,* illorum superborum, *cantaron sì,* idest, tam dulciter, *che nol diria sermone,* idest, non posset explicari sermone viventis; et dixerunt cantando: *Beati pauperes spiritu* (1), *quoniam ipsorum est regnum cœlorum; beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sic ergo vides quomodo hæc verba conveniunt istis qui hic purgantur a vitio superbiæ, et (2) dico cantaverunt, *noi volgendo ivi le nostre persone,* idest, dum diverteremus ad ascensum secundi circuli; et commendat istum cantum per differentiam ad planctum infernalem, dicens: *Ahi!* quasi dicat, dolenter refero, *quanto quelle voci,* scilicet, existentium in purgatorio, *son diverse dall' infernali!* et ecce quomodo differunt, *chè quivi,* scilicet, in purgatorio, *s' entra per canti,* sicut jam patuit supra in introitu primo, quia cantatum fuit: *Te Deum laudamus;* et hic nunc et alibi sæpe, ut patebit in processu; *e laggiù,* scilicet in infernum, intratur, *per lamenti feroci,* sicut patuit quod in primo introitu inferni animæ blasphemabant Deum, naturam et fortunam suam; et Charon clamavit quærelanter contra poetam vivum, et Cerberus

---

(1) E. e 117, *spiritu.* Hæc verba leguntur Matthæi quinto capitulo, ubi dixit Dominus noster Jesus Christus: *Beati pauperes.*

(2) E. e 117, et hoc dico.

ferociter latravit, sic Pluto, sic cæteri custodes inferni, ut de Barbariccia nihil dicam, qui tam bestialiter pulsabat tubetam. Et hic nota quod hoc totum est verum moraliter, quia qui intrat pœnitentiam voluntarie, intrat cum gaudio mentis ex devotione, purgata conscientia; qui vero intrat pœnam, quæ ut plurimum necessario sequitur ad culpam, intrat cum planctu vel querela, quia gulosus sub pluvia, idest multiplici passione, dolet et clamat; luxuriosus cum venit ad ruinam venti; ita prodigus et avarus qui tam acerbe contendunt inter se; ita qui bulliunt in sanguine et qui aduruntur a flammis, et ita de cæteris. — *Già*. Hic poeta describit effectum ventilationis factæ ab angelo, quia statim factus est levis; ideo petit a Virgilio causam suæ alleviationis; et ille assignat veram causam, unde dicit: *Già montavam,* scilicet, ad secundum circulum, *su per li scaglion santi,* idest, per gradus secundæ scalæ, quæ ducit ad pœnitentiam alterius vitii, et sic reddit purgatum sanctum, *ed esser mi parea troppo più lieve,* et sic erat in rei veritate, quia deposuerat grave saxum superbiæ, *che non mi parea davanti per lo piano,* idest, paulo ante per planitiem insulæ antequam perveniret ad montem. Et dicit: *ond' io;* supple, petivi: *maestro,* idest, o Virgili; *di', qual cosa greve s' è levata da me, che quasi nulla fatica si riceve per me andando?* intelligas respective. Et ponit responsionem Virgilii qui assignat causam et pollicetur meliorem spem; unde dicit: *rispose: quando i P, che son rimasi ancor nel volto tuo,* idest, cum sex peccata mortalia insignita in fronte tua, *presso che stinti,* idest, quasi mortua, jam mortificata radice superbiæ, de qua alimentum trahebant, *saranno del tutto rasi,* idest, abolita, *come l' un,* scilicet, P, idest, peccatum superbiæ est omnino abrasum ab ala angeli, *fien li tuoi piè,* idest, affectiones, *sì vinti dal buon voler,* quasi

dicat: ita convalescet virtus[1], *che non pur non sentiranno fatica,* sicut modo, *ma fia diletto lor,* idest, sed potius e contra erit delectabile ipsis pedibus, *esser su pinti,* idest, impelli a bona voluntate. — *Allor.* Hic poeta ostendit qualiter certioraverit se per tactum de eo de quo non poterat per visum: quia enim non poterat cum oculis videre sibi frontem, ideo cum manu tentavit scire hoc. Dicit ergo: *Allor fec' io,* a simili, *come color che vanno con cosa in capo non da lor saputa,* quia ab alio apposita, *se non che i cenni altrui suspicar fanno,* quia videt alios per nutus et signa dicere rem inter se; *perchè la mano ad accertar s' aiuta,* quia extenditur ad caput, *e cerca e trova,* rem dubitatam, *e quello officio adempie che non si può fornir per la veduta.* Et hic nota quod aliqua obiecta sunt propria quorumdam sensuum, sicut visus judicat de colore, gustus de sapore, olfatus de odore. Aliqua vero sunt quæ discernuntur per plures sensus, sicut numerus, figura, quantitas; unde homo potest cum digitis cognoscere decem solidos, quos habet in manu etiam si non videat; et ita fuit in proposito. Unde dicit: *e con le dita della destra scempie trovai pur sei le lettere,* scilicet P, *che incise quel dalle chiavi,* scilicet angelus portarius qui tenet claves purgatorii, *a me sopra le tempie,* cum suo ense lucentissimo. Et concludit materiam et claudit capitulum, dicens: *a che guardando il mio duca sorrise,* gratulando quia placuit sibi factum.

---

(1) E. e 117, virtus tua, *che.*

CANTUS DECIMUS TERTIUS, *in quo tractat de spiritibus invidiosorum sutis filo ferreo, et sicut locutus est Dantes cum aliquo eorum olim Sapia de Senis, quæ multa in simul receptaverunt de isto vitio, et sicut ipsa rogavit Dantem precaturum pro ipsa.*

Noi eravamo al sommo della scala. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster docuit refrænare superbiam multifariam, et finivit tractatum superbiæ, nunc consequenter agit et tractat de invidia quæ purgatur in secundo circulo. Et totum præsens capitulum dividitur in tres partes generales. In prima quarum poeta describit subtiliter (1) viam istius secundi circuli, et docet præcavere invidiam per exempla dilectionis et caritatis contrariantia illi. In secunda describit pœnam et purgationem invidorum in generali, ibi: *Ma ficca.* In tertia et ultima describit unum spiritum modernum in speciali, cuius mens in vita crepabat invidia, ibi: *A me pareva.* Ad primum veniens dico, quod poeta describit locum cum circumstantiis suis, sed primo præmittit continuationem more suo; quia enim in fine capituli præcedentis descripserat ascensum ad secundum circulum, ideo nunc continuative ostendit, quod jam pervenerant ad finem illius ascensus; dicit ergo: *Noi eravamo al sommo della scala,* scilicet, secundæ præscriptæ, *dove si rilega,* idest, recingitur, et religatur, *lo monte,* scilicet, purgatorii, *che dismala,* idest purgat a malo, idest, peccato, *altrui;* sicut enim morbus corporis generatur ex corruptione humorum, ita morbus animi ex corruptione vitiorum; et dicit: *salendo,* quia gradatim ascendendo

(1) E. subtiliter materiam, seu viam.

purgantur in isto monte singula peccata. Et continuo describit istam secundam viam tangens convenientiam et differentiam, quam habet cum prima, dicens: *ivi,* in illo secundo circulo, *una cornice,* via exterior, *così lega,* idest, ligat et circumdat, *il poggio,* idest, montem, *d' intorno come la primaia,* ubi sunt superbi; et dicit: *se non che l' arco suo,* idest, salvo quod gyrus eius, *più tosto piega,* quia videtur quod mons sit ibi arctior, et tamen videtur quod sit semper amplior, ut jam alibi dictum est; et vult dicere, quod circulus iste est brevior, licet mons sit latior, imo citius fit planior, quia non erat arduus a principio, sicut primus, et sic erat facilior. — *Ombra.* Hic poeta describit ipsam viam a circumstantiis suis, ostendens eius diversitatem a præcedente; unde dicit: *ombra non gli è,* idest, anima, quæ ibi puniatur in via, sicut in prima via sunt superbi, *nè segno che si paia;* non figura vel imago apparens ibi sculpta, sicut apparebat in prima via, quæ erat ita mirabiliter laborata, sed solum, *par sì la ripa,* et tangit qualis est via, cum addit, *par sì la via schietta,* idest sola, sine aliquo speciali signo, solummodo cum suo naturali colore; unde dicit: *col livido color della petraia,* quia illa strata erat facta ex lapide livido. Et hic nota quod sub ista artificiosa fictione autor dat subtiliter intelligi, quod vitium superbiæ est manifestissimum, et reddit se notissimum per multa signa; vitium vero invidiæ est occultissimum, sed manifestatur aliquando in colore livido: sicut apparet de facto quod unus videns vel audiens felicitatem, gloriam, vel honorem alterius variat colorem, et respargitur livore, sicut dicit de se unus spiritus in capitulo sequenti. Et subdit, quod ex hoc Virgilius non poterat [1] sperare de dirigente eos in viam rectam;

---

[1] S. non poterat dirigere eos in viam rectam.

unde dicit: *il poeta,* scilicet, magnus, *ragionava,* mecum vel secum; *io temo che nostra eletta,* idest, electio viæ, *avrà forse troppo d' indugio,* et sic timebat perdere tempus inutiliter, quo nihil erat molestius sibi, *se qui s' aspetta,* scilicet a nobis, *gente per dimandar,* de itinere. Et hic nota quod poeta pro tanto hoc dicit, quia invidi qui puniuntur in isto circulo erant multum intra viam longe ab isto initio et introitu per milliare, nec ibant velociter vel lente, sicut superbi qui docuerant eos primam viam, et habebant oculos clausos. — *Poi.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius non valens ibi reperire consilium humanum recurrit ad auxilium divinum, quo dirigeretur in viam rectam ad investigandam occultam materiam invidorum; unde dicit: et ille Virgilius *poi porse gli occhi,* scilicet, intellectuales, *fissamente al sole,* ut oraret: et intellige ad solem justitiæ qui est Deus; et ecce quomodo volvit se: *fece centro del destro lato al mover;* vult dicere, quod ubi primo ibat ad dexteram montis revolvit se circulariter super pede dextro ad sinistram versus orientem; unde dicit: *e la sinistra parte di sè torse,* circa illud centrum dexteræ, quia scilicet, cum sinistro pede, volvendo se, fecit circumferentiam dicto centro. Et vult dicere subtiliter quod direxit cor suum, quod stat in sinistra, versus solem, idest, Deum, ad implorandam gratiam. Et hic nota, quod poeta noster non poterat intrare istam viam cum auxilio Virgilii, idest rationis, sed auxilio gratiæ cooperantis, sine qua non potuisset tractare de isto vitio magis quam in inferno, ubi nihil dixerat de eo, quia ille non est locus gratiæ, ubi possit haberi plena cognitio et distinctio peccatorum, quæ habetur in purgatorio. — *O.* Hic poeta ponit devotam orationem Virgilii ad solem, dicens: et ille Virgilius *dicea: o dolce lume,* lumen solis est ipsa gratia Dei quæ illuminat omnem hominem venientem

in hunc mundum, *a cui fidanza i' entro,* quia scilicet fidenter sperat in gratia Dei, qui habilitat se ad illam recipiendam per pœnitentiam, *per lo nuovo cammin,* idest viam [1] invidiæ, cuius materiam dispono noviter describere, *tu ne conduci,* ex quo non habemus hic aliquem ducem, *come condur si vuol quincentro,* scilicet, intra istum secundum circulum. Et ne sua petitio videatur vana ostendit, quod merito debeat sperare conductum, dicens, *tu scaldi il mondo,* tamquam lampas indeficiens, *tu sovr' esso luci,* omnia illuminans, et ideo: *li toi raggi den sempre esser duci,* omnium itinerantium per omnem callem, *salvo s' altra ragion in contrario non pronta;* et est pulcerrima metaphora. Sicut enim sol sensibilis semper illuminat mundum, et tamen interdum nubes vel nebula eripit nobis conspectum eius; ita lux divinæ gratiæ semper illuminat nos, nisi tenebra peccati privet nos illa. Sed antequam ulterius procedam, lector, nolo prætermittere quæstionem difficillimam quæ oritur hic; quare scilicet poeta noster tam curiose et seriose hic pertractat de invidia, de cuius pœna nullam mentionem fecit in inferno; nec minus videtur dubitandum de vana gloria, de qua tam egregie jam tractavit hic, et in inferno videtur omnino præteriisse. Ad cuius fortis nodi dissolutionem est dicendum, quod poeta potest dici punisse invidiam et inanem gloriam in inferno, sed implicite et occulte. Consideravit enim, quod ista duo vitia, licet videantur diversa et habere diversos effectus a superbia, tamen ambo sunt ab uno stipite et magis adhærentia matri quam cætera; nec [2] tam superba et diligens mater potest ex aliqua parte se convertere quin has duas filias semper secum [3] trahat. In purgatorio vero de his tractat explicite et aperte, quia duplicem habuit

(1) E. idest in viam invidiæ.

(2) E. nec tamen.

(3) E. secum habeat, et trahat.

respectum secundum duo diversa loca. Homo enim positus in inferno, idest in statu vitiorum, non cognoscit nec discernit peccata, nisi in communi et in confuso, sicut in materia præsenti, dicit aliquando superbus: bene cognosco vitium meum, bene scio quod sum superbus; sed non dicit: sum invidus, sum gloriosus, sum temerarius, et ita de aliis filiabus superbiæ. Sed positus in purgatorio, idest in statu pœnitentiæ, discernit et ruminat omnia tam principalia quam accessoria, et de singulis dolet, et pœnitentiam agit; sicut etiam potes videre, quod in inferno sub involucro tractavit in uno capitulo de avaritia, prodigalitate, iracundia et accidia in generali et compendiose, non nominando in speciali aliquem avarum, prodigum, irosum et accidiosum. In purgatorio vero tractat de singulis distincte, diffuse; de singulis faciens non unum capitulum sed plura, et in singulis nominatim, notans aliquos tali vitio. Sed hic statim suboritur alia dubitatio, quæ non videtur habere minus difficultatis. Hic enim obiiciet aliquis et merito: si poeta in purgatorio magis minute exquirit et discutit peccata, quare ergo in purgatorio non [1] punit et purgat tot species violentiarum et fraudium, quas tanta arte et studio describit et distinguit in inferno? nam in toto purgatorio nihil dicit de blasphemis, desperantibus, fœnerantibus, et contra naturam agentibus; similiter nec de adulatoribus, furibus, divinatoribus, scismaticis, falsariis, proditoribus, de quibus singulatim tractat in inferno? Dicendum breviter, ut mihi videtur, quod hic diligens trutinator in purgatorio tractat diligenter de septem peccatis principalibus eorum maxime qui peccaverunt per incontinentiam, quia de talibus inveniuntur multi qui veniunt ad purgatorium et [2] pœnitentiam in vita, vel

---

(1) 117, non ponit, et purgat.

(2) S. per pœnitentiam.

in morte. Sed illi qui peccant per malitiam raro veniunt ad purgatorium in vita vel (1) morte; ideo de talibus noluit facere tractatum per se sicut fecerat in inferno. — *Quanto.* Nunc poeta ostendit, quomodo precatio Virgilii justa statim fuerit exaudita, quia intraverunt iter, et quædam voces volantes per aerem in occursum eorum monebant, ut præcaverent invidiam per exempla dilectionis et caritatis contrariæ invidiæ. Unde continuans dicta dicendis dicit: *Noi eravam già iti tanto di là,* intra illum circulum secundum purgatorii, *quanto si conta per un migliaio,* idest, per mille passus, *di qua,* in isto mundo, *in poco tempo, per la voglia pronta,* quia erant avidi inveniendi cito animas, quia videbantur ire quodammodo frustra per illam viam solitariam et nudam tam umbris quam figuris; sed tu dices: quare habuerunt tantum ire antequam invenirent aliquos spiritus? ad denotandum quod isti invidi erant longe a cognitione eorum sepositi in occulto, ita quod oportuit quod multum quærerent antequam invenirent, cum tamen invenerint (2) superbos statim in introitu (3) viæ. Et ecce invenerunt primo spiritus volantes per aerem; unde dicit: *e spiriti, non però visti,* idest, non tamen visi a nobis, sicut alii solebant videri, *furon sentiti,* scilicet ad voces, quasi dicat, auditi, licet non visi, *volar verso noi,* ad doctrinam nostram. Unde dicit: *ma parlando,* fuerunt sentiti, *cortesi inviti,* idest, liberales invitationes, *alla mensa d' amor,* idest, ad amorem (4) caritatis. Et sic nota quod sicut supra poeta finxit quod admonitio humilitatis facta fuit eis patenter et manifeste contra superbiam; ita nunc fingit, quod admonitio caritatis fiat eis occulte et invisibiliter ad evitandam invidiam, quæ est occulta, ubi superbia est manifesta. — *La prima.* Hic poeta describit primam vocem, quam audi-

(1) E. vel in morte.
(2) E. invenerunt.
(3) 117, in circuitu viæ.
(4) 117, conventum caritatis.

verunt ibi, et fuit illud verbum quod dixit beata virgo in nuptiis Galilææ cum deficeret vinum convivantibus; dicit ergo: *La prima voce che passò volando,* non intelligas quod hic esset spiritus realis qui loqueretur, sed spiritus vocalis insonuit auribus mentis suæ, *disse altamente,* ut bene perveniret ad auditum autoris: *Vinum non habent;* et ut bene imprimeretur menti eius ista optima vox, dicit: *e l' andò reiterando,* idest, repetendo, *dietro a noi;* quia enim vox veniebat versus poetam volando velocissime, et ipse ibat promptissime; ideo cito transiverat eum et audiebatur post tergum eius. Et ut videas quantum ista vox faciat ad propositum hic, nota quod ([1]) Maria non fecit, sicut communiter faciunt mulieres in nuptiis et conviviis; quæ quia nimis amant honorem propriæ excellentiæ liventibus oculis respiciunt ([2]) pulcritudinem et ornatum aliarum; et ex invidia detrahunt excellentiæ aliarum, quia vulpes amat fraudes, lupus agnum, fœmina laudes; sed hæc sola perfectissima mulier quæ redemit dedecus fœminarum non notavit cultus quibus invideret, sed incommodum convivarum cui compassa est, et continuo succurrit caritative per contrarium invidiæ. Non ergo tristatum est cor eius super festivitate nuptiali, sed potius lætificavit cor omnium vino optimo omnium vinorum. — *E prima.* Hic poeta describit secundam vocem quam dicit fuisse Orestis. Et ad intelligentiam istius literæ, quæ videtur valde dubia, est sciendum quod aliqui dicunt hic quod Orestes fuit invidus, sed nescio videre eius invidiam; et posito quod fuisset invidus, non ponitur hic vox eius tamquam spiritus invidi, tum quia, ut jam dictum est, istæ voces invitabant ad amorem caritatis, tum quia, ut dicetur paulo post, de fræno invidiæ tractatur in sequenti ca-

([1]) E. quod Virgo Maria pretiosissima non fecit, sicut faciunt mulieres.
([2]) E. prospiciunt.

pitulo: hic vero tractatur de modo vitandi et fugiendi ipsam; ideo videtur potius dicendum quod Orestes fuit pius et caritativus, et usus est pietate erga patrem, et amore erga uxorem, et benevolentia mutua erga amicum. Primo [1] ergo fuit pius erga patrem, quia mactavit impiam matrem justius quam Alcmeon. Nam Clytemnestra, serpens venenosior et adultera turpior quam Helena soror, tempore obsidionis troianæ, adulterata est nefarie cum Ægistho sacerdote consanguineo viri sui: et demum in fine belli illum Agamemnonem gloriosissimum imperatorem tot regum, ducum et principum, victorem Troiæ, de Priamo triumphantem, illa conscia sibi crudelissime mactavit, adiuvante Ægistho; ideo justissime Orestes mactavit ipsam matrem cum Ægistho. Orestes etiam habuit amorem ad uxorem suam Hermionem, quam recuperavit juste de manibus Pyrrhi, illo mactato. Gessit et [2] benevolentiam mutuam erga Pyladem, a quo numquam fuit derelictus; et demum hanc vicem caritatis et pietatis recepit a sorore sua Iphigenia, quæ de Scythia venit secum in Italiam, cum illum immolare deberet. Ad literam ergo, dicit poeta: *E prima che del tutto non s' udisse,* quasi dicat: antequam totaliter evanesceret illa vox prima iterata, *per allungarsi,* idest, propter distantiam spiritu transeunte, *un' altra,* scilicet, vox secunda, *passò gridando: io sono Oreste,* exemplum caritatis, quia fecit vindictam patris. Unde Homerus XI Odysseæ introducit animam Agamemnonis contristatam apparentem Ulyxi in inferno, qui conqueritur quod fuit mactatus ad mensam, sicut bos mactatur ad præsepe, innocens, post omnes labores et fructos tantos. Et persuadet Ulyxi, quod nunquam sit humilis fœminæ, nec aperiat sibi omne secretum, quia nihil est

---

[1] E. Primo namque fuit.

[2] E. Gessit etiam.

mortalius homini muliere: in fine commendans Penelopem uxorem Ulyxis, quod esset mulier prudens et pudica; et dicit: *et anco non s' affisse,* quia transvolavit sicut prima. — *O.* Hic poeta describit tertiam vocem specialem ad idem, quæ sonuit ipso petente de vocibus illis. Unde dicit: *diss' io,* illi Virgilio: *O padre, che voci son queste?* et quid sibi volunt? *e com' io dimandai,* antequam Virgilius responderet, *ecco la terza,* scilicet vox, quæ fuit: *amate da cui male aveste.* Hoc præceptum Domini in Evangelio invitat nos ad verum amorem, qui est diligere etiam inimicum; quod est contrarium invidiæ, quæ odit etiam amicum. Et hic nota quod ista vox tertia necessario sequitur ad secundam, quia illam supplet et perficit. Videtur enim dicere tacite: non solum debetis amare benefactorem, cui debetis amorem de jure, sicut Orestes, qui amavit patrem, uxorem, amicum, sororem; sed etiam inimicum malefacientem vobis, quia hæc est perfecta caritas. Amare enim amantem et benefacientem faciunt etiam bruta. — *E 'l buon.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad suam petitionem, qui declarat quare istæ voces ita resonent super istos invidos ad admonitionem eorum. Unde dicit: *E 'l buon maestro a me,* supple, respondit: *la colpa della invidia così li sferza,* idest, ita verberat et corrigit ipsos invidos hic; ideo dicit: *e però le corde della ferza,* idest, corrigiæ, scuticæ, scilicet, verba vocis et correctionis percutientia eos, *sono tratte d' amor,* scilicet, caritatis. Vult ergo dicere, quod ista verba sunt dissuadentia invidiam; et subdit: *lo fren vuol esser del contrario suono.* Vult (1) dicere quod verba refrænantia invidiam debent esse verba continentia pravos effectus invidiæ, ita quod sunt contraria istis, quæ continent effectus amoris; et (2) tamen

(1) 117, Vult ergo dicere.

(2) E. ita tamen quod hæc et illa.

hæc et illa faciunt contra invidiam. Dicit ergo de isto fræno, *credo che l' udirai,* scilicet, in fine sequentis capituli, *per mio avviso,* idest, ni fallor, *prima che giunghi al passo del perdono,* scilicet, circa finem secundi circuli ante remissionem invidiæ, et remotionem fiendam ab angelo. Et non vult aliud dicere nisi, antequam exeas istum circulum audies voces alias resonantes contrarium in aere (1).

Ma ficca. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta describit pœnam et purgationem invidorum in generali; sed antequam procedam ulterius ad intelligentiam istius (2) pœnæ, quam poeta dat generi invidorum, est bene notandum quantum sit convenientissima. Fingit enim, quod stant sedentes adhærentes monti, sublevantes unus alterum cum humero, orantes devotissime, cooperti mantellis lividi coloris, habentes oculos clausos cum filo ferreo. Modo ad propositum: quia invidia (3) est dolor alienæ felicitatis, homo volens purgare in se istud vitium, debet sponte assumere in se medicinam, quæ tollat hunc dolorem: ubi enim solebat primo discurrere notando felicitates alienas, nunc sedet inhærens monti, idest, innitens virtuti; et ubi solebat optare damnum alterius, nunc orat pro salute alterius; et ubi solebat lætari ruina alterius, nunc porrigit manum adiutricem illi ruenti, et relevat ipsum; et ubi solebat cum dolore videre alienas felicitates, nunc suit sibi oculos, ne respiciant invide aliena bona, et cooperit se vili cilicio, humilians se Deo, quia omnis invidus est superbus; unde bonum erat quod etiam dedisset eis cinerem in capite, vel ubi solebant portare vestes invidiosas, nunc portant miserabiles, et isto modo optime purgatur iste morbus occultus interior, et erumpit ne apostometur interius.

(1) E. aere; et sic finit prima pars generalis. (2) E. huius pœnæ.
(3) E. iracundia est.

Nunc ad literam poeta præmittit, quod Virgilius fecerit eum attentum ad hanc pulcram materiam sequentem, dicens: *Ma ficca gli occhi,* idest, speculationem intellectualem, *ben fiso,* idest, attente, *per l' aria,* quia nihil videri potest nisi per medium aeris, *e vedrai gente,* idest, genus invidorum, *sedersi innanzi a noi,* ubi [1] solebat ire et inquirere semper nova de fortunis hominum, nunc cessant a tali inquisitione; *e ciascun è assiso,* idest, appodiatus, *lungo la grotta,* idest, versus vel prope ripam montis. Et ostendit quomodo paruerit præcepto Virgilii, dicens: *allora più che prima gli occhi apersi,* idest, speculationem mentalem melius disposui ad cognoscendum istos, *guarda'mi inanzi,* ut dixerat Virgilius, *e vidi ombre con manti,* idest, animas cum mantellis, *non diversi,* imo conformia, *al color della pietra,* * quia erant coloris lividi sicut petra. Alia litera habet: *con manti al collo dalla petra non diversi* * [2]; sed prior litera videtur verior, licet non diversa in sententia. — *E poi.* Hic poeta describit orationem invidorum, dicens: *E poi che fummo un poco più avanti,* magis propinqui illis, *udi' gridar: Maria,* advocata peccatorum, *òra per noi;* et ita audiebam, *gridar Michele,* idest, o angele Michael, trutinator animarum, *e Pier,* idest, o sancte Petre, claviger regni cœlorum, *con tutti i santi;* supple, orate pro nobis. Et hic nota, quod isti invidi nunc faciunt orationem contrariam illi, quam solebant facere ante pœnitentiam; sicut fingitur fabulariter quod dum quidam invidus et alius avarus orarent in templo Jovis, Mercurius missus fuit ad eos qui diceret, quod id quod unus peteret, alter reciperet duplicatum; tunc invidus perveniens [3] petivit ut sibi erueretur unus oculus, ut avaro eruerentur duo.

---

(1) E. e 117, ubi solebant.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri due Codici.
(3) E. præveniens.

— *Non.* Hic poeta descripturus duriorem pœnam invidorum præmittit compassionem pœnæ, dicens: *non credo che per terra vada ancoi,* in mundo nostro, *uomo sì duro,* habens cor saxeum ita induratum, *che non fosse punto per compassion di quel ch' io vidi poi,* scilicet novæ pœnæ: humanum enim est compati passionibus hominum, unde humanitas vincit ([1]) etiam corda efferata barbarorum; ita quod sæpe compatiuntur miseriis inimicorum, et deplorant mortes eorum, et honorant funera, sicut sæpe fecit Hannibal crudelissimus erga multos duces romanos, honorans virtutem eorum, quam prius infestissime oderat, sicut patet apud Livium. Quanto fortius ergo romani naturaliter clementes usi sunt humaniter clementia? et tangit quid viderit, dicens: *chè quando fui sì presso di lor giunto, che gli atti lor,* miserabiles illorum invidorum, *a me venieno certi,* idest, quod non dubitabam, sicut quando eram a longe, *per gli occhi,* quia videbam oculanter ([2]) de prope, *fui munto,* idest, punctus, *di grave dolor,* ex compassione gravis pœnæ. — *Di vil.* Hic poeta describit ipsam pœnam, dicens: *Di vil cilicio mi parean coperti,* sicut olim sancti Patres faciebant humiliantes se in conspectu Domini, implorantes misericordiam et veniam, quando peccaverant, sicut nunc isti invidi; *e l'un sofferia l'altro con la spalla,* ex caritate, *e tutti della ripa,* scilicet, prope montem, *eran sofferti,* quia sustentabantur a virtute. Et specificat miserabilem actum invidorum per comparationem claram cæcorum, dicens: *così li ciechi, a cui la roba falla,* idest deficit, quia sunt pauperes, nec possunt aliter lucrari, *stanno ai perdoni,* apud ecclesias, *a chieder lor bisogna,* scilicet, eleemosinam, *e l'uno il capo sopra l'altro avvalla,* idest inclinat, vel ([3]) de industria sic faciunt, *per-*

([1]) E. vicit. ([2]) E. oculariter. ([3]) E. et de industria.

chè in altrui, scilicet, in euntibus ad indulgentiam, *pietà tosto si pogna,* idest, compassio cito generetur, *non pur per lo sonar delle parole,* quibus multum provocant audientes pios ad misericordiam, *ma per la vista che non meno agogna,* idest, latrat et clamat in effectu, imo magis movet ad compassionem videntes. Et hic nota quantum ista comparatio, quæ videtur communis et domestica, est propriissima per omnes partes suas. Cæci enim stant juxta templum sanctum, et ita invidi, qui sunt cæci quia habent oculos hic clausos, stant juxta montem sanctum; et sicut cæci sustinent et supportant unus alterum, ita invidi hic: et sicut cæci orant pie petentes eleemosinam qua indigent, ita invidi pie orant petentes veniam qua indigent; et sicut aliqui euntes juxta ecclesiam moventur ad compassionem erga cæcos tam ex actibus quam ex verbis, ita isti poetæ euntes juxta montem movebantur ad compassionem erga istos invidos tam ex actibus quam ex verbis. — *E come.* Hic poeta ultimo describit ultimam pœnam durissimam invidorum per comparationem eorumdem cæcorum, quæ est similiter propriissima; et vult dicere sententialiter, quod sicut cæci sunt privati visu, ita quod non possunt videre solem, ita isti invidi habent oculos clausos, ita quod non possunt videre solem justitiæ, Deum. Dicit ergo: *E come agli orbi non approda il sole,* idest, non proficit lumen solis, quod non vident, et cuius pulcritudine et luce non possunt delectari; *così a l' ombre,* idest, animabus invidorum, *luce del ciel,* idest sol, scilicet, Deus, *non vuole largir di se,* idest non vult donare se, *qui,* idest, in isto secundo circulo, *dov' io parlav' ora,* quia isti non possunt videre Deum quamdiu stant in ista pœna, sed purgata culpa videbunt, sicut modo optant et sperant. Et assignat causam, dicens: *che a tutte un fil di ferro il ciglio fora,* idest suit, ut infra dicitur plenius: et dat filum

ferreum, ut indicet fortem clausuram, ut non possint de facili aperire oculos ad invide respiciendum. Et specificat istam suturam oculorum per comparationem ad illam quæ fit oculis accipitrum; unde dicit: *e così,* idest, filum ferreum, ita *fora,* debes supplere, a simili, *come si fa a sparvier selvaggio,* et ecce quare: *perocchè cheto non dimora.* Et hic nota quantum ista comparatio sit nobilis et propria. Sicut enim accipiter audax ex odio impetit et lacerat aves pingues, sicut qualeas et similes, ita invidus temerarius ex malevolentia invadit personas divites et pingues; et si non potest manum, imponit rostrum super eos, scilicet linguam, et lacerat famam eorum si non potest substantiam. Et sicut accipiter sylvestris nunquam quiescit, de quo dicit Ovidius: *Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis;* ita invidus non contentus sorte sua semper habet animum inquietum; ideo optime inquit Horatius: *Invidus alterius macrescit rebus opimis;* et dicit: *Invidia siculi non invenere tyranni maius tormentum;* quasi dicat, quod tyranni de Sicilia, sicut Phalaris et Dionysius, qui adinvenerunt(1) varia et nova genera tormentorum, non invenerunt aliquid peius invidia. Et sicut oculi suuntur accipitri sylvestri ut domesticetur, ita hic invido maligno ut mansuescat. Nota etiam, quod hæc est justissima pœna invidorum, quoniam invidia maxime causatur a visu: ideo bene dicebat Socrates, quod invidus in qualibet civitate vellet habere oculos et aures ut haberet tot tormenta, quot videret et audiret prospera hominum; quia invidus tot habet tortores, quot invidiosus habuerit laudatores. Ergo volens bene purgari isto vitio, debet omnino claudere sibi oculos ne respiciat prospera hominum ad invidiam, juxta præceptum Domini in Evangelio: *Si oculus tuus scandalizet te* etc.

---

(1) 117, adinvenerant.

A me pareva. Ista est tertia et ultima pars in qua poeta describit unum spiritum modernum, in cuius mente invidia maxime exercuit vires suas. Et primo disponit se ad istam materiam specialem de consilio Virgilii, dicens: *A me pareva far oltraggio andando,* per istam regionem cæcorum, *veggendo altrui e non esser veduto;* et videtur ([1]) dicere vane, cum non posset videri ab illis, sed vult dicere, quod videbatur sibi iniuriosum non facere se sentiri istis invidis, sicut supra fecerat superbis, petendo et respondendo; *perch' io mi volsi al mio consiglio saggio,* idest, ad consilium sagacis Virgilii, quem erat solitus semper consulere in dubiis. Et continuo ostendit sagacitatem eius, quia prævenit eum antequam peteret, ne perderet tempus; unde dicit: *elli,* scilicet Virgilius, *ben sapea che volea dir lo muto,* quia cognoscebat voluntatem meam, etiam me tacente, *e però non attese mia dimanda,* idest, non expectavit petitionem meam; *ma disse: parla e sii breve ed arguto,* idest, brevis sermone et subtilis sententia, quasi dicat: dic pauca verba et bona cum istis. Et tamen poeta, antequam loquatur, describit statum sui et illarum animarum, dicens: *Virgilio mi venia da quella landa,* idest, planitie extrema, *della cornice,* quasi dicat: sociabat me a sinistra versus extremitatem illius viæ, ut tutius consuleret saluti meæ; unde dicit: *onde cader si puote,* ab alto in bassum, sicut cum quis vadit per unam viam arctam circa aliquem montem nostrum supra unam planitiem. Et ecce quomodo: *perchè da nulla sponda s' inghirlanda;* quia scilicet non erat cincta aliquo claustro, muro vel sepe; *da l' altra parte,* scilicet a latere montis, *m' eran le divote ombre,* idest animæ invidorum devote orantes, ita quod non poteram ibi ruere vel recedere a pœnitentia; unde dicit:

([1]) E. videbatur.

che per l' orribil costura, idest, duram suturam oculorum factam cum filo ferri, *piangevan sì che bagnavan le gote,* quia deplorabant cultum invidiæ. — *Volsimi.* Hic poeta ponit suam orationem brevem ad dictas umbras in generali, et facit exordium cum petitione, dicens: *et incomincia' io,* supple dicere illis ad captandam benevolentiam: *o gente sicura,* per certam spem, *di veder l'alto lume,* summi solis quod nunc videre non potestis, *che 'l disio vostro solo ha in sua cura,* quia totum desiderium vestrum solummodo de hoc curat, nec aliam curam habere potestis quam istam solam: *se grazia,* scilicet, divina ex gratia speciali, *tosto risolva le schiume,* idest, purget contagia, *di vostra condizione,* ut scilicet, aperiat vobis oculos clausos, *sì che 'l fiume della mente,* idest, gratia divinæ mentis, *scenda chiaro,* sine nebula, *per essa,* scilicet, conditionem vestram cæcitatis, quasi dicat, ut actus veniat ad patiens dispositum. Et sic vide quomodo loquitur breviter et subtiliter juxta consilium Virgilii, sed antequam hoc fiat, *ditemi, chè mi fia grazioso e caro,* idest, quia erit mihi gratum ([1]) et carum, *s' anima è qui tra voi,* in secta invidorum, *che sia latina,* idest italica: de his enim ut plurimum poeta inquirit tamquam nobilioribus et dignioribus memoria, quamvis peccatoribus, ut satis patet in toto poemate eius; et promittit præmium ut facilius consequatur quod petit, dicens: *e forse a lei,* idest, tali animæ, *serà buon,* idest utile et honorabile, quia rogabo pro ea, et dabo sibi famam, *s' io la 'mparo,* idest, si disco. — *O.* Hic poeta ponit responsionem unius animæ singularis invidæ ad suum quæsitum, quæ corrigit dictum poetæ; et hæc anima erat quædam mulier senensis nomine Sapia, quæ dicit: *O frate mio,* caritative vocat eum fratrem, *ciascuna,* scilicet, anima, *è cit-*

([1]) S. gratiosum.

tadina d' una vera città, scilicet, Jerusalem supernæ; *ma tu vo' dire,* et melius, *che vivesse peregrina in Italia,* quia omnes sumus viatores et peregrini in mundo. Vita ergo humana est quædam peregrinatio et militia in terra. Et dicit quod ista ([1]) vox veniebat parum a longe, ideo accessit magis prope, ut cognosceret a quo proveniret. Dicit ergo: *questo mi parve per risposta udire più innanzi alquanto che là dov' io stava; ond' io mi feci ancor più là sentire,* eundo et loquendo intra turbam magnam quæ ibi erat non videns; et sic invenit quod petebat. Unde dicit: *tra l' altre vidi un' ombra ch' aspettava in vista,* scilicet, quod ego replicarem aliquid, quia ipsa solum correxerat dictum meum, et nihil responderat ad propositum quæsitum: et respondet quæstioni tacitæ, dicens: *e se alcun volesse dir, come?* idest, quomodo scis tu quod illa plusquam cæteræ expectaret? dicit per signum, quia ipsa, *levava il mento in su a guisa d' orbo;* ideo ponit suam petitionem specialem ad eum, dicens: *diss' io: o spirto che ti dome per salir,* idest, qui pœnitentiam agis ut ascendas cœlum ad videndum Deum, quem hic videre non potes; et sic iterum loquitur breviter et succincte captans benevolentiam, et petit non minus breviter: *fammiti conto,* idest, fac mihi te notum, *o per loco,* originis tuæ, *o per nome,* quo ([2]) voceris, *se tu se' quello che mi rispondesti,* quia nesciebat hoc nisi per signum prædictum. — *Io.* Hic poeta ponit responsionem illius spiritus ad se, qui respondet de loco et de nomine, de quibus fuerat interrogatus, et ultra hoc de culpa qua hic purgatur. Et hic adverte quod si poeta noster petendo dixit pauca verba et bona, ista mulier, tamquam senensis et vana, multa et frivola confabulatur super invidia sua; ideo non mireris, si poeta fingit

([1]) E. illa vox. ([2]) E. quomodo voceris.

istam facere longam orationem ad se, quia mulier est naturaliter loquax et garrula; et ista in speciali erat parum prudens. Dicit ergo: et ille spiritus, *rispose, io fui senese,* idest, de comitatu Senarum fui, *e con questi altri rimondo qui la vita ria,* per bonam pœnitentiam, *lagrimando a colui,* scilicet ad Deum, *che sè ne presti,* idest, concedat se videndum nobis. Et dicit quod suum nomen non fuit consequens rei, immo per antiphrasim; unde dicit: *savia non fui, avegna che Sapìa fossi chiamata;* Sapia vocabatur ista domina, accentu producto; et tamen non fuit sapiens, immo insipiens et insana, saltem in isto actu, ut audies statim; unde dicit: *e fui degli altrui danni,* idest, adversis, *più lieta assai che di ventura mia,* scilicet prospera, quod est proprium invidiæ. — *E perchè.* Hic longo sermone Sapia narrat formam suæ malignantis invidiæ. Et ad intelligentiam claram istius literæ debes (1) memorare illud, quod scriptum est supra capitulo XI Purgatorii, de Provinciano Silvano, qui cum venisset cum suis senensibus contra castrum comitatus Florentiæ, quod dicitur Colle, ista domina ardens odio senensium, ex sola invidia posuit se ad fenestram unius palatii in castro suo satis vicino loco belli, expectans eventum, et optans audire ruinam suorum. Audito ergo rumore sinistro conflictus et morte ducis miseranda, exultans gaudio immenso, animo gratulanti erexit caput temere contra cœlum, et dixit: sit de me amodo quidquid vult, et faciat mihi Deus quam peius potest, quia amodo vivam læta, et moriar contenta. Modo ad propositum ista Sapia ad confirmandum quod dixerat, primo proponit suum fallum in generali, dicens Danti: *e perchè tu non credi ch' io t' inganni, odi se fui, com' io ti dico, folle,* idest, temeraria. Et aggravat factum,

(1) E. debes scire et memorare.

dicens: *già discendendo l' arco,* idest, circulo, *de' miei anni,* quasi dicat: jam declinante ætate mea, ita quod istud non erat vitium ætatis sed animi. Et hic nota, quod mulier ([1]) naturaliter inclinatur facilius ad pietatem et benevolentiam quam vir, et citius lacrymatur; et est magis invida quam vir, et magis contentiosa, et magis mendax; et in rebus honestis et regimine est magis stulta quam vir, ut dicit Avicenna; unde proprium subiectum non habet in eis virtus et honestas, et sunt ut plurimum mali judicii: homo vero inter cætera animalia magis attingit perfectum naturæ.—*Erano.* Hic Sapia narrat in speciali formam facti, dicens: *Erano i cittadin miei,* idest, senenses cum Provinciano duce eorum, *presso a Colle,* quod est castrum magnum in principio fluminis Elsæ, de quo dicitur in fine huius purgatorii, *in campo giunti co' i loro avversari,* scilicet, florentinis, *et io pregava Dio di quel ch' ei volle,* scilicet, quod essent conflicti; et sic fuit. Unde dicit: *rotti fur quivi,* in campo ubi erant in obsidione, *e volti negli amari passi di fuga:* sicut enim est maxime dulce victori persequi fugientem, ita est summe amarum victo fugere a facie persequentis; de quo paulo ante duxerat speciosum triumphum apud Montem Apertum; *e veggendo la caccia,* idest, persecutionem de fenestra, *letizia presi ad ogni altra dispari,* scilicet lætitiis; quasi dicat: numquam habueram similem in vita mea; unde dicit: *tanto ch' io volsi in su,* scilicet, versus cœlum, *l' ardita faccia,* insane, *gridando a Dio: omai più non ti temo.* Et dicit, quod fecit a simili, *come fa 'l merlo per poca bonaccia.* Dicitur fabulose quod merulus post sævitiem hyemis, superveniente tranquillo, garrit: *Più non ti temo, ch' uscito son del verno;* ita quod ([2]) ego pro parva victoria præsumpsi loqui contra Deum. Au-

([1]) E. mulier inclinatur facilius. ([2]) E. e 117, ita ego pro parva.

divi, quod ista maledicta mulier erat ita infuriata (1) mente, quod conceperat et prædixerat se præcipitaturam desperanter de fenestra si senenses fuissent illa vice victores. Erat enim Sapia nobilis domina de illis de Bigotio (2), quod est unum castellum in territorio Senarum longe a Colle de Valdelsæ forte per quatuor milliaria; quæ nimis oderat populum senensem, sicut Zanganella populum florentinum. Et hoc ideo, quia invidebat populo diu florenti et diu victori. Erat enim Provincianus tunc valde potens et famosus. Et hic nota, quod ubi est maior virtus et maior gloria, ibi est maior invidia. Et tamen nulla est tam humilis fortuna, quæ non malignitatis dentibus mordeatur; sed sola miseria caret invidia. — *Pace.* Hic Sapia, narrata culpa suæ invidiæ, narrat causam suæ salvationis, scilicet, pœnitentiam, licet seram. Unde dicit: *Pace volli con Dio,* cum quo habueram inimicitiam suadente invidia inimica caritatis, quam Deus semper præcepit (3) et suadet, *in su lo stremo della mia vita,* quando non poteram amplius peccare. Et quia Dantes poterat statim dicere: quomodo ergo non es extra purgatorium cum aliis tardantibus? respondet: *e ancor non sarebbe lo mio dover,* idest, debitum, scilicet peccatum: *per penitenzia scemo,* idest, diminutum; quod est jam satis simum, quia jam steti diu in pœna purgatoria; sed adhuc nondum venissem huc, *se ciò non fosse ch' a memoria m' ebbe Pier Pettinaio;* hic fuit quidam sanctissimus eremita tunc magnæ famæ, qui modo apud Florentiam dicitur sanctus (4) Pettinarius, *in sue sante orazioni,* ideo exaudiri meruit; *a cui di me per caritate increbbe;* quia ex caritate cum magno fervore rogavit Deum pro me, ubi ego ex sola invidia rogaveram Deum cum ma-

(1) 117, furiata.
(2) 117, Bigotio, vel maritata in illa domo, quod est.
(3) E. e 117, præcipit et suadet.
(4) E. sanctus Petrus Pettinarius.

gno ardore pro exterminio meorum civium. — *Ma tu.* Hic Sapia, quia multa dixerat satis vana de invidia sua, petit ab autore de eius gratia, qui vivus videtur ire ex singulari privilegio per regna mortuorum. Dicit ergo: satis potes ex verbis meis scire quæ fuerim; *Ma tu chi se' che va' dimandando nostre condizioni,* quod est mirabile, *e porti gli occhi sciolti,* idest non ligatos cum filo sicut nos, quod est mirabilius; et dicit: *e spirando,* idest, vivendo, *ragioni sì com' io credo,* quia ipsa non poterat certe scire si Dantes erat vivens vel videns, quia ipsa non videbat, sed existimabat. Ad quod respondet poeta magis sapienter et breviter; et non respondet quis sit, ne videatur vanus, sed respondet ad id quod illa dixerat de oculis apertis, * et loquitur ad modum veræ pœnitentis; et dicit, quod licet vadat nunc cum oculis apertis * (1), tamen adhuc habebit eos clausos sua vice. Dicit ergo: *diss' io: gli occhi mi fieno ancor qui tolti,* idest, suti, sicut et vobis, scilicet in morte quando iterum redibo ad purgatorium, *ma picciol tempo,* quia parum stabo in ista pœna, *chè poca è l' offesa,* idest culpa qua offendi Deum in hoc, *fatta per esser volti,* illi oculi mei, *con invidia.* Quasi dicat: in vita mea ego parum volvi oculos invidiæ (2) ad respiciendum prosperitates hominum; et vult dicere uno verbo: ego fui semper modicum invidus, ideo faciliter et cito purgabor hic. Et confitetur aliud peccatum in quo magis offenderat, dicens: *troppa è più la paura ond' è sospesa l' anima mia del tormento di sotto:* vult dicere quod multo plus timet pœnam superborum, quæ punitur infra in primo circulo, quasi dicat: fui ad tempus magis superbus quam invidus; ideo jam dubito de pœna; unde dicit: *che già l' incarco di là giù mi pesa,* quasi dicat: videtur jam mihi, quod habeam

(1) Le parole fra i due asterischi sono dei Codici Estense e 117.
(2) E. invide ad respiciendum.

saxum grave domans meam superbam cervicem. Et hic nota, quod poeta noster a juventute fuit superbus ratione nobilitatis, scientiæ et boni status; sed certe bene portavit onus suum in vita, onus dico exilii, paupertatis et invidiæ aliorum. Et certe de me audeo dicere cum bona conscientia illud idem, scilicet, quod fui aliquando magis superbus quam invidus; sed certe jam bene portavi saxum in mundo (1). Et hic poeta ponit novam petitionem illius Sapiæ ad se, quæ breviter videtur dicere: si tu ergo expectas purgari in futurum hic, quomodo ergo huc venisti? Dicit ergo: *et ella a me,* supple, Sapia dixit: *chi t' ha dunque condotto quassù tra noi,* qui jam hic purgamur, *se giù ritornar credi,* scilicet, ad mundum vivorum. Et continuo ponit responsionem suam, dicens: *et io,* supple, respondi: *costui, ch' è meco e non fa motto,* idest, Virgilius qui me tacite hic expectat, est ille qui me conduxit huc. Et ulterius respondet ad id quod supra dixerat Sapia cum dixit: *spirando;* et dicit: *e vivo sono,* reversurus ad mundum; *e però, spirito eletto,* qui salvandus es, *mi richedi se tu vuoi ch' io muova ancor li mortai piedi,* idest, quod vadam pro te, *in parte,* scilicet, aliqua. — *O!* Hic poeta ponit responsionem illius Sapiæ, quæ summe miratur de inaudita gratia concessa autori, et petit sibi orationem fieri, et famam restitui. Dicit ergo: et illa Sapia, *rispose,* cum admiratione, *O! questa è sì cosa nova ad udir,* quia numquam fuit audita de alio, *che gran segno è,* idest, evidens argumentum, *che Dio t' ami,* et (2) quod tu sis in gratia eius. Et vere sine singulari gratia, poeta noster non poterat facere istud iter; *però talor mi giova col tuo prego,* quasi dicat: aliquando roga pro me, quia tua precatio debet esse justa, ex quo es in gratia. Et ponit (3) aliud cum maiori cura, scilicet

(1) E. in mundo isto. Et hic.
(2) 117, idest, quod tu sis.
(3) E. Et petit aliud.

ut reddat sibi famam perditam; unde dicit adiurative [1]: *e chieggioti per quel che più tu brami,* sicut per salvationem tuam, vel perfectionem istius operis, *ch' a' miei propinqui,* idest vicinis, *tu ben mi rinfami,* scilicet, dicendo me invenisse inter salvos. Sciebat ista domina infamiam remansisse de se in patria de odio magno quod gesserat contra cives suos; et docet, ubi sit inventurus consanguineos suos, dicens: *tu gli vedrai,* idest, videre poteris, *tra quella gente vana,* idest, in genere senensium, de quorum vanitate poeta noster dixit in speciali capitulo XXIX Inferni. Hic vero dicit magis in communi: et tangit duas notabiles vanitates illius civitatis, dicens: *che spera in Talamone.* Ad quod sciendum, quod Thalamon est unum castellum senensium in Maritima, ubi senenses expenderunt aliquando multum, et sæpe fecerunt cavari portum cum magnis laboribus et expensis; sed perdebant operam, quia portus cito replebatur, et propter corruptionem aeris locus non est bene habitabilis; et tamen semper habebant in ore Thalamonem, et de ipso confabulabantur; sed spes eorum erat vana. Unde dicit: *e perderagli più di speranza, ch' a trovar la Diana;* in hoc tangit aliam maiorem vanitatem. Diana dicebatur esse fluvius, de quo fuit olim opinio in civitate Senarum, quod laberetur sub [2] terram; ideo diu laboraverunt, et cavaverunt multum pro ipso inveniendo, nec adhuc inventus est. Et concludit: *ma più vi perderanno gli ammiragli.* Et hic nota, quod isti, quos vocat hic admiralios, ut audivi a quodam senensi viro magno autorista et Dantista, erant quidam, qui volentes lucrari conducebant a communi tot cannas vel perticas ad cavandum pro certo pretio; quorum aliqui consumti sunt. Aliqui tamen referunt istud [3] dictum ad castellum Thalamonis,

---

[1] E. admirative. [2] E. sub terra. [3] E. hoc ad dictum castellum.

non ad fluvium Dianæ; et dicunt, quod poeta loquitur de admiraliis navium, qui applicantes ad portum istum falso laudatum, receperunt aliquando magna damna. Et sic tetigit de vanitate senensium in communi. Sed quid dixisset poeta noster, si vidisset, non est diu, Zaninum [1] senensem, qui permisit sibi persuaderi tam facile, quam vane, quod erat rex Franciæ? et jam dabat dignitates, et promittebat officia, dimissa propria hereditate.

---

(1) S. Zannum.

CANTUS DECIMUS QUARTUS, *ubi duo illorum spirituum rogaverunt eum Dantem illis dicturum de sua patria; et hoc dicto abhominantur omnes habitatores vallis Arni a principio usque ad finem; et postea abhominantur romandiolos et lombardos, et sicut omnes virtutes in eis extinctæ sunt, et nulla nobilitas in eis remansit.*

Chi è costui che 'l nostro monte cerchia. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit in generali de purgatione invidiæ, nunc consequenter agit et tractat in speciali de una gente in qua multum regnat invidia. Et præsens capitulum XIV oportet dividere in quatuor partes generales. In prima quarum poeta introducit duos spiritus egregios duorum nobilium, de nobili provincia Romandiolæ, qui inquirunt de eo. In secunda facit unam digressionem ad describendam vallem Arni cum habitantibus, et in speciali turbationem Florentiæ, ibi: *E l' altro disse.* In tertia describit dictos duos spiritus, et deplorat Romandiolæ mutationem, ibi: *Lo dir dell' una.* In quarta et ultima tractat de fræno quo possit revocari vitium invidiæ, ibi: *Noi sapevam.* Ad primum ergo dico quod poeta introducit duos nobiles de Romandiola inquirentes de eo. Et ad aperiendam viam ad hanc materiam est primo sciendum, quod isti duo spiritus notabiles erant [1] quidam nobilis vir et prudens romandiolus de Bretenorio, vocatus Guido del Duca: alter vero erat vir probus de Forlivio de nobili domo Calbulensium; qui ambo, audito colloquio dominæ Sapiæ cum Dante, et ex hoc

---

(1) 117 e E. erant, unus quidam.

cognito quod erat vivus corporaliter, cœperunt loqui cum admiratione de ipso, et inquirere de eo. Nunc ad literam: dicit poeta, quod duo ex [1] illis orbis audientes Sapiam dicere, quod Dantes portabat oculos apertos, et Dantem respondentem, quod oculi adhuc clauderentur sibi, illi comprehenderunt, quod erat vivus ibi cum corpore et omnibus sensibus: et admirantes de tali gratia desiderabant scire eius conditionem; ideo unus eorum, scilicet dominus [2] Guido del Duca de Bretenorio, incipit admirative dicere socio suo Raynerio de Calboli: *Chi è costui che 'l nostro monte cerchia,* idest, qui circuit purgatorium de circulo in circulum, *prima che morte gli abbia dato il volo;* hoc dicit quia in morte anima separata statim volat ad justitiam, ut alibi dictum est; *et apre gli occhi a sua voglia e coperchia?* quod nos facere non possumus propter suturam oculorum. — *Non so.* Hic poeta ponit responsionem socii, qui dicit: *Non so chi sia,* nisi sicut tu, quia non video eum [3] sicut nec tu, et ipse videtur tuscus non romandiolus ad loquelam; *ma so ch'ei non è solo;* hoc dicit, quia superius audiverat Dantem dicentem quod unus [4] adducebat eum, qui non loquebatur, et ideo dicit Raynerius: *dimandal tu si più te gli avicini,* vel secundum aliam literam: *gli t' avvicini;* sed prima litera est verior, quia iste loquitur romandiole, licet non mutetur sententia; et addit: *e dolcemente, sì che parli, accôlo.* Et hic nota quod multi multa dicunt in expositione huius [5] literæ: plures enim dicunt et exponunt, quod iste spiritus vult dicere: interroga eum tam dulciter quod respondeat tibi ad plenum, ita quod animus auditoris non remaneat in suspenso; quia, ut dicunt, est triplex punctus in dictamine, scilicet coma,

(1) E. ex illo orbe audientes.
(2) 117, dictus Guido.
(3) E. eum nisi sicut tu.
(4) 117 e E. unus conducebat eum.
(5) 117, istius literæ.

colum (1) et periodus etc. Alii dicunt magis frivole: interroga eum ita dulciter, quod loquatur colo, idest filio meo sic vocato. Sed quicquid dicatur credo quod velit dicere, *et accôlo,* idest, *accoglilo, accarezzalo,* quasi dicat: recipe eum gratulanter et placide, ita quod loquatur; unde supra capitulo VII dixit: *Poscia che l' accoglienze oneste e liete.* Et ostendit formam loquendi prædictorum inter se, et præparationem eorum ad loquendum sibi; unde dicit: *così,* sicut dictum est, *duo spirti,* præscripti, scilicet Guido et Raynerius, *chini,* idest inclinati et appodiati, *l' uno all' altro ragionavan di me a man diritta;* scilicet, ex parte montis. Et dicit: *poi fer li visi supini,* idest, erexerunt sursum facies, *per dirmi,* idest, ut loquerentur mihi. — *E disse.* Hic poeta ostendit qualiter alter istorum rogatu socii fuerit allocutus eum; et primo ponit exordium eius dicens: *e l' uno,* scilicet Guido del Duca, *disse,* mihi: *o anima che fitta ancor nel corpo,* idest, vivens in mortali corpore, *invêr lo ciel ten vai,* per istum montem altum, *per carità,* non ex invidia quærunt de felicitate eius, sed ex caritate contraria invidiæ adiurat eum, dicens: *ne consola,* idest consolare nos, qui quondam tristabamur prosperitate aliorum, *e ne ditta,* idest, et dic nobis per caritatem, quæ maxime ducit nunc te ad cœlum, qui fuisti parum invidus, et quæris purgare omnia vitia; *onde vieni e chi se';* et assignat causam suæ petitionis, scilicet, summam admirationem dicens: *chè tu ne fai tanto meravigliar della tua grazia,* singularissima (2) concessa tibi; ideo dicit: *quanto vuol cosa che non fu più mai.* Multi alii iverunt viventes ad purgatorium moraliter loquendo, sed nemo umquam ivit eo modo quo Dantes, scilicet, speculatione poetica. Et sic vide qualiter iste spiritus bene gratulatur, imo

(1) E. colon. (2) E. singularissime concessa tibi.

dulciter adulatur nostro poetæ secundum quod fuerat rogatus. — *Et io.* Hic poeta ponit suam responsionem dicto spiritui; et primo respondet primæ parti petitionis, scilicet unde veniat; et dicit breviter, quod venit de Tuscia de valle Arni. Et ad intelligentiam huius literæ et sequentis, oportet prius scire, quod poeta sæpissime nominat eum, et hic specialiter describit, quod Arnus fluvius est Tusciæ, qui oritur ex dextro latere Apennini de monte, qui vulgo dicitur Falterona (1), currens versus occidentem: et a principio labitur per præcipitia vallium cum modica aqua per Casentinum; deinde adiutus ab aliis aquis factus grandiusculus, a sinistris relinquit Aretium, deinde intrans agrum florentinum labitur juxta Ancisam, castellum, unde traxit originem clarissimus poeta Petrarcha diebus nostris. Deinde transiens per medium Florentiæ, florem totius Tusciæ, intrat Pisas antiquissimam civitatem, quam dividit in duas partes; et non longe ab ea cadit in mare tyrrhenum. Nunc ad literam, dicit poeta: *Et io:* supple, dixi illi Guidoni petenti: *un fiumicel*, scilicet Arnus; et bene dicit, quia Arnus non est fluvius magnus, nec navigabilis, nec piscosus: est tamen famosus, quia labitur per famosas terras; et quia viri famosi dederunt sibi famam ipsum describentes, sicut Dantes, Petrarcha, Boccaccius, et alii florentini, qui discurrunt per mundum multum; *che nasce in Falterona;* ex eodem monte nascitur Tiberis; *si spazia,* idest, vagatur, *per mezzo Toscana,* quia quasi per medium fluit Tusciæ, quæ est longa (2) sed arcta: et tangit eius cursum, dicens, *e cento miglia di corso nol sazia.* Nam extenditur quasi per centum viginti milliaria: intellige quantum ad cursum aquæ. Nam si eatur a loco suæ originis usque ad casum suum per terram,

(1) E. Falcerona.

(2) 117, longa et arcta.

est multo brevius spatium; nam Arnus, qui nascitur forte per viginti milliaria longe a Florentia, retroflectit se, et retrograditur per multa spatia. Et dicit: *di sovr' esso,* scilicet flumine apud Florentiam, *reca' io,* idest portavi, *questa persona.* Et secundæ parti petitionis non respondet quis sit, sed excusat se, dicens: *dirvi ch' io sia, seria parlarvi indarno,* et ecce causam, *che 'l nome mio ancor molto non suona;* quasi dicat: adhuc non sum multum famosus, sed cito ero per Dei gratiam, hoc itinere perfecto. Et verum dicit; nam ante istud opus non erat notus quasi nisi inter suos, sed opere publicato celebratus fuit per totam Italiam. Et subdit, quod ille spiritus statim interpretatus est dictum suum, dicens: *quei che dicea prima,* scilicet Guido, *mi rispose allora: tu parli d'Arno,* ex circumstantiis, *se bene accarno,* idest, concipio, *l' intendimento tuo,* idest illud quod intelligis, *con l' intelletto,* scilicet meo.

E l' altro. Ista est secunda pars generalis in qua poeta facit digressionem ad describendam vallem Arni cum habitatoribus suis. Et primo introducit secundum spiritum qui movet dubitationem socio circa responsionem Dantis qui non nominaverat Arnum; unde dicit: *E l' altro,* scilicet, Raynerius de Calbulo, *disse a lui,* scilicet, illi Guidoni del Duca: *questi,* scilicet, incola Arni, *perchè nascose,* per circumlocutionem verborum, *il vocabol di quella rivera,* idest, nomen Arni a simili, *pur com' uom fa dell' orribili cose?* Nam res inhonestæ et infames solent velari sub alia forma verborum; sicut poeta noster pulcre et honeste facit Inferni capitulo XXV, ubi volens nominare virile membrum, dicit: *Lo membro che l' uom cela;* et infra XXV capitulo Purgatorii, volens dicere quod sperma descendit ad testiculos, dicit: *scende ov' è più bel tacer che dire;* et ita de multis. Et ponit responsionem socii, qui dicit se ignorare causam veram, sed

interpretatur quæ causa potuit illum movere; unde dicit: *e l' ombra,* scilicet, Guido del Duca, *che di ciò dimandata era,* ab illo Raynerio, *si sdebitò così,* idest, solvit ita debitum dubitationis [1]; *non so,* quare iste absconderit nomen Arni, * *ma bene è degno,* et justum, *che 'l nome di tal valle,* scilicet, riperiæ Arni * [2], *pera,* idest, pereat, ita quod non sit mentio de ea. — *Chè.* Hic Guido assignat causam sui dicti; et est tam litera quam sententia satis obscura, et vult dicere summarie, quod in tota valle Arni a principio sui usque ad finem, sunt ita pravi et vitiosi, quod communiter fugiunt virtutem tamquam inimicam suam. Nunc ordina literam, et construe et incipe ibi: *che virtù si fuga,* idest, expellitur, *da tutti,* scilicet, arnigenis, *per nemica come biscia;* quasi dicat, quod virtus est ita inimica omnibus sicut serpens, quæ est naturaliter inimica homini, quam fugit vel fugat toto posse suo. Et reddit rationem disiunctive, dicens, *o per sventura del loco,* idest, infortunio, quasi dicat, vel influentia [3] cœli, *o per mal uso,* idest, vel ex prava consuetudine peccandi, *che li fruga,* idest stimulat et impellit ad peccandum juxta imprecationem cretensium, qui dicunt: vade, quod mala consuetudine delecteris. Et prima pars est falsa, quia cœlum non movet animum nisi inclinative, sicut poeta probat infra capitulo XVI; sed secunda est vera, et ad veritatem disiunctive sufficit [4] alteram partem esse veram. Nunc redi supra: et hoc dico fit, *dal principio suo,* idest, a loco originis Arni, *dove,* idest in quo loco, *l' alpestro monte,* idest Apenninus portans Alpes, qui dividit Italiam per medium, *è sì pregno,* idest tumorosus vel [5] altus, *ond' è tronco Peloro,* idest a quo Apennino est truncatus

(1) 117, dubitationis, dicens.
(2) Le parole fra i due asterischi sono degli altri testi.
(3) 117, vel ab influentia. (4) S. sufficiet. (5) E. et altus.

et divisus mons Pelorus in Sicilia. Et hic nota quod mons Apenninus solebat olim continuari usque in Siciliam, ut tradunt omnes autores, sed abruptus fuit vel terræmotu, vel impetu duorum marium, scilicet Adriaci et Tyrrheni, ubi nunc est pharum Messanæ. Mons ergo qui remansit ex parte Siciliæ vocatus est Pelorus a Peloro gubernatore Hannibalis. Nam cum Hannibal transiret de Italia in Siciliam videns se subito translatum, credidit se deceptum fraude Pelori, et iratus cum furore præcipitavit ipsum in mare; sed postea, errore recognito, fecit illi mortuo spectabile sepulcrum, quando (1) vivum non poterat honorare. Ab isto ergo mons Pelorus denominationem sumpsit. Et dicit: *che poco loco passa oltra quel segno.* Vult dicere quod mons Apenninus est parum altior in aliqua parte sui, quam in loco ubi nascitur Arnus. Et dicit: *infin,* idest usque ad mare, *là ove si rende,* ipsi mari, *per ristoro,* idest pro restauratione, *di quel,* idest de illa aqua, *che 'l ciel asciuga,* idest, attrahit per vapores, *della marina,* idest ex mari, *onde,* idest de qua marina, *i fiumi hanno ciò che va con loro,* idest aquas; et in hoc tangit generationem pluviæ. Nam, ut dictum est supra capitulo V, sol calore suo attrahit vapores aqueos in nubem, quæ resolvitur in pluviam; et sic flumina referunt ad mare id quod stellæ abstulerant sibi. — *Onde.* Hic Guido ex dictis concludit transformationem incolarum istius vallis, dicens: *gli abitatori della misera valle,* scilicet Arni, *hanno sì mutata lor natura,* quia naturaliter sunt industres (2) ad omnia opera et subtiles, *che par che Circe gli avesse in pastura,* illos transmutatos. Et hic nota quod ista Circe, de qua facta est mentio Inferni capitulo XXVI, fuit famosissima maga et incantatrix olim in Italia, quæ suis veneficiis dicitur transfor-

(1) 117, quoniam vivum non poterat.
(2) 117, industri ad omnia opera.

masse homines in diversas species ferarum, sicut [1] porcos, canes, lupos. Modo ista videtur habuisse istos in potestate sua, et ipsos pavisse malis venenis; imo venena quæ isti videntur bibisse sunt peiora quam venena Circes, quia Circe non mutabat nisi figuras corporum, sed non qualitates animorum [2], sicut Apuleius scribit de se ipso, quod videbatur sibi factus asinus, et tamen mens rationalis vigebat in eo. Nota tamen quod talis transmutatio corporum non est possibilis, sicut plene disputat Augustinus, sed est quædam illusio dæmonis; nam dæmon ludificatur phantasiam hominis, quæ etiam per se cogitando vel somniando variatur per innumerabilia genera rerum: et sic etiam deludit visum videntium per aerem etc.; imo, sicut dicit [3] Plinius, ubi loquitur de homine mutato in lupum, nullum tam impudens mendacium, ut teste careat. — *Tra.* Hic poeta probat conclusionem generalem per unam inductionem particularem habitatorum; et primo incipit a primis habitatoribus, et dicit, quod Arnus primo transit per porcos, idest comites Guidones, quos appellat porcos propter fœdam luxuriam; et merito. Ubi nota, quod isti comites olim habuerunt dominium in civitate Ravennæ; sed fuerunt fere omnes trucidati in furore populi propter effrænatam libidinem; quia, ut dicit philosophus, propter iniurias uxorum, multæ tyrannides perierunt. Deinde ex uno superstite [4] restaurati in numerosam prolem, facti sunt potentissimi citra Apenninum in Romandiola, et ultra Apenninum in Tuscia; sed hodie pro magna parte defecerunt viris et viribus per potentiam florentinorum. Dicit ergo: illa vallis Arni, *dirizza prima il suo povero calle,* idest cursum cum pauca aqua, *tra brutti porci;* ita dicit Horatius, quod si Ulyxes potasset

(1) E. sicut in porcos.
(2) 117, animarum.
(3) 117, scribit Plinius.
(4) E. uno stipite restaurati.

venena Circes, sicut socii sui, vixisset canis immundus et sus amica luto; ideo dicit * [1]: *più degni di galle,* idest glandibus, quæ sunt cibi [2] porcorum, *che d' altro cibo fatto in uman uso.* — *Botoli.* Hic nominat secundos habitatores Arni, scilicet aretinos, quos assimilat canibus illis, qui in sua specie sunt parvi naturaliter, sed clamosi. Dicit ergo: et illa vallis, *poi venendo giuso,* scilicet Aretium vetustissimam civitatem, quondam unum caput Tusciæ, *trova Botoli;* et vere aretini possunt appellari canes alio respectu, scilicet propter eloquentiam et sagacitatem, sicut Mercurius pingebatur olim in specie canis; et dicit: *ringhiosi,* idest, rixatores, *più che non chiede lor possa;* quia præsumunt super vires eorum, juxta illud Senecæ: *canibus imbecillioribus mos est, ut semper durioribus latratibus inhorrescant;* et dicit: *et a lor disdegnosa torce il muso.* Vult dicere quod Arnus juxta Aretium deflectit ad orientem, et recedit ab Aretio forte per tria milliaria, ita quod videtur ad [3] modum indignantis dicere: nolo ad te venire. — *Vassi.* Hic Guido nominat tertios habitatores Arni, scilicet florentinos suos, quos digne vocat lupos, ab insatiata cupiditate avaritiæ. Dicit ergo, magis aggravans factum: *la maledetta e sventurata fossa,* scilicet, vallis Arni, *vassi caggendo,* idest deorsum labitur, *e quant' ella più 'ngrossa,* ex rivulis et aliis fluminibus, *tanto più trova di can farsi lupi.* Canes enim sunt naturaliter inimici luporum, et ita aretini florentinorum, et sæpe momorderunt eos; sed lupi fortiores prostraverunt canes. Et hic nota, lector, quod illud quod poeta noster hic dicit de habitatoribus istis, poterat dicere, imo dicit pro magna parte de habitatoribus Italiæ,

---

(1) Nel nostro testo manca quanto è compreso da questo asterisco fino al successivo nella pagina seguente; ed è stato supplito con l' Estense e gli altri Codici.

(2) S. e E. cibus. (3) S. admodum indignanter dicere.

imo mundi; unde semel interrogatus, quare Dantes posuerat plures [1] christianos quam paganos in inferno, breviter respondit; quia melius noverat christianos; et plures posuerat italicos, quia sunt magis digni fama et praviores; et ita plures tuscos, et ita plures cives suos, quia melius noverat eos. — *Discesa.* Hic poeta describit quartam gentem, quæ ultimo inhabitat vallem Arni, scilicet pisanos, quos assimilat vulpibus. Sicut enim vulpes naturaliter fraudulenta dolo suo ludificata est sæpe lupum, ita pisanus florentinum, sicut jam scriptum est Inferni capitulo XV. Dicit ergo: et illa vallis, sive fossa Arni, *discesa poi per più pelaghi cupi,* quia multos gurgites facit profundos, vel, moraliter loquendo, per pelaga cupa intelligere potes avaros profundos, * *trova le volpi sì piene di froda che non temono ingegno, che le occùpi,* quia scilicet sæpe vicerunt ingenia subtilia florentinorum. Sed certe omnis astutia, et tota potentia pisanorum annichilata videtur, quia civitas ista vetustissima velut decrepita videtur fecisse cursum suum. Unde volo te scire, quod in MCCLXXXII civitas Pisarum erat in florentissimo statu, habens maximum decus nobilium potentum in se forte plusquam terra Italiæ. Erant enim ibi cives judex Ninus de Gallura, judex Arboreæ, comes Ugolinus, comes Fatius, comes Nerius, comes Anselmus; et singuli tenebant curiam magnam, et habebant caudam floridam et sequelam; et eorum nobilitate et potentia dominabantur insulæ Sardiniæ, Corsicæ, et Elbæ, ex quibus habebant maximos redditus publice et privatim. Et dominabantur mari cum eorum navigiis et mercimoniis; et ultra mare in civitate Acon erant potentissimi: de qua expulerunt januenses vicinos suos, eorum vico igne cremato, et una turri in mari tincta sanguine

---

(1) S. plures christianos, et plures posuerat quam paganos.

januensium. Sed ecce, ut est de more, superbia destruxit superbiam; nam post multas iniurias hinc inde receptas, januenses cum terribili classe et valida juventute venerunt contra pisanos, cum quibus navali prœlio concurrerunt (1) apud Meloram scopulum supra portum pisanum, ubi, ut cito dicam, pisani fuerunt infeliciter debellati, duodecim millia capti, et quatuor millia perempti; et graves leges et duræ conditiones navigandi sunt impositæ eis. Et ab illo tempore semper diminuta est potentia pisanorum propter bella civilia et externa, quæ habuerunt cum florentinis, et alia sinistra fortunarum. — *Nè.* Nunc Guido descripta valle Arni ab omnibus habitatoribus (2) suis, describit singularem turbationem in brevi eventuram Florentiæ. Et ad huius literæ veram intelligentiam est breviter sciendum, quod in MCCCII, cum pars Nigra esset reducta in Florentiam per Carolum sine terra, sicut plene scriptum est capitulo VI Inferni, principes partis ipsius Nigræ vivebant in magna suspicione, quia sentiebant partem Albam esse potentem in Florentia; et exules sæpe scribebant civibus de parte sua. Ideo dederunt operam quod Fulcerius de Calbulo tunc potestas Florentiæ, fultus favore eorum, subito cepit quosdam cives de dicta parte Alba, inter quos fuerunt dominus Bethus de Gerardinis, Masinus et Donatus de Cavalcantibus, Nerlus (3) de Adimaris, Tignosus de Maccis, duo de Scholaribus; et obiiciens illis, quod tenebant tractatum proditionis cum exulibus albis, sæva (4) quæstione tormentorum, sive essent conscii, sive non, fecit eos confiteri, quod volebant prodere civitatem. Sed ille Tignosus ex nimia corpulentia suffocatus est in tortura; cæteros condemnatos decapitavit. Et ad instantiam domini Musatti Francesii magni Caporalis, voluit capere

(1) E. cucurrerunt.
(2) 117, habitantibus suis.
(3) E. Nellus de Adimaris.
(4) E. sive quæstione.

aliquos de Abbatibus [1] inimicis Musatti; sed illi præsentientes evaserunt. Ideo omnes de Abbatibus [2] condemnavit pro rebellibus, qui numquam fuerunt postea cives Florentiæ. Ex quo magna turbatio nata est in civitate, et [3] sequuta sunt multa mala et scandala. Ex dictis ergo satis patet, quare Dantes nunc detestatur nequitiam Fulcerii, qui ita male tractavit suam partem Albam eo tempore quo forte ipse reintrasset Florentiam. Nunc ad literam: Guido prædictus dicit Raynerio de Calbulo, cuius Fulcerius fuit nepos: *nè lascerò di dir perch' altri m' oda,* idest, non tacebo unum quod occurrit mihi nunc dicendum, quamvis iste tuscus vivus audiat, et attente auscultet me; et dicit: *e buon sarà a costui,* idest utile erit isti tusco, *s' ancor s' ammenta,* idest recordatur, *di ciò che vero spirto mi disnoda,* idest eius quod mens mea nunc [4] præsagit, quia poterat forte providere sibi, cum sit expellendus; vel ne cum erit expulsus quærat redire ad faciendum se decapitari; vel bonum erit, ut det infamiam nepoti tuo. — *Io.* Hic Guido narrat factum futurum cito, dicens: *Io veggio tuo nipote,* scilicet Fulcerium, virum vere ferocem, *che diventa cacciator di que' lupi,* idest persecutor florentinorum, *in su la riva del fiero fiume,* scilicet Arni, *e tutti li sgomenta,* idest disturbat. Et ostendit quomodo, dicens: *vende la carne loro, essendo viva;* quia Musattus Francesius, qui pecunia sua corruperat Carolum fratrem regis Franciæ, qui venerat Florentiam tamquam paciarius [5], bene potuit corrumpere Fulcerium, qui venerat Florentiam tamquam rector: *poscia gli ancide come antica belva,* idest bestia, sicut bos innocens in senectute securi percutitur; ideo dicit: *molti priva di vita,* et bonis eorum, *e sè di pre-*

---

(1) E. de Albertis.
(2) E. de Albertis.
(3) E. et consequuta sunt.
(4) 117, vere præsagit quia poterit.
(5) E. partiarius, bene.

gio, idest bona fama, quæ est res pretiosa. Et concludit: *sanguinoso,* scilicet, a cæde multorum, *esce della trista selva,* idest de Florentia, quæ est sylva luporum, quam dimittit tristem; unde dicit: *lasciala tal,* ex desolatione nobilium et discordia civium, *che di qui a mill' anni,* ita poterat dicere, numquam, *non si rinselva,* de prædictis lupis, quia multi expulsi numquam redierunt, et mortui multo minus. Ita Carolus sine terra paulo ante banniverat solum ([1]) aliquos de parte Alba, sed non fecerat sanguinem; iste vero multum auxit malum, ideo dicit: *nello stato primaio,* idest primo florido. — *Come.* Hic poeta ponit effectum huius sermonis dicens per comparationem de se propriam et manifestam: *Come all' annunzio di dogliosi danni si turba il volto,* ex tristitia, *di colui ch' ascolta di qualche parte il periglio l' assanni,* idest a quacumque parte periculum mordeat eum, vel *affanni.* Et applicat comparationem ad propositum, dicens: *così vid' io l' altra anima,* scilicet, Raynerium, *che volta stava ad udire,* idest quæ attente auscultabat, *turbarsi,* in facie, *e farsi trista poi ch' ebbe la parola a se raccolta,* quia notavit quod verbum tangebat infamiam nepotis sui. Et nota quod istud factum erat præteritum quando poeta noster scripsit; sed ponit ipsum tamquam futurum, quia habet respectum ad tempus visionis suæ, quo fingit istum spiritum prænuntiasse sibi hoc ([2]).

Lo dir dell' una. Ista est tertia pars huius capituli, in qua poeta describit prædictos duos spiritus, et deplorat mutationem provinciæ eorum, scilicet, Romandiolæ. Et primo ostendit, quare factus avidus petiverit ([3]) de eis, dicens: *lo dir dell' una,* scilicet, animæ Guidonis, *e la vista dell' altra,* scilicet Raynerii, *mi fe voglioso,* idest affectuosum, *di saper lor nomi,* ideo dicit, *e dimanda ne*

([1]) E. solus. ([2]) E. sibi hæc. ([3]) E. petivit.

fei con preghi mista, ut facilius obtinerem. Et ponit responsionem [1] unius, dicens: *perchè lo spirto che di pria parlomi,* scilicet Guido del Duca, *ricominciò,* scilicet dicere, quia finiverat longum sermonem suum; *tu vuoi ch' io mi deduca,* idest, inclinem me, *nel far a te ciò che tu far non vuo'mi;* quia noluisti mihi dicere nomen tuum, ideo non deberem tibi dicere meum gratia tui meriti, sed divinæ gratiæ; unde dicit: *ma da che Dio vuol che sua grazia tanto traluca in te,* quanta numquam contigit alteri viventi, ut jam dictum est, *non ti sarò scarso,* immo largus; *però sappi ch' io son Guido del Duca,* vir nobilis et liberalis de Bretenorio. — *Fu.* Hic Guido nominato se nominat culpam, qua hic purgatur, dicens: *il sangue mio,* idest, ego vivens in vita, quando [2] anima sedebat in sanguine, *fu sì arso d' invidia,* quia invidus invidia comburitur intus et extra, *che se veduto avesse uom farsi lieto,* ex aliqua prosperitate, *visto m' avresti,* idest, videre [3] potuisses, *di livore sparso,* idest colore livido respersum in facie, quia statim pallescebam dolore juxta illud Macrobii. Et tangit pœnam quæ sequitur ad culpam, dicens: *di mia sementa,* scilicet, invidia, *cotal paglia mieto,* idest, pœnam. Et est propria metaphora, quia quale semen homo seminat, talem spicam colligit; ideo facit unam utilem exclamationem contra invidos, dicens: *o gente umana,* idest, o genus hominum [4], *perchè poni il core,* invidendo, *là ov' è mestier divieto di consorto;* quasi dicat, in temporalibus bonis, quæ simul a pluribus possideri non possunt, quod non accidit in æternis; ideo in possessione temporalium oportet non habere consortem, idest, socium. Et nominat socium suum, dicens: *questi,* idest, iste alter juxta me, *è Rinieri,* et repetit in commendationem eius: *questi è il pregio e l' onore della Casa*

---

[1] E. rationem.
[2] E. quando scilicet anima.
[3] E. videre me potuisses.
[4] S. humanum.

da Calboli, nobili et honorabili, *ove nullo fatto s' è reda poi del suo valore,* quia nullus in dicta domo fuerat successor illi in virtute usque ad tempus illud, immo omnes degeneraverant. — *E non pur lo suo sangue.* Hic Guido deplorat generalem depravationem nobilium Romandiolæ; et facit commendationem multorum virtuosorum, quibus hæc provincia paulo ante abundabat. Et primo dicit, quod omnis nobilitas Romandiolæ est spoliata bonis honorabilibus (¹), et est repleta pravis moribus; unde dicit: *lo suo sangue,* idest, nobile genus Raynerii de Calbulo, *non pur è fatto brullo,* idest, denudatus et pauperatus, *del ben richiesto al vero,* idest, bono animi (²), *et al trastullo,* idest, bonis corporis et exterioribus bonis; quasi dicat: bono honesto, utili et delectabili, quæ regnabant in Romandiola tempore de proxime præterito; nam Raynerius mortuus erat forte per quinque annos ante; nam fuit interfectus (³): et Johannes frater eius, cum intrasset Forlivium cum multis ravennatibus et ariminensibus. Et hoc dico in Romandiola, quam describit a confinibus suis, dicens: *tra 'l Po, 'l monte, e la marina e 'l Reno.* Nam Romandiola a septemtrione habet Padum flumen et mare adriacum; a meridie habet alpes Apennini; ab occidente habet Rhenum fluvium, qui labitur juxta Bononiam; ab oriente vero habet Marchiam Anconitanam. Et vere credo quod in mundo non sit pulcrior pars terræ quam illa, quæ est a Bononia usque Ariminum inclusive. Unde adverte, quod ista provinciola est nobiliter situata, quia habet a tergo alpes Apennini contra austrum ventum inimicum naturæ; a fronte habet liberum et apertum aspectum versus boream ventum amicum generationis. Habet in se collectum quid-

(¹) 117, honorabilibus et laudabilibus, et est repleta.
(²) E. bonis animæ.
(³) 117, interfectus a Johanne fratre eius cum intrasset.

quid bonorum reperitur alibi sparsum, sicut mare, terram, montem, planum, flumina frequentissima, fontes, valles, sylvas, aerem salubrem, vina, olea, mella, carnes, pisces, copiam annonæ, multitudinem habitatorum, magnitudinem divitiarum. Quæ in tam parvo spatio habet tot amœnas civitates, castella, rura, vicos. Et confirmat dictum suum per effectum, dicens: *chè dentro a questi termini,* idest, prædictos confines, *è ripieno di venenosi sterpi,* scilicet, tyrannis parvis et magnis, vere pestiferis, qui more stirpium pungunt cum invidia, et more serpentum se mordent et lacerant, nec unquam inter se possunt habere bonam pacem, sicut jam dictum est capitulo XXVII Inferni; et non solum sunt mali sed multi; unde dicit: *sì che tardi omai verrebber meno,* idest, deficerent omnino, *per coltivar,* aliqua bona cultura; et bene dicit: nam licet aliqui ad tempus videantur extirpari, tamen in brevi repullulant, velut capita hydræ. — *Ov' è.* Hic poeta noster considerans, quod vera laus patriæ est sola virtus civium, unde Virgilius describens felicitatem romanam dixit eam felicem prole virorum; nunc volens (1) describere laudem Romandiolæ, percurrit breviter aliquos viros illustres de diversis terris Romandiolæ. Et primo fingit, quod Guido del Duca incipit quasi a centro Romandiolæ, scilicet a Bretenorio patria sua; et nominat duos nobiles dignos fama. Unde dicit: *ov' è il buon Lizio,* quasi dicat, non est alius similis; et vere fuit bonus et prudens miles, nec reliquit ex se hæredem. Nam dominus Licius de Valbona, nuntiata sibi morte unius sui filii imbecillis, non mutato vultu, dixit: hoc non est mihi novum, quia semper fuit mortuus; sed nuntia mihi pro novo si est sepultus. Nec minus eius prudentia enituit (2) in filia sua Catherina pulcerrima;

---

(1) E. volens autor describere. (2) E. emicuit in.

quam cum ipse senex reperisset coniunctam amorose cum Ricciardo nobili juvene de Mainardis de Bretenorio, ex astutia puellæ et simplicitate materna, prudentissime fecit eam desponsari sine diminutione honoris, sicut jocunditer (1) scribit Boccaccius de Certaldo. Et nominat secundum, dicens: *et Arrigo Mainardi.* Iste de Mainardis de Bretenorio similiter vir nobilis et prudens fuit in vita socius istius domini Guidonis, qui loquitur. Qui, eo mortuo, fecit secari (2) lignum per medium, in quo soliti erant ambo sedere, asserens quod non remanserat alius similis in liberalitate et honorificentia; ideo bene quærit nunc de eo ubi sit; quasi dicat: non invenitur similis. Deinde nominat alios duos spiritus illustres, et primo Petrum Traversarium. Hic fuit dominus civitatis Ravennæ, vir magnanimus et magnificus, qui filiam suam tradidit in uxorem Stephano regi Hungariæ; floruit tempore Friderici II, et ausus est recedere ab eo. Post cuius mortem Fridericus obsedit Ravennam, et cepit. Ideo bene quærit iste Guido, *Pier Traversaro,* ubi est? quasi dicat: quis est hodie dominus in Romandiola similis sibi, amator suæ civitatis? Et nominat alium, dicens: *e Guido di Carpigna?* Iste fuit nobilis vir de Montefeltro, qui omnes sibi pares liberalitate superavit: de quo audio quod, cum fecisset solemne convivium in Bretenorio, deficiente pecunia, fecit vendi dimidium caræ cultræ (3) quam habebat. De qua re increpatus a familiari, curialitatem suam condivit curiali scommate, dicens: quod in æstate præ calore tenebat pedes extra, et in hyeme vero præ frigore tenebat crura contracta. Ideo iste Guido del Duca, considerans tales viros in Romandiola dignos romana civitate, exclamat cum dolore: *O romagnuoli tornati in bastardi!* Nimis curialiter loquitur iste: immo debuisset

(1) E. e 117, jucunde. (2) S. securi scindi lignum. (3) E. caræ culcitræ.

dixisse, in spurios, immo in mulos, specie permutata. — *Quando in Bologna.* Hic Guido nominat alios duos virtuosos de Romandiola; et primo unum bononiensem, dicens: *un Fabbro,* iste fuit nobilis miles de Lambertacciis de Bononia, vir sapiens et magni consilii; et est hic Faber nomen proprium. Nec intelligas de quodam Fabro tribuno plebis, qui trucidatus fuit Bononiæ (1); *quando si ralligna,* idest, renascitur, quasi dicat, tarde, *in Bologna,* quæ est nidus philosophorum et mater legum, omniumque bonorum fertilis, humanitatis piissima nutrix. Et nominat alium faventinum virum plebeium sanguine, sed nobilem virtute animi, dicens: *Quando in Faenza un Bernardin di Fosco.* Iste Bernardinus fuit filius Fusci, viri rustici, sed virtute sua honoratus in patria, ad quem non erubescebant nobiles faventini accedere, ut audirent eius bonas sententias et pulcra scommata; et eius dicta moralia et notanda allegabant. Ideo bene dicit: *verga gentil di picciola gramigna,* quasi dicat: nobilis planta nata ex vili herba; et ex hoc non minus colenda sicut aurum, quod oritur ex terra, et rosa ex (2) spina, *quando in Faenza,* supple, *si ralligna.* Faventia olim dicta est Forum Favii a Favio Romano, quam Fridericus II cepit post Ravennam. Hæc diebus istis cum esset opulenta in bono flore sub dominio pastorum ecclesiæ, occupata est proditorie ab anglicis stipendiariis ecclesiæ, et exclusis omnibus civibus, sine cæde tota spoliata est et detenta ultra anni circulum inter manus barbarorum latronum. — *Non ti maravigliar.* Hic Guido convertens sermonem suum specialiter ad Dantem, nominat duos alios de Romandiola, vicinos patriæ eius Florentiæ; unde dicit: *s' io* (3) *piango, Tosco,* idest, o Dantes;

(1) 117, a bononiensibus.
(2) 117, ex spinis.
(3) E. e S. *Non ti maravigliar s' io piango, Tosco,* idest.

et non appellat eum nomine proprio, quia ipse noluerat se nominare, ut patuit supra: *quand' io rimembro Ugolin d'Azzo;* iste fuit vir nobilis et curialis de Ubaldinis, clarissima stirpe in Romandiola, qui fuerunt diu potentes in alpibus citra Apenninum et ultra, prope Florentiam, sicut et comites Guidones, de quibus jam dictum est supra; et dicit: *che vivette nosco* (1), scilicet, tempore nostro bono, quo in Romandiola vigebat vera nobilitas et multa civilitas, *con Guido da Prata.* Iste Guido fuit alius vir probus de una villa, quæ dicitur Prata, in eisdem partibus, homo magni valoris, qui familiariter vixerat cum isto de Ubaldinis, ut dicetur plenius in capitulo XXIV. Est etiam alia villa in Romandiola inter Faventiam et Ravennam, unde quidam volunt fuisse istum Guidonem. Sed prior expositio est (2) magis consona, quia poeta colligavit istum Guidonem cum illo de Ubaldinis. — *Federigo Tignoso.* Hic Guido nominat alium romandiolum. Iste fuit vir nobilis et dives de Arimino, cuius domus erat domicilium liberalitatis, nulli honesto clausa; conversabatur læte cum omnibus bonis; ideo Dantes describit ipsum a societate sua, quæ erat tota laudabilis. Dicit ergo: *Federigo Tignoso.* Audio, quod iste habebat pulcerrimum caput capillorum flavorum; ideo per antiphrasim sic dictus est, *e sua brigata,* de Arimino: et hic nota, quod Ariminum est nobilis et antiqua civitas Romandiolæ super mari adriaco, quondam fidelissimus portus romanorum, ut sæpe patet apud Livium; habuit theatrum, ubi hodie dicitur Forum; et arcum triumphalem, qui adhuc apparet, et pontem pulcerrimum. — *La casa Traversara.* Hic Guido non contentus nominasse supra solum Petrum Traversarium

(1) 117 e E. *vosco*, scilicet, tempore vestro bono quando in Romandiola vigebat vera nobilitas et multa curialitas.

(2) S. videtur magis consona.

de Ravenna, nunc nominat ipsam stirpem, quæ fuit tota clara et aliam familiam famosam valde de dicta terra; unde dicit: *la casa Traversara.* De ista domo fuit alius miles magnus princeps in Ravenna, scilicet Paulus Traversarius, qui simul cum viribus venetorum expulit Salinguerram principem de Ferraria, *e gli Anastagi:* isti fuerunt magni nobiles et potentes, a quibus una porta in Ravenna usque hodie denominatur porta Anastasia. De ista domo fuit nobilis miles dominus Guido de Anastasiis, qui mortuus est per impatientiam amoris cuiusdam honestissimæ dominæ, quam numquam potuit flectere ad eius amorem. Fuerunt et aliæ familiæ claræ in Ravenna, sicut familia Honestorum, de qua fuit nobilis adolescens Anastasius de Honestis, qui amoratus de filia pulcerrima Pauli Traversarii, tandem illam habuit in uxorem, sicut honeste scribit Boccaccius, curiosus inquisitor omnium delectabilium historiarum. Et hic nota, lector, quod poeta noster facit hic istum Guidonem nominare aliquos viros claros sæculares modernos, quia sic conveniebat viro militari. Sed alios viros illustriores antiquiores genuit hæc patria, sicut Petrum Damianum, de quo poeta scribit capitulo XXI Paradisi, et Romualdum de Honestis, de quo scribit capitulo XXII Paradisi. Nota etiam, quod Ravenna est tota sphærica, habens muros antiquissimos, amplissimos magis infra terram quam supra, signum magnæ vetustatis; ubi quondam Cæsar facturus civile bellum, moram traxit, tamquam in confinio provinciæ suæ, ut scribit Svetonius; quam duo flumina amplectuntur, quæ ibi coniunguntur in unum; habuit portum capacissimum, qui modo repletus est. Ravenna templorum multitudine et pulcritudine est decorata, fide catholica insignita; nam ab initio fidei, Petrus misit Apollinarem discipulum Ravennam ad seminandam fidem; ex quo tempore fuit postea poten-

tissima, temporibus [1] gothorum, langobardorum, et vandalorum; habuit sæpe reges; multa et magna prœlia fecit et tulit, licet hodie sit tantum languida et exhausta; sed decrepita amisit vires suas proxima occasui. Sicut enim scribitur in libro Chronicæ Ravennæ, qui dicitur pontificalis, Ravenna condita est a pronepotibus Noe post Diluvium ante Nativitatem [2] Christi per annos duo millia quadringentos nonaginta novem. Quod non credo, quia de tam longa antiquitate nulli autores authentici, quos ego viderim, aliquid scribunt [3]. Ravenna enim fuit colonia sabinorum, ut dicit Plinius; et dicunt quidam sequentes opinionem communem, quod sic dicta est, quia ratibus venientes condiderunt eam. Non mirum ergo, si poeta nobilis elegit sibi vivere et mori in nobili civitate, ubi jacet apud locum Minorum in tumulo valde gravi. Et certe dignius quiescit Dantes in terra madida sanguine martyrum, in qua fuit honoratus in vita, quam in terra maligna et ingrata, ut ipse ait, de qua vivens digne [4] factus est exul. Et concludit poeta de duabus familiis præcipuis de Ravenna: *e l'una e l'altra gente,* scilicet, genus Traversariorum et Anastasiorum, *è diretata,* quia non extat hæres suus. De quo dolendum est. — *Le donne.* Hic Guido memorat gesta et festa gentis Romandiolæ, dicens: *e quando rimembro le donne e i cavalier,* qui multi erant in Romandiola. Et dat singulis officia sua, dicens: *gli affanni e gli agi,* idest, exercitia armorum, honesta convivia, tripudia, et alia solatia, quorum aliqua magis competunt viris, aliqua mulieribus; et dicit: *che ne 'nvogliava,* idest, quæ prædicta inducebant nos in voluntatem, *amor e cortesia,*

---

(1) E. tempore gothorum.

(2) E. ante Nativitatem gloriosissimi Redemptoris nostri Domini Jesu Christi per annos.

(3) E. scribunt; quos ego vidissem saltem si per alios visi fuissent. Ravenna.

(4) E. indigne factus est.

quia amor et liberalitas duo sunt, quæ inducunt homines ad pulcra et delectabilia; et dicit: *là dove i cuor son fatti sì malvagi,* idest, in qua Romandolia animi sunt ita mutati ab amore in odium, a curialitate in cupiditatem. Et vide, quod aliqui referunt totum istud dictum solummodo ad Ravennam; sed hoc non videtur: immo referendum est ad totam Romandiolam. Unde statim ostendit, quod amor et liberalitas recessit de patria sua. — *O Bretinoro!* Hic Guido cum dolore convertit sermonem ad patriam suam, dicens exclamative: *o Bretinoro!* Istud est nobilissimum castellum quasi in centro Romandiolæ in monte situm supra Forlivium, habens pulcerrima mœnia, et loca amœna et fertilia; *chè non fuggi via?* quasi dicat: cur non recedis de contrata? *poi che gita se n'è la tua famiglia,* idest, tam nobilis et curialis defecit, *e molta gente,* quæ erat bona, *per non esser ria?* idest, recessit, ne reservaretur ad ista tempora prava. Et hic nota, ut videas, si magna nobilitas vigebat paulo ante in Bretenorio, quod tempore istius Guidonis, quando aliquis vir nobilis et honorabilis applicabat ad terram, magna contentio erat inter multos nobiles de Bretenorio, in cuius domum ille talis forensis deberet declinare. Propter quod concorditer convenerunt inter se, quod columna lapidea figeretur in medio plateæ cum multis annulis ferreis, et omnis superveniens esset hospes illius, ad cuius annulum alligaret equum. — *Ben fa.* Hic Guido commendat unam terram ab eo quod sui nobiles defecerunt, et duas damnat ab eo quod adhuc retinent suos nobiles depravatos. Dicit ergo: *ben fa Bagnacaval,* magnum castrum est inter Imolam et Ravennam (¹), quod habuit olim comites nobiles, curialitate plenos, *che non rifiglia,* idest, non gignit amplius dulces filios suos, quia

(¹) E. Ravennam et Faventiam et quod habuit.

jam sui nobiles tempore autoris pro magna parte defecerant: *e mal fa Castrocaro,* nobile castrum, et vere carum (1), supra Forlivium in Valle Montorii, cuius comites hodie defecerunt. Sed tunc adhuc vigebant, sed degenerabant a nobilitate vicinorum (2), *e peggio Conio.* Istud fuit castellum longe ab Imola per sex milliaria, quod hodie omnino non extat, sed multi comites eius erant tempore autoris, et adhuc hodie sunt; ideo dicit: *e peggio Conio,* supple, facit, quia quanto habuit meliores, tanto nunc peiores. Ideo dicit: *che di figliar tai conti,* idest, parere tam degeneres, *più s' impiglia.* Et tamen isti adhuc hodie de virtute antiqua multum retinent in strenuitate armorum. — *Ben faranno.* Hic Guido commendat nobilem aliam stirpem de Romandiola, scilicet, Paganos, qui habuerunt dominium in montibus supra Imolam et Faventiam, quorum territorium vocabatur *Podere Paganorum;* de quorum stirpe erat tunc unus nomine Maghinardus, qui nobilis genere, pulcer corpore, fortis viribus, strenuus armorum, habebat dominium Faventiæ et Imolæ, audax ut leo, cuius gestabat insignium. Modo dicit iste: *Ben faranno i Pagàn,* quorum familia habuit aliquos claros viros, sicut Petrum Paganum et alios; quæ erit tunc felix, quando defecerit omnino, quia Maghinardus infamat eam nunc vivens. Ideo dicit: *da che 'l demonio lor se 'n girà,* idest, quando Maghinardus morietur, quem vocat dæmonem per pulcerrimam metaphoram. Dæmon enim interpretatur sciens: et est dæmon bonus et malus apud (3) latinos, ut sæpissime patet per Augustinum de Civitate Dei, et per Chalcidium super Timæum Platonis. Iste autem fuit astutissimus et sagacissimus hominum, quales aliqui alii fuerunt in Romandiola, quos ab astutia poeta noster numeravit cum

(1) E. clarum. (2) E. e 117, maiorum.
(3) E. e 117, apud græcos, sicut angelus bonus et malus apud latinos.

Ulyxe capitulo XXVII Inferni. Sicut enim Romandiola habet aliqua ingenia angelica, ita habet aliqua diabolica. Ideo dicit: *ma non sì,* idest, non tamen ita bene facient Pagani per mortem Maghinardi, *che mai puro testimonio,* idest bona fama, *rimagna di lui,* scilicet Maghinardo, *di là,* scilicet in mundo viventium. Hoc ideo dicit, quia infamia erat vulgo de Maghinardo, quod ipse tenebat partem guelpham in Tuscia, et ghibellinam in Romandiola. Et istam infamiam poeta facit (1) durabilem, donec durabit iste liber, quia dixit in Inferno de eo: *che muta parte dalla state al verno;* sed hæc infamia vere fuit falsa, sicut plene declaratur (2) in illo capitulo Inferni. Nam si Maghinardus fuit contra ghibellinos aliquando in favorem florentinorum, ex hoc potius meretur laudem, quam infamiam, quia debebat illis totum esse et posse suum. De Maghinardo non remansit proles mascula, sed quædam filiæ, quæ intraverunt in familiam Ubaldinorum. — *O Ugolin.* Hic Guido prædictus nominat ultimum spiritum de Romandiola, et illum consolatur, quia non reliquit filios ex se, qui possent degenerando offuscare famam eius; unde apostrophat sermonem suum ad eum, dicens: *O Ugolin de' Fantoli.* Iste fuit de Faventia, vir singularis bonitatis et prudentiæ, *il nome tuo,* quod remansit de te clarum, *è sicuro,* scilicet ab infamia, *da che più non s' aspetta,* aliquis hæres vel successor, *chi far lo possa tralignando oscuro,* idest, degenerando a vera virtute, sicut accidit in nobilibus aliis de Faventia. Unde vide quod poeta noster posuerat duos nobiles de Faventia in glacie: hic vero ad redimendam infamiam nominat duos plebeios famosos. Et hic nota, quod poeta nobilis nullam provinciam de mundo tantum honoravit quantum istam; nam in isto eodem capitulo describens provinciam et patriam

(1) 117, fecit. (2) 117, declaravi.

suam nullum virum singulariter nominavit. Similiter in capitulo XVI describens Lombardiam, solummodo tres exceptabat a regula. Ego vero nullum inveni unquam autorem antiquum, qui hanc provinciam in aliquo culpaverit. Immo Romandiola olim vocata est Flaminia a frequentia et multitudine Flaminum, idest, sacerdotum; postea vero Romandiola, quasi hortus romanus. Sed quid plura loquor? cum nulla fere pars eius hodie floreat præter Ariminum. Certe magis quam hic romandiolus fecerit, miserabilem statum illius deplorarem nisi [1] desolatio jam transisset ad cæteras fere provincias Italiæ. — *Ma.* Hic Guido del Duca complens suam narrationem, licentiat Dantem, dicens: *ma va' via, Tosco, che mi diletta omai troppo più di pianger che di parlare;* quasi dicat: quia volo potius redire ad plorandum peccata mea, quam deplorare peccata viventium, quia justius est; unde dicit: *sì m' ha nostra ragion,* idest, justitia, *stretta la mente,* quam nimis largaveram ad loquendum de factis alienis, cum mea strictius tangant me. Et tamen iste invidus ex caritate et pietate patriæ facit [2] istam longam querelam ad emendationem suorum, ut melius declaratur capitulo sequenti.

Noi sapevam. Ista est quarta et ultima pars in qua poeta noster post longam digressionem agit et tractat de fræno invidiæ juxta promissionem superius factam; et primo præmittit recessum suum ab illis duobus spiritibus de Romandiola. Unde dicit: *Noi sapevam che quelle anime care,* idest, caritativæ, *ci sentiano andar,* quamvis non viderent nos; *però tacendo facevan noi del camin confidare,* quasi dicat: quamvis nihil dicerent nobis, et nos eis, tamen ibamus cum fiducia credentes quod bene ibamus, et quod illæ ex caritate monuissent nos de me-

---

(1) 117, ubi desolatio. (2) E. fecit.

liori via si fuisset expediens. Et tangit processum eorum, et primam vocem quam audiverunt in isto itinere contra invidiam, dicens: *poi fummo fatti soli procedendo;* quia ubi primo præmonebam in colloquio cum illis duobus spiritibus de Romandiola, nunc ibant sine sermone ad [1] viam suam. Et ecce unam vocem cum impetu magno subito sonuit in aere, et hæc erat vox quam olim dixit Cain. Et ad huius literæ intelligentiam, quæ videtur fortis et a multis male intellecta, est notandum quod poeta noster sub ista fictione vult dicere sententialiter in effectu, quod homo volens frænare in se vitium invidiæ, debet ad mentem revocare effectum primæ invidiæ quæ fuit in terris. Nam primus homo natus in mundo, sola invidia diaboli qua mali invident bonis, ut ait Augustinus, interfecit fratrem suum juniorem Abel justum et innocentem; propter quod Deus maledixit eum usque in septimam generationem, qui postea fecit omnia scelera magna, et suos invitavit ad latrocinia et rapinas etc. Modo ad propositum poeta noster fingit quod vox Cain insonuit auribus mentis eius. Dicit ergo: *voce che giunse di contro,* veniens nobis in occursum ad admonitionem nostram, *dicendo: anciderammi qualunque mi prende.* Ista fuerunt verba Cain: nam cum Dominus peteret ab eo ubi esset frater suus Abel, ipse respondit, quod non erat custos fratris sui. Et cum Dominus diceret [2], quod ipse occiderat eum; desperans dixit se occidendum [3] ab omnibus feris: et tamen postea interfectus est in sylva cum sagipta a [4] nepote suo. Dicit ergo: *parve folgore quando l' aire fende,* quia subito fulguravit in oculos mentis eius, et ita subito transivit. Unde dicit: *e fuggio come tuon;* quia [5] fuit terribilis et

---

(1) 117, ambo ad viam suam.
(2) 117, dixit.
(3) E. occidendum ob hoc ab omnibus.
(4) 117, ab uno nepote suo.
(5) E. e 117, quia vox fuit.

terruit mentem eius, *che si dilegua, se subito la nuvola scoscende,* idest, scindit. Aliqui tamen dicunt, quod ista fuit vox Aglauros, quæ dicit quod invidia occidet eam; vel dicunt, quod est invidia quæ loquitur, et dicit quod pœna loci occidet eam (1). — *Come.* Hic poeta describit secundam vocem per quam docet refrænare invidiam, scilicet considerando alium pessimum effectum invidiæ, quæ reddit hominem saxeum. Sicut enim frater invidit fratri, ut patet ex prima historia Sacræ Scripturæ, ita soror invidit sorori, ut patet ex ista secunda historia gentilium. Ad evidentiam ergo huius literæ debes scire, quod sicut scribit Ovidius secundo Maioris circa finem, Cecrops qui fuit primus rex Athenarum habuit tres filias, quarum una vocata est Pandrase, alia Aglauros, tertia vero Herse. Mercurius captus amore Herses pulcerrimæ omnium corrupit Aglauros, promisso magno cumulo auri, ut conciliaret sibi amorem sororis Herse; et assignato die, ordine dato, invidia intravit cor Aglauros pro pulcritudine sororis, quæ amabatur a tali amante; et continuo Mercurio redeunte cœpit petere illius amorem; sed cum ille (2) recusaret, et Aglauros prohiberet ipsum intrare ad sororem, Mercurius convertit eam in saxum. Et nota quod sub ista fabula continetur historia vera. Nam Mercurius realiter fuit homo in Græcia, nepos magni philosophi Trimegisti, qui adamavit Hersem filiam regis Athenarum, et corrupit illius sororem eloquentia, astutia, et pecunia magna. Sed Aglauros ex invidia mutavit propositum et voluit præferri sorori in amore; ideo poetæ bene finxerunt quod mutata est in saxum. Nam invidia recte indurat et infrigidat cor hominis privans ipsum amore et calore caritatis, quando implet ipsum odio contra fratrem et sororem, sicut in præsenti casu.

(1) 117 e E. eam; sed litera non patitur talem expositionem. — *Come.*
(2) E. ille transiens recusaret.

Nunc ad literam: dicit poeta continuans partem parti: *Come da lei,* idest, ab illa voce prima, *l' udir nostro ebbe tregua*; idest, auditus noster habuit quietem; quasi dicat: statim cum cessavimus audire illam vocem primam, *ed ecco l' altra,* scilicet, secunda vox terribilis insonuit, *con sì gran fracasso,* idest (1), fragore aeris, a simili, *che somigliò tonar che tosto segua,* quia sicut sæpe post unum magnum tonitruum sequitur aliud, ita nunc post unam vocem terribilem secuta est alia. Et ecce quid dixit: *io sono Aglauro,* mulier maligna, *che divenni sasso.* Et non dicas: quid habet facere Cain pessimus, qui est in centro inferni, in purgatorio? similiter, quid Aglauros? quia, respondebo, nihil: sed poeta fingit voces eorum insonare auribus purgantium se: unde statim ponit effectum vocis dicens, quod statim adhæsit Virgilio; unde dicit: *et allor,* idest, tunc, *feci il passo indietro e non innanzi,* quasi dicat: retraxi me, et non processi ulterius, ut Virgilius (2) se firmaret, et ego adhærerem ei. Unde dicit: *per restringermi al poeta;* quasi dicat, quod reduxit se ad rationem timens fieri saxum. Sicut enim Virgilius clausit sibi oculos in inferno ut fugeret aspectum Medusæ, quæ convertebat homines in saxum, ita ipse, nunc per se fortior quam in inferno, recurrit ad Virgilium ut vitaret invidiam, quæ similiter habet homines saxificare. Et hic attente notandum, quod Dantes magna arte ex omnibus historiis pertinentibus ad invidiam, elegit sibi ad suum propositum istam, quam tetigit breviter in uno versiculo; quasi dicens tacite: si vis plene scire quam pestiferum monstrum sit invidia, vide Ovidium, ubi describit fabulam Aglauros, quia ibi eleganter describit domum invidiæ quæ infecit Aglauros; per quam domum intelligit cor invidi, quod est domi-

---

(1) E. idest, cum fragore.

(2) 117, Virgilius ipse se firmaret.

cilium invidiæ. Ex qua descriptione possunt breviter colligi quinque effectus pravi ipsius invidiæ: quorum primus est, quia cor obscurat odio et rancore; unde dicit ([1]), quod domus invidiæ est abscondita in bassa valle, cooperta nigra putredine, sine sole, sine aliquo vento, plenissima tristis ([2]) frigoris, quæ semper caret igne, semper abundat caligine. Secundus, quia cor cruciat tristitia et dolore; unde dicit ibi, quod invidia videt prosperitates hominum, et dolet videndo, portans baculum spinosum in manu macerat se et alios, et est supplicium sibi ipsi. Tertius, quia totum corpus deformat; unde dicit, quod invidia habet pallorem in facie et maciem in toto corpore, oculos obliquos, dentes rubiginosos, cor plenum felle, linguam madidam veneno, numquam ridet, nisi cum videt dolores alienos, nec dormit, quia anxiatur semper curis. Quartus, quia devorat vitam aliorum; unde dicit ibi, quod invidia comedebat carnes viperinas alimenta suorum vitiorum. Quintus effectus ([3]), quia destruit omnia bona; unde dicit ibi, quod invidia per quamcumque partem transit deiicit flores, comburit herbas, prosternit segetes, et quod est peius, suo afflatu pestifero inficit populos civitatum, et vix tenet lacrymas, quando nihil videt lacrymabile. — *Già*. Hic poeta ostendit quomodo Virgilius interpretatus est effectum illarum vocum, unde continuans partem parti, dicit: *già era l' aura,* idest aer, *d' ogni parte queta,* idest, sine aliqua voce, quæ primo movebat aerem more tonitrui et fulguris; *et ei,* scilicet Virgilius, *mi disse: quel fu il duro camo,* idest, forte frænum: camus enim est capistrum cum quo ligantur ora equorum, *che dovria tener l' uom dentro a sua meta,* idest, terminum; quasi dicat, quod deberet facere stare hominem contentum fa-

([1]) 117, dicit ibi, quod domus.
([2]) E. tristibus figuris et frigore, quæ.
([3]) S. e E. effectus est, quia.

cultate sua; quasi [1] dicat uno verbo: utraque vox audita debet esse frænum revocans hominem ab invidia; sed non prodest nobis. Unde Virgilius alloquitur Dantem tamquam speciem humani generis, dicens: *ma voi,* scilicet mortales, *prendete l' esca,* idest, illecebram bonorum temporalium, in qua latet hamus. Unde dicit: *sì che l' amo de l' antico avversario,* idest, fraudulenta tentatio diaboli, qui primo invidit Deo propter quod ruit, deinde homini quem secum traxit in ruinam, *a se vi tira,* quia suadet vos invideri alteri propter ista bona; *e però poco val freno o richiamo,* quasi dicat: parum prosunt vobis exempla et pericula manifesta revocantia vos. Et concludit pulcre Virgilius, quod nec timor pœnæ, nec spes gloriæ possunt nos movere; unde ponit sententiam nobilissimam scribendam literis aureis, dicens: *chiamavi il cielo,* ad præmium paratum vobis, *e intorno vi si gira,* undique vos claudens et complectens, *mostrandovi le sue bellezze eterne,* scilicet sydera, magnitudinem, celeritatem, pulcritudinem, *e l'occhio vostro pur a terra mira,* idest, ad terrena temporalia; et concludit: *onde vi batte chi tutto discerne,* idest, ideo juste punit vos Deus.

---

[1] E. quasi velit dicere.

CANTUS DECIMUS QUINTUS, *in quo tractat sicut per angelum fuerunt ducti, et sicut Virgilius declaravit aliquam quæstionem de aliquo dicto illius Raynerii de Romandiola; et postea sicut in quadam visione vidit aliquas figuras quæ disponunt vitium iracundorum.*

QUANTO *tra l'ultimar dell' ora terza.* Postquam in præcedenti capitulo poeta noster expedivit tractatum invidiæ, quæ purgatur in secundo circulo purgatorii; nunc consequenter agit et tractat de tertio vitio capitali, quod purgatur in tertio circulo, et totum capitulum XV contentum (¹) est dividi in quatuor partes generales. In prima quarum poeta describit apparitionem unius angeli, qui purgat (²) eum a vitio invidiæ, et dirigit ad circulum iræ. In secunda facit declarationem unius dicti positi in præcedenti capitulo, quod videbatur obscurum, ibi: *el mio maestro.* In tertia describit unam suam visionem, per quam docet præcavere ab ira, ibi: *com' io volea.* In quarta et ultima ponit interpretationem illius visionis factam a Virgilio, ibi: *quando l' anima mia.* Ad primum rediens dico, quod poeta noster describit apparitionem unius angeli; sed primo præmittit descriptionem horæ, et videtur dicere sententialiter, quod erat hora vespertina; quod dicit per unam circuitionem verborum. Dicit enim, quod tantum erat ab illa hora ad sero, quantum est ab ortu solis usque ad horam tertiarum; ita quod large loquendo restabant forte tres horæ diei, et, ut clare dicam, erat quasi hora vigesima prima. Dicit ergo: *tanto pareva già esser rimaso al sole del suo*

(¹) 117, potest dividi.

(²) E. purgabat.

corso in vêr la sera; hoc intellige in secunda die, *quanto par della spera,* scilicet solari, *che sempre scherza,* idest, movetur, *a guisa di fanciullo;* et est propria similitudo, quia sol sicut puer, suo continuo motu semper lascivire videtur. Sicut etiam puer a nativitate sua est parvus et debilis, sed continuo crescit et capit vires usque ad medium, postea incipit declinare et tendere versus occasum; ita proprie sol primo debilis ascendit usque ad meridiem et fit fortior; deinde declinat ad vesperam, *tra l' ultimar dell' ora terza,* idest, finem tertiarum, *e 'l principio del dì,* idest, ortum solis; et ut clarius et citius dicam, *vespero era là,* scilicet, in illo hemisperio * inferiori, *e mezza notte quivi,* scilicet, erat in nostro hemisperio * [1]. Et hic nota, quod si Dantes fuisset in Jerusalem quae opposita est monti purgatorii in media nocte, tunc in illo hemisperio fuisset recte meridies; sed quia erat in Italia quando scribebat hoc, ideo dicit quod vesper erat ibi, quia non æqualiter fit dies et nox omnibus gentibus, immo dispariter secundum diversum situm terrarum. Dicit ergo: *e i raggi,* scilicet solis, *mi ferian,* idest, feriebant, *per mezzo il naso,* et ecce causam, *perchè per noi era girato il monte,* tantum, *che già andavamo dritti in vêr l' occaso,* idest, occidentem, quia ibat circulariter ascendendo per montem, ita quod aliquando habebat solem a tergo, aliquando a fronte. — *Quando.* Hic poeta describit accessionem angeli, quam sensit per nimietatem fulgoris, qui subito refulsit in faciem eius. Unde dicit: *quand' io sentî a me gravar la fronte allo splendor;* ne intelligas splendorem solis esse factum maiorem, sicut aliqui male intellexerunt, imo debes considerare, quod splendor solis primo satis gravabat oculos poetæ quia erat bassus, et recte feriebat faciem eius;

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri testi.

sed alius splendor superveniens, scilicet angeli qui erat multo splendidior sole, multo fortius gravabat sibi frontem. Ideo dicit: *assai più che di prima,* idest, quam prius gravaretur a splendore solis. Et dicit: *e stupor m' eran le cose non conte,* idest, non cognitæ, quasi dicat, quod ignoratio causæ erat causa admirationis in eo, quia nesciebat unde tantus excessus splendoris subito proveniret, qui vincebat splendorem solis. Et subdit remedium quod adhibuit circa hoc, dicens: *ond' io levai le man in vèr la cima delle mie ciglia,* idest, supposui manum oculis meis, *e fecimi el solecchio.* Sicut homo solet facere contra nimium splendorem solis; et ostendit quare fiat solechium, dicens: *che lima,* idest, diminuit, *del soverchio visibile,* idest, de superfluitate obiecti quod videtur. Unde Aristoteles libro problematum circa principium quærit propter quid versus solem opponentes manum ante lumen magis videmus. Et dicit, quia superabundantia prohibita a manu visum non lædit. — *Come.* Hic poeta ostendit reverberationem luminis angelici per (1) comparationem nobilem et subtilem; et videtur dicere, quod evenit sibi adveniente angelo sicut de radiis solis quando feriunt in aquam (2) vel speculum, qui refranguntur æqualiter in partem oppositam. Talis ergo refractio radiorum facta est ab angelo in facie sua. Nunc ordina sic literam: *così mi parve esser percosso ivi dinanzi a me da luce rifratta,* scilicet, ab angelo in facie sua; vel forte quia lux angeli reflexit in luce solis sicut in speculo; *come quando lo raggio salta dall' acqua o dallo specchio all' opposita parte salendo su per lo modo parecchio,* idest, parem vel similem, *a quel,* scilicet, vero radio primo, *che scende,* scilicet ad aquam vel speculum. Et addit: *e tanto si diparte,* scilicet, ille radius, *dal cader della pe-*

---

(1) 117, per unam.

(2) 117, in aqua vel speculo.

tra in igual tratta, idest, in æqualem lineam. Ad intelligentiam claram istius literæ obscuræ, nota quod sicut scribit Albertus libro de proprietatibus elementorum, casus lapidis est linea perpendiculariter inducta a centro solis super capita hominum: hæc autem linea vocatur metaphorice casus lapidis, eo quod lapis est quodlibet simpliciter grave cadit inferius perpendiculariter. Unde dicit ibi, quod æthiopes habitantes inter tropicum æstivum et æquinoctialem habent duas calidissimas æstates, quia sol bis pertransit casum lapidis super capita eorum. Sicut a simili poeta (1) videtur hic dicere, quod radii angeli recte ceciderunt cum magno calore et splendore super faciem suam, quo stupefactus est. Et dicit: *sì come mostra esperienzia,* quia sic videmus ad oculum, *et arte,* scilicet, prospectiva, quæ partim spectat ad philosophiam, partim ad geometriam. Et hic nota, quod omne corpus emittit de se radios in aerem; sed quia aer est corpus invisibile, non apparent (2): sed in speculo multiplicantur, et reddunt imaginem diversimode tamen, ut patet in speculo convexo plano et concavo. Et ponit effectum huius reverberationis, dicens: *perchè a fuggir la mia vista fu ratta,* quia virtus visiva oculi infirmi non valuit substinere tantum excessum splendoris. — *Che è.* Hic poeta ostendit qualiter stupefactus subito petiverit (3) de re mirabili, dicens: *diss' io,* scilicet, Virgilio: *o dolce padre,* in rebus enim dubiis loquitur blandius, *che è quel,* idest, quale lumen, *a che non posso schermir lo viso,* idest, defendere cum toto scuto solechii, *tanto che mi vaglia,* ut possim respicere vel cognoscere ipsum. Et dicit: *e par in vêr me essere mosso.* Et sic erat in rei veritate, quia angelus luminosus recte veniebat contra eum. Et nota quod magna arte autor descripsit (4) istum secundum an-

(1) E. poeta noster.
(2) E. non apparent radii eius, sed in speculo.
(3) S. petivit.
(4) S. describit.

gelum, quia quanto culpa invidiæ est occultior, tanto purgatio debet esse patentior et clarior. Et ponit responsionem Virgilii claram, dicens: ille Virgilius, *rispose a me: non ti maravigliare s' ancor la famiglia del cielo,* idest, angelica natura, quæ est familiaris ministra cœlestis patrisfamiliæ, *t' abbaglia,* idest, *abarbaglia,* ablucinat, excæcat, *messo è,* idest, angelus missus a Domino, *che vien ad invitar ch' uom saglia,* scilicet, ad alium circulum. Et dat sibi bonam spem vigorandi visum debilem in brevi, dicens: *tosto sarà ch' a veder queste cose,* splendores angelorum, *non ti fia grave, ma fieti diletto,* scilicet, cum perfecte purgatus pervenies ([1]) ad cœlum. Et dicit: *quanto natura a sentir ti dispose.* Quasi dicat: non tamen credas te visurum angelos in cœlo ita perfecte, sicut vident animæ beatæ, quia donec eris cum ista carne non poteris habere tantam gratiam et virtutem. — *Poi.* Hic poeta describit purgationem factam ab angelo in se, et invitationem eius, secundum quod prædixerat sibi Virgilius. Dicit ergo: et ille angelus, *disse con lieta voce,* quia magnum gaudium est angelo de conversione peccatoris, *entrate qua a un scaleo,* scilicet, ad ascensum scalæ tertii circuli, *men eretto,* idest, minus arduum et difficilem, *che l' altro,* scilicet, præcedens, quia scala invidiæ est magis recta; et hoc dixit, *poi fummo giunti,* idest, postquam pervenimus, *all' angel benedetto;* quia ipsi ibant continuo contra angelum, et angelus veniebat contra eos. Et subdit gaudium, quod fecerunt animæ quæ purgabantur ibi de purgatione sua, quia audiverant verba angeli; unde dicit: *noi già partiti linci,* idest, digressi de circulo invidorum, *montavam,* scilicet, ad circulum iracundorum, *e fu cantato retro,* ab illis spiritibus illud Evangelium ([2]): *Beati misericordes;* ista verba recte fa-

([1]) 117, perveneris. ([2]) S. Evangelicum. — E. Evangelii.

ciunt contra invidiam, quia misericors compatitur alienæ miseriæ; invidus vero lætatur. Et ponit aliam vocem, dicens: *e godi tu che vinci;* et fuit etiam cantatum (1): tu qui vincis vitium invidiæ lætare, quia et nos lætamur tecum, nec invidemus magnæ felicitati tuæ.

Lo mio maestro. Ista est secunda pars generalis in qua poeta describit declarationem unius dicti positi in capitulo præcedenti, quod videbatur non bene clarum. Et primo ostendit quomodo et quare petiverit a Virgilio de suo dubio, dicens cum continuatione: *Lo mio maestro et io andavam suso,* per scalam, *soli ambedue,* quia nullus spiritus purgatus exiverat simul secum de circulo invidorum; *et io pensava acquistar prode,* idest, facere aliquem profectum, ut tempus utilius expenderetur, *andando,* per illam scalam, *nelle parole sue;* sicut facit per omnes scalas istius purgatorii. Ideo dicit: *e drizza'mi a lui sì dimandando, che volle dir lo spirto di Romagna,* scilicet, dominus Guido del Duca de Bretenorio, *e divieto e consorto menzionando,* scilicet, quando in præcedenti capitulo exclamans contra gentem humanam, dixit: *dov' è mestier di consorto divieto,* scilicet, circa temporalia, quæ non possunt simul et semel ab omnibus possideri, imo expedit, quod quæ possidentur ab uno sint impossessa ab alio et vetita sibi; cuius contrarium accidit in spiritualibus. — *Perch' ello.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad quæsitum, qui dicit breviter quod ille sub illis verbis tetigit (2) vitium quo fuerat maxime infectus: ideo ex caritate increpuit genus humanum, ut vitaret vitium pro quo nunc portabat tam amaram pœnam, quia privatus erat nobili visione oculorum. Dicit ergo: *Perch' ello a me,* supple, Virgilius respondit, et dixit: ille spiritus de Romandiola, *conosce il danno,* idest, pœnam, *di sua*

---

(1) E. canticum.

(2) E. tetigit unum vitium.

maggior magagna, idest, culpa, quia maius vitium quod habuerit [1] in se iste Guido fuit invidia, ideo dicit: *e però non s' ammiri,* quia non debet quis mirari, *se ne riprende,* scilicet, nos homines, *perchè men sen piagna,* idest, ploretur hic, quasi dicat: ideo reprehendit nos, ut homo magis caveat invidiam, et per consequens minus puniatur. Et hic nota bene quod vere invidia præter istam pœnam [2] voluntariam, quam isti pœnitentes ferunt, habet semper pœnam suam secum. Cætera enim vitia habent secum aliquid voluptatis, sicut superbia, cui gloriosum videtur excellere; avaritia, quæ credit per divitias omnia commoda simul possidere; luxuria et gula nimis sensibilem afferunt delectationem, et ita de cæteris. Sola invidia non delectat, sed molestat suum possessorem; ideo bene quidam invidiam justissimam vocaverunt. Quid vero agat in alios patet, quia nititur expellere caritatem et amicitiam de genere humano, ut vult Tullius, sine quibus vita [3] humana durare non potest. Et ostendit Virgilius unde invidia oriatur, dicens: *perchè i vostri disiri,* idest humanus [4] appetitus, *s'appuntano,* idest, fundatur [5] et firmatur circa terrena, *ove,* idest, in quibus, *parte,* scilicet, aliqua, *si scema per compagnia;* quia quod est unius diminuitur si distribuatur in plures; ideo *invidia muove il mantaco ai sospiri,* idest, accendit et inflammat spiritum ad suspirandum et dolendum de bono quod videt alteri; et sic habes ex quo nascitur invidia. — *Ma.* Hic Virgilius ostendit quod contrarium accidit in rebus spiritualibus, dicens: *Ma se l' amor della spera suprema,* idest, cœli, *torcesse in suso il desiderio vostro,* scilicet ad superna [6], *non vi sarebbe al petto quella tema,* quia

---

(1) E. habuit.
(2) E. pœnam, quam voluntarie isti pœnitentes.
(3) 117, natura humana.
(4) 117 e E. humani appetitus.
(5) 117 e E. fundantur et firmantur.
(6) E. ad suprema.

non oporteret tunc timere diminutionem. Et assignat causam dicens: *chè,* idest, quia, *ciascun possede tanto più di bene, quanto si dice più nostro,* idest, quanto sunt plures possessores, *lì,* idest in cœlo. Ideo ostendit quod vera et perfecta caritas inimica invidiæ viget ibi, dicens: *e più di caritate arde in quel chiostro,* scilicet, in cœlo. Ex istis patet satis declaratio et glossa illius textus. — *Io.* Nunc poeta [1] Virgilio movet unam quæstionem, quæ videbatur sibi oriri ex declaratione facta per Virgilium, dicens: *diss' io: son più digiuno,* idest, magis vacuus, *d' esser contento,* quasi dicat: sum minus contentus ex responsione tua, *che s' io mi fosse pria taciuto,* idest, quam si non movissem tibi dubium; quia factus sum magis dubius quam certus ex verbis tuis. Unde dicit: *e più di dubbio nella mente aduno;* et ecce quomodo: *come puote esser ch' un ben distributo in più posseditor faccia più ricchi di se, che se da pochi è posseduto?* Gratia exempli: si habeo panem vel pomum meum, et ipsum divido in decem partes et distribuo inter decem homines, nonne ego fio pauperior, et res per partitionem suscipit [2] diminutionem? — *Et elli.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii, qui primo assignat causam huius dubitationis. Unde dicit: *Et elli a me,* supple, Virgilius dixit: *perocchè tu rificchi la mente,* idest, quia tu reflectis considerationem mentis, *pure alle cose terrene,* quæ sunt corporalia [3], *dispicchi tenebre,* idest, trahis dubitationem, *di vera luce,* ex [4] veritate quæ est clarior luce, si reflecteres mentem ad æterna spiritualia. Et declarat hoc de bono spirituali per unam comparationem nobilem et claram; et dicit breviter, quod Deus ita infundit radium suæ gratiæ in mentem hominis, sicut sol radium suæ lucis in speculum; sed plus et minus secundum capacitatem recipientium.

(1) E. poeta noster Virgilio.
(2) E. recipit.
(3) E. temporalia.
(4) E. idest ex veritate.

Dicit ergo: *quello infinito et ineffabil bene,* idest, summum bonum, scilicet, Deus, *che lassù è,* scilicet, in spera suprema eo modo quo expositum est in oratione dominica; vel non ponatur (1) in litera, sed dicatur: *che lassù così corre ad amore,* idest, descendit ad amantem, *come raggio viene a lucido corpo,* sicut ad speculum; et tamen speculum vel aliud corpus lucidum, quanto est lucidius tanto plus recipit de lumine; *tanto si dà,* scilicet, se fruendum beatis, *quanto trova d' ardore,* scilicet, caritatis. Unde dicit: *sì che l' eterno valore,* ipsius summi boni, *cresce sopr' essa carità quantunque si stende,* idest, tantum (2) quantum ista caritas se extendit ad amandum. Quod autem unum et idem bonum non diminuatur ex participatione multorum patet, quia una vox mea transit ad aures multorum scholarium, et doctrina mea diffunditur in mentes multorum auditorum, diversimode tamen pro qualitate ingeniorum, et tamen in me non minuitur, imo crescit, sicut memini me solitum dicere, cum facerem istam lecturam in Bononia. Et concludit: *e quanta gente più lassù s' intende,* idest, intenditur et multiplicatur in cœlo, vel intelligunt se invicem, *più v' è da ben amar e più vi s' ama;* quod declarat per comparationem, dicens (3): *e come specchio l' uno all' altro rende;* sicut si sint plura specula, quorum unum repræsentetur in alio. Et sicut videmus (4) quod una lucerna accendit mille et centum millia, et ita sapientia et fides. — *E se.* Hic ultimo Virgilius faciens finem, remittit Dantem ad judicium sapientioris, si forte minus sufficienter sit responsum. Unde dicit: *E se la mia ragion,* scilicet naturalis, *non ti disfama,* non (5) tollit tibi famem,

---

(1) E. non ponatur *è* in litera, et dicatur: *che.*
(2) S. in tantum quantum ipsa caritas.
(3) 177, propriam, dicens. (4) E. vidimus.
(5) E. idest, non tollit tibi famem, hoc est non satiat.

non satiat appetitum tuum, *vedrai Beatrice,* idest, speculaberis theologiam, ad quam pertinet ostendere fruitionem summi boni; ideo dicit: *et ella pienamente ti torrà questa et ciascun' altra brama,* idest, famem, scilicet dubitationem fidei. Et dat Virgilius optimum consilium perveniendi cito ad Beatricem, dicens: *procaccia pur che le cinque piaghe,* idest (1), plagæ, quæ sunt vulnera mortalia animæ, *tosto siano spente,* idest, mortificatæ, *come son già le due,* scilicet superbia et invidia, peiora cæteris. Et tangit modum purgationis, dicens: *che si richiudon,* idest, sanantur, *per esser dolente,* per veram pœnitentiam.

Come. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta noster describit unam suam visionem per quam docet vitare et præcavere vitium iræ per quædam memoranda exempla personarum, quæ cum haberent justam causam irascendi, usæ sunt clementia et benignitate magna: et primo continuans partem parti ostendit quomodo dispositus fuerit ad novam materiam, dicens: *Com' io volea dicer*, scilicet, Virgilio: *tu m' appaghe,* idest, quietas et contentas me, *vidimi giunto in su l' altro girone,* scilicet tertio, ubi punitur ira; et dicit: *sì che le luci vaghe,* idest, oculi avidi videndi novitates, *mi fer tacere;* et continuo clausi oculos et obdormivi. Unde dicit: *ivi,* in introitu circuli, *mi parve esser tratto di subito,* ex (2) insperato, *in una visione estatica,* idest, abstractiva. Extasis enim est quando mens est alienata non per revelationem, sed fortem imaginationem, quæ trahit et occupat eam sic totam, quod aliud non operatur. Et primo occurrit menti suæ abstractæ illa laudabilis moderatio animi Mariæ, quæ cum per triduum quæsisset filium, tandem, illo invento, non sicut fecisset alia mulier exarsit (3) in iram,

(1) 117, idest, peccata, quæ. (2) 117, ex inspectato.

(3) E. excussit in iram, non tamen clamavit, nec blasphemavit, nec vindictam comminavit, imo suavi voce benigne dixit: fili.

non clamavit, non blasphemavit, non minata est vindictam; imo benigne dixit voce suavi: fili, quid fecisti? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te etc. Dicit ergo: et videbatur mihi, *veder,* in illa visione extatica, *più persone,* sicut sacerdotes et seniores cum quibus Christus disputabat, *in un tempio,* scilicet, Jerusalem, ut scribitur Lucæ II capitulo; *et una donna,* scilicet, Maria, *in su l' entrar,* illius (¹) templi, *con atto dolce di madre,* non iratæ, *dicer,* Christo, *figliuol mio, perchè hai tu così verso noi fatto?* dando nobis dolorem. Unde dicit: *ecco lo tuo padre,* scilicet, Joseph, *et io dolenti ti cercavamo;* et dicit: *e come quella tacque,* scilicet, Maria, *ciò che pareva prima,* scilicet, templum, personæ, Christus, *disparío.* — *Indi.* Hic poeta describit aliam mulierem quæ per contrarium Mariæ irata petebat vindictam; sed vir eius magna moderatione placavit eam; et recte procedit poeta. Poterat enim dicere aliquis iracundus: non possum exemplo Mariæ continere me ab ira; ideo statim adducit exemplum de homine peccatore et pagano. Ad cuius cognitionem est præsciendum quod, sicut patet apud Tullium et Valerium et multos alios, Pisistratus fuit civis atheniensis magnus philosophus et orator, qui mirabili eloquentia et fraude sua pervenit ad tyrannidem Athenarum, quam tenuit triginta quatuor (²) annis cum odio principum et amore plebis, ut scribit Justinus; cuius filiam pulcerrimam, cum mater secum duceret, quidam adolescens ardens eius amore occurrens ei in via dedit illi osculum, propter quod uxor magis accensa ira, quam juvenis amore, accessit ad virum petens de tam insana temeritate vindictam. Pisistratus autem justam iram mulieris jocundo scommate mitigavit. Dixit enim subridens: quid faciemus hostibus nostris si pu-

(¹) S. scilicet, illius templi.   (²) E. 24 annis.

niemus nos amantes? Dicit ergo: *Indi,* idest, deinde post Mariam, *m' apparve,* in eadem visione, *un' altra,* scilicet, domina uxor Pisistrati, *con quell' acque,* idest, lacrymis, *giù per le gote;* dolebat enim aliter quam Maria, ira (1) et indignatione, ideo dicit: *che 'l dolor distilla,* quia dolor extorquet lacrymas ab oculis præcipue, *quando per gran dispetto in altrui nacque,* scilicet, ille dolor. — *E dire.* Hic poeta ponit orationem mulieris ad virum, qua persuadet vindictam iniuriæ; unde dicit: *E dire,* supple, videbatur illa domina: *O Pisistrato, vendica te di quelle braccia ardite ch' abbracciar nostra figlia.* Et probat quod (2) debet facere, et facit faciliter vindictam, quia dominus potentissimus nobilissimæ civitatis Athenarum, cuius excellentem nobilitatem tangit duplici argumento; primo a nominis impositione miraculosa; secundo a studio scientiarum. Et ad huius literæ intelligentiam volo te notare, omissis fabulis, quod Augustinus scribit XVIII de Civitate Dei, quod regnante rege Cecrope civitas Athenarum condita vel restaurata fuit, quæ sic denominata est a Minerva, quæ græce Athena dicitur. Et huius (3) rei causam assignat secundum Varronem; nam tempore Cecropis duo prodigia stupenda apparuerunt. Unum, quia in uno loco subito nata est arbor olivæ ex terra; * in alio aqua subito erupit ex terra * (4): quibus prodigiis rex motus misit ad Apollinem Delphicum ad explorandum quid esset intelligendum, et quid agendum. Ille respondit quod oliva significabat Minervam, aqua Neptunum; et quod erat in potestate civium, a quo nomine duorum deorum civitas potius vocaretur. Cecrops, audito responso (5), statim omnes cives utriusque sexus

(1) 117, ex ira et indignatione.
(2) 117, quod debeat et possit facere faciliter vindictam.
(3) E. huius rationem assignat.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri Codici.
(5) E. responso Apollinis, statim.

convocavit ([1]) ad consilium. Mos enim erat tunc in illis partibus quod feminæ intererant publicis consiliis: et breviter masculi pro Neptuno, feminæ pro Minerva dederunt voces suas. Sed quia una plus inventa est feminarum Minerva obtinuit victoriam. Tunc Neptunus iratus inundatione maris vastavit terras atheniensium, quia facile est dæmoni ([2]) effundere latius omnem aquam: cuius ut ira placaretur, athenienses statuerunt ne mulieres de cætero ad suffragia populi vocarentur, et ([3]) ut nullus filius haberet nomen matris, et ([4]) nulla femina vocaretur Athena. Dicit ergo uxor Pisistrato viro suo, ut magis moveat ([5]) eum: *se tu se' sire,* idest, dominus; si pro quia, *della villa,* nobilissimæ ([6]) civitatis Athenarum, *del cui nome ne' Dei fu tanta lite,* inter Neptunum et Palladem: hanc litem tangit Ovidius in VI Maioris, ubi fingit, quod Pallas hasta sua percussit terram et subito nata est oliva. Neptunus vero virga sua percussit terram et subito nata est aqua. Sub hac fictione quidam volunt quod allegorice intelligatur quod magnum certamen fuit inter sapientes illius urbis, an civitas esset magis nobilitanda et honestanda vel ex studio philosophorum, vel ex lucro mercatorum; et tandem obtentum est, quod dignitas huius urbis potius erat in sapientia quam in opulentia. Ideo dicit: *ed onde ogni scienzia disfavilla.* Unde Augustinus ibidem dicit: Ita illa civitas mater aut nutrix liberalium doctrinarum, et tot et tantorum philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius et nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite deorum suorum masculi et feminæ de victoria feminæ, per feminas accepit nomen Athenas, et offensa a Deo victo compulsa

---

([1]) E. vocavit.
([2]) E. dæmoni, non prohibente omnipotente, effundere.
([3]) E. et quod nullus.
([4]) E. et quod nulla.
([5]) E. removeat.
([6]) 117, idest, nobilissimæ.

est punire victoriam Deæ victricis, plus timens aquas Neptuni quam arma Minervæ. Ecce quam pulcre Augustinus mordet dementiam illorum sapientum. Plato (1) agebat gratias naturæ de quinque, scilicet, quod genuerat eum hominem non brutum; marem non feminam; græcum et non barbarum; atheniensem non thebanum; et quod ætate Socratis a quo instrueretur. Et hic nota quod loco istius feminæ græcæ, quæ irata petebat vindictam de hoste a marito, poterat convenientius poni post Mariam mulier romana, scilicet Livia uxor potentissimi hominum Augusti, quæ benignissima nobiliter persuasit viro volenti sumere supplicium de coniuratis, ut more medicorum mutaret remedia, et uteretur clementia et non ira; quo facto Augustus ex inimicis capitalibus fecit sibi optimos amicos. — *E 'l signor.* Hic poeta ponit responsionem Pisistrati ad uxorem, dicens: *E 'l signor mi parea risponder lei,* scilicet, uxori, *benigno e mite,* idest, humilis, *col viso temperato: che farem noi,* idest, facere debebimus, *a chi mal ne desira,* scilicet, hostibus odientibus nos, *se quei che ci ama,* sicut iste juvenis, *è per noi condannato?* Et hic nota, quod Pisistratus non solum in isto casu, sed in multis aliis usus est humanitate et clementia; nam dum semel in mensa quidam amicus vino gravatus expuisset in faciem suam, et famuli astantes vellent illum trucidare, Pisistratus omnino prohibuit: et cum ille post ebrietatem recognoscens errorem suum vellet se occidere, Pisistratus benigne consolatus est eum promittens sibi impunitatem et primam amicitiam. — *Poi.* Hic poeta, posito exemplo clementiæ viri peccatoris, adducit exemplum (2) viri sancti, scilicet, Stephani protomartyris, qui non solum non petebat vindictam ex ira, sed rogabat veniam pro (3) ma-

(1) 117, Plato autem agebat.
(2) 117, aliud exemplum.
(3) E. pro macerantibus eum in suppliciis. Ille enim.

ctantibus eum. Iste enim Stephanus, ut habetur in Actibus Apostolorum, post mortem Christi plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa in Jerusalem; sed cum quidam de synagoga disputantes secum non possent resistere sapientiæ eius, introduxerunt duos falsos testes, qui accusarent (1) eum de blasphemia in Deum et Moysem. At ille faciens altam commendationem de Deo et Moyse purgavit se a crimine obiecto, et cœpit increpare eos. At illi stridebant dentibus in eum; ille autem intuens in cœlum dixit: Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem ad dexteram Dei. Tunc exclamantes clauserunt aures (2) suas quasi abhorrentes audire blasphemiam, et duxerunt (3) eum extra synagogam et lapidaverunt eum; positis autem genibus exclamavit (4), dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum; et cum hoc dixisset obdormivit in Domino. Ad literam ergo: primo poeta tangit iram judæorum, dicens: *Poi vidi,* in eadem visione, *genti accese in fuoco d' ira,* nam ira est accensio sanguinis circa cor, *ancider forte un giovenetto,* scilicet, Stephanum, *con petre;* unde Arator poeta dicit, quod illa gens saxea oppressit eum lapidibus; sed ille per lapides adhæsit petræ, idest, Christo, et dicit: *gridando a se pur: martìra, martìra,* exhortantes se invicem. Et tangit moderationem Stephani, dicens: *e vedea lui,* scilicet, juvenculum, *chinarsi già in vêr la terra,* cum corpore, *per la morte che l' aggravava,* sub multitudine lapidum; *ma degli occhi facea sempre al ciel porte;* non immemor mandati Domini (5), qui præcepit orari pro persequentibus nos. Unde dicit: *orando l' alto sire,* idest, Deum, aliter quam mulier rogabat paulo ante dominum Athenarum,

---

(1) E. accusaverunt. (2) E. aures eorum quasi.
(3) E. adduxerunt eum extra civitatem et lapidaverunt.
(4) E. idem exclamavit.
(5) E. Domini nostri Jesu Christi Redemptorisque pretiosissimi, qui præcepit.

in tanta guerra; istud bellum erat injustum nimis [1], quia mille impii feriebant, et solus justus sustinebat; *che perdonasse ai suoi persecutori,* et hoc faciebat, *con quello aspetto,* scilicet, benigno, *che pietà disserra,* idest, aperit; quia maiori miseratione indigent facientes, quam patientes iniuriam. Et hic nota quam mirabilem effectum habuit sanctissima oratio, quia Paulus conversus est ad fidem precibus Stephani, qui fuit tantus pugil fidei christianæ, et tam probiter cum ense defensavit eam contra hostes.

Quando. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta noster describit interpretationem suæ visionis; et primo ostendit qualiter ipse excitatus recognovit suam veram visionem. Dicit ergo: *Quando l'anima mia,* quæ prius erat tota collecta interius et abstracta, *tornò di fuori alle cose che son fuor di lei vere,* quasi dicat, ad sensibilia, quia prius viderat imaginaria, *io riconobbi i miei non falsi errori.* Ista litera videtur multis obscura; sed poeta vult sententialiter dicere, quod licet non esset verum eum sic videre illa prout sibi videbatur videre, nihilominus verum erat ea fuisse ita vera, sicut visum fuerat sibi videre in illa visione extatica. Vult ergo dicere: recognovi veram visionem meam statim cum evigilavi. — *Lo duca.* Hic poeta fingit, quod cum post evigilationem iret adhuc quasi somnolentus et vinolentus, Virgilius inquisiverit de causa talis incessus; unde dicit: *Lo duca mio,* scilicet Virgilius, *che mi potea vedere,* et videbat, *far sì com' uom che da sonno si slega,* idest, dissolvitur et excitatur nuper a somno, *disse: che hai che non ti puoi tenere?* Aliud cogitamen natum ex illa visione totum conturbaverat poetam et merito, ut statim audies; dicit ergo: *ma se' venuto più che mezza lega,* idest, per

---

(1) E. nimis; mille enim impii.

milliare cum dimidio, quia leuca communiter continet tria milliaria, *velando gli occhi,* quos non potes tenere * apertos, *e con le gambe avvolte,* quæ non potes tenere * ([1]) recta; et dicit: *a guisa di cui vino o sonno piega,* qui non valet se substinere. Et ponit ([2]) responsionem suam ad Virgilium, dicens: *diss' io: o dolce padre mio, se tu m' ascolte, io ti dirò ciò che m' apparve,* in visione quam feci, *quando le gambe mi furon sì tolte,* sicut tu vides, quia amisi omnes vires corporis ex magna perturbatione animi. Et hic nota quod poeta noster subtiliter fecit ([3]) istam fictionem: fingit enim se ita fessum et fatigatum ista visione, qua debebat potius esse vigoratus contra impetum iræ, ut per hoc det ([4]) intelligi, quod ira quæ est appetitus vindictæ, est ita naturalis homini, quod Homerus dixit, quod ira est dulcior melle distillante. Durissimum ergo videbatur sibi quidquid viderat in fictione illa, scilicet, quod deberet more Mariæ se habere ad filium, quando esset provocatus ad iram; et quod deberet more Pisistrati remittere iniuriam factam in filiam suam; et quod more Stephani deberet parcere dantibus sibi innocenti mortem, quia increparet illos juste. Certe videbatur sibi difficilius parcere offendenti, quam superbos humiliari, et invido misereri. Ipse enim aliquando appetiverat vindictam, quod maxime faciunt florentini; et vere ita videtur difficile homini parcere, quod multi constituti in articulo mortis, cum in cæteris essent bene dispositi, nulla ratione vel persuasione potuerunt inclinari ad parcendum. Sic ergo vide quod istud capitulum est valde subtile in multis passibus suis. — *Et ei.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad se, qui dicit se nosse intrinseca secreta cordis eius. Dicit ergo: *Et ei,* supple,

([1]) Le parole fra i due asterischi sono degli altri Codici.
([2]) E. Et ponit rationem suam. ([3]) 117, facit.
([4]) E. detur intelligi.

Virgilius dixit, non expectans ulterius narrationem meam: *se tu avessi cento larve,* idest, coperturas, *sopra la faccia;* est enim larva illa figura, sive simulacrum quod apponitur faciei, ad celandam notitiam hominis, ad terrendum pueros, *non mi sarien chiuse,* idest, ignotæ, *le tue cogitazion, quantunque parve,* idest, occultæ et absconditæ. Et continuo Virgilius interpretavit visionem, dicens: *ciò che vedesti,* in illa abstractione mentis, *fu perchè non scuse d' aprir lo cuore,* idest, ne recuses disponere animum induratum odio, *all' acque della pace,* quam offert tibi Deus si parcis alteri: unde dicit, *che son diffuse dell' eterno fonte,* idest, Deo, quasi dicat breviter: quidquid vidisti admonet te parcere, si vis habere pacem cum Deo qui parcat tibi; an tu quia es nobilis non vis inclinari ad id ad quod sæpe inclinabatur Cæsar Augustus, et semper Julius Cæsar? Et hic nota quod licet parcere videatur propria virtus sanctorum, tamen est etiam mos magnanimorum, ut scribit philosophus II Rhetoricorum; unde Cæsar in hoc præbuit exemplum magnanimitatis cui aliud non possit comparari. Nam cum in Thessalia essent præsentatæ sibi capsæ epistolarum et omnium scripturarum Pompei subito cremari fecit et nihil legit: simile fecit in Africa de literis Scipionis soceri Pompei, sicut scribit Plinius VII naturalis historiæ. — *Non.* Hic Virgilius respondet quæstioni tacitæ; quia enim Dantes poterat dicere: Si ergo tu sciebas causam intrinsecam meæ turbationis, quare petebas quid haberem? Ad quod respondet Virgilius, quod non ex ignorantia sed ad confirmandum ipsum et monendum [1] quod disceret parcere. Et litera videtur valde obscura; sed sententialiter Virgilius vult dicere quod non petivit propter illud propter quod petit ille qui videt tantum cum oculo cor-

---

[1] E. et admonendum.

porali, sed propter [1] illud propter quod petit ille qui videt tantum cum oculo spirituali. Qui enim videt cum oculo corporali tantum solet petere de intentione animi ut certioretur; qui vero videt cum oculo spirituali, et cognoscit dispositionem intrinsecam, non petit [2] ad certiorandum se, sed ad confirmandum hominem in rebus dubiis. Ad literam ergo: dicit Virgilius: *Non dimandai, che hai, per quel che face,* idest, propter illam causam propter quam petit homo mortalis in corpore vivens, *chi guarda pur con l' occhio,* scilicet, corporali, *che,* idest, qui oculus, *non vede quando il corpo,* scilicet, humanum, *giace disanimato,* idest, mortuum; quia post mortem oculus hominis non videt, sed spiritualis sic. Unde dicit: *ma dimanda'ti per dar forza al piede,* qui tremebat, et timebat intrare locum ubi purgatur ira, ubi oportet quod homo remittat iniurias et offensas, et abiiciat appetitum vindictæ. Unde vide, quod licet ratio suaderet istum introitum, tamen passio dissuadebat, et dicebat: volo potius ire per omnem viam inferni, quam per istam. Unde dicit: *così conviensi frugare,* idest, stimulare et pungere, *i pigri, lenti,* qui sunt tardi ad pœnitentiam quando steterunt diu in somno peccati, *ad usar lor vigilia quando riede,* idest, quando excitantur et disponuntur ad pœnitentiam; ita quod Virgilius in illa petitione sua pupugerat ipsum tacite, quasi diceret: ah canis inhumane, quare es tardus ad parcendum? — *Noi.* Hic ultimo poeta claudens capitulum tangit materiam sequentis capituli, quæ est de pœna iracundorum, et primo tangit suum processum, dicens: *Noi andavam per lo vespero attenti,* ad novam et fortem materiam, *oltre, quanto potèn gli occhi allungarsi, contra i raggi,* scilicet, solis, *serotini e lucenti,* quia fiebat sero, et sol tendens ad occasum recte

(1) E. sed propter quod petit. (2) 117, petit certificandum se, sed.

feriebat faciem; *et ecco un fumo farsi,* in quo puniuntur iracundi, *verso di noi,* a simili, *oscuro come notte,* et quod erat peius, *nè era loco,* scilicet aliquis, *da cansarsi da quello,* idest, declinandi ab illo fumo, divertendo ad aliam partem pro vitando ipsum. Et ecce effectum fumi: *questo ne tolse gli occhi e l' aire puro;* quia abstulit nobis conspectum solis et omnium rerum. Quid sit iste fumus et quid importet patebit in sequentibus.

CANTUS DECIMUS SEXTUS, *in quo tractat de iracundis sub titulo cuiusdam vocati Marci, qui cum eis multa dixit circa facta liberi arbitrii, et sicut adsignavit rationem quod propter discordiam paparum imperatorum destructus est mundus.*

Buio d' inferno o di notte privata. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster docuit vitare vitium iræ, nunc consequenter in isto capitulo XVI agit et tractat de generali pœna, qua purgatur istud vitium in tertio circulo purgatorii. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum describit generalem pœnam iracundorum, ut dictum est. In secunda introducit unum singularem spiritum modernum, qui fuit maxime promptus ad iram, ibi: *Or tu chi se'*. In tertia movet altissimam quæstionem dicto spiritui, qui nobiliter (1) solvit illam, ibi: *Et io a lui*. In quarta et ultima describit mutationem morum modernorum lombardorum, ibi: *In sul paese*. Ad primum veniens dico, quod poeta describit (2) pœnam iracundorum. Ad cuius intelligentiam est bene notandum, quod poeta adinvenit decentem modum purgandi iracundiam. Fingit enim quod isti purgantur in uno fumo densissimo, nigerrimo, amarissimo; ita quod nullus potest videre, aut discernere quidquam in eo. Modo ad propositum, fumus oritur ex igne, et ira est quidam ignis, quia est accensio sanguinis circa cor. Sicut ergo non potest esse ignis sine fumo, ita nec ira sine (3) fuscatione mentis. Ille ergo qui vult subtiliter (4) purgari ab isto vitio nocentissimo iræ debet puniri (5) in fumo, idest, de-

(1) E. qui notabiliter solvit.
(2) 117, describit primo pœnam.
(3) E. sine suffocatione mentis.
(4) 117, salubriter.
(5) E. purgari.

bet [1] imaginari diligenter naturam et proprietatem huius vitii, quod ita extinguit lumen rationis et fumigat [2], quod homo alienatur mente et incurrit furorem ferinum, quia in ira crudelius homo hominem, quam fera feram lacerat, ut plene ostensum est in inferno, ubi punitur ira. Nunc ad literam: dicit quod nunquam poeta vidit obscuritatem similem isti; et sententialiter vult dicere, quod per totum tempus quo stetit in inferno, cuius circuli sunt omnes tenebrosi, et per totum tempus quo stetit in mundo nunquam vidit tenebram similem huic. Ad literam ergo dicit poeta: *Buio,* obscuritas, *d' inferno,* qui est semper et ubique obscurus, plus tamen et minus; unde ibi est fumus paludis stygialis frigidæ et humidæ, ibi est fumus arenæ ardentis calidæ et siccæ, ibi est fumus nigræ picis et serpentum, ibi fumus tot ignium, *o di notte,* nox est de se naturaliter semper obscura propter subtractionem luminis solaris et superinductionem umbræ terræ, sed maxime quando non sunt sydera fulgentia cœlo. Ideo bene dicit, *privata,* quantum ad aspectum nostrum, *d' ogni pianeta,* et potissime luna quæ, quia vicinior est terræ, tamquam alter sol illuminat mundum de nocte; ideo bene dicit: *sotto povero cielo,* quantum in apparentia, quia cœlum, quod est ditissimum tot gemmis lucentibus, tunc videtur pauperatum quando apparet privatum pretiosissimis ornamentis suis. Et ostendit in supremo gradu, dicens: *quanto esser può,* aliqua nox existens privata, *di nuvol tenebrata,* scilicet, nube vel nebula densissima, obscurissima; tale inquam burum, *non fece al viso mio sì grosso velo,* idest, non ita velavit videre meum; et signanter dicit grossum, quia velum quod supponitur [3] oculis solet esse subtile et leve, ut non impediat totaliter visum; istud autem

---

(1) E. debet diligenter considerare et imaginari naturam.

(2) E. subfumigat. (3) S. superponitur.

erat grossum et grave, non permittens oculum [1] fungi officio suo; et quod plus est: *nè di così aspro pelo a sentire;* et dicit bene, quia velum solet habere pilum mollem et levem [2], ut non lædat oculum nobilem; sed velum istud habebat pilum durum et asperum nimis, ita quod durum erat et videre et sentire fumum istum quem nunc intraturi erant; unde dicit: *come quel fumo,* in quo puniuntur iracundi. Et hic nota quod poeta convenientissime hoc fingit, quia vere nullum peccatum perpetratur in mundo inter viventes, aut punitur in inferno inter mortuos, quod tantum obfuscet oculos mentis, sicut ira; ideo bene posuit in inferno, quod iracundi lacerant se invicem crudeliter et dentibus detruncant. — *Chè l' occhio.* Hic poeta ostendit per effectum vehementiam istius fumi acerbi, quia coactus est necessario claudere oculos: unde dicit: *Chè l' occhio,* scilicet intellectualis, *stare aperto non sofferse:* et bene dicit, quia fumus iræ ita confundit animum quod non potest [3] cognoscere veritatem, juxta illud Ovidii: *Ira virum memorem non sinit esse sui;* quia nimis recedit a ratione homo iratus. Et ob hoc subdit subitum et sanum consilium Virgilii in tanto errore: quia enim iste novus poeta non poterat sequi Virgilium, quem non poterat videre propter fumum, ideo statim Virgilius venit ad eum, ut ille adhæreret sibi; unde dicit: *onde la scorta mia,* idest Virgilius, qui me scortabat, *saputa e fida,* idest sapiens et fidelis, quia Virgilius sapiens bene sciebat ire per istum fumum, quia videbat sine læsione, et fideliter gerebat curam de commisso sibi in ista via, *mi s' accostò,* ubi primo erat parum separatus ab eo præcedens eum, *e l' omero m' offerse,* idest, obtulit mihi spatulam, sicut videns facit cæco, quasi dicens tacite, quod per istam viam tenebrosam,

---

(1) E. oculos. (2) E. lenem. (3) E. potest bene cognoscere.

et periculosam oportet ire ductu rationis, quæ repræsentatur per Virgilium. Et hic nota quod sub ista pulcra fictione poeta admonet hominem turbatum ira sequi vestigia et exempla magnorum sapientum præcedentium; sicut Plato qui post longam peregrinationem, in qua visitaverat magnos sapientes Ægypti, Italiæ et Siciliæ, reversus tandem in patriam (1) inveniens bona sua vastata negligentia villici, noluit tunc exigere pœnam de eo sentiens se iratum. Et Archita philosophus tarentinus a quo Plato multa didicerat, cum iratus jam vellet percutere famulum retraxit manum, et commisit correctionem alteri, ne excederet modum per iram quæ est initium furoris; et ita de multis. Ergo bene vult dicere Virgilius: fili mi, si vis omnia regere, te subiice rationi. — *Sì come.* Hic poeta ostendit quomodo prudenter paruit præcepto Virgilii, quia statim adhæsit sibi, per unam comparationem optimam quæ est de se clara; unde dicit: *M' andava io,* post terga Virgilii firmatus sibi, *per l' aere amaro e sozzo,* talis recte est ira quæ amaricat animum et deformat corpus, ut pulcre ostendit Tullius in Tusculano, et Seneca in suo de ira; et vere terribile et turpe nimis est videre hominem fulminantem in iracundia sua, a simili, *sì come cieco va dietro a sua guida,* pro salute sua, *per non smarrirsi,* idest, ne exorbitet a via recta, vel quod peius esset, *per non dar di cozzo,* idest, ne incutiat improvide, *in cosa che 'l molesti,* sicut in lignum vel in ferrum, quod concutiat sibi faciem, *o forse ancida,* sicut in equum vel in taurum iratum. Et sic nota qualiter poeta noster propriissime vocat iratum cæcum: vere enim iratus est cæcus et plusquam cæcus; cæcus (2) enim licet perdat visionem corporalem, non tamen perdit mentalem, imo magis intenditur in

---

(1) E. in patriam suam inveniens.

(2) E. quia cæcus licet.

ea; iratus vero licet retineat lumen corporis, tamen perdit lumen rationis. Cæcus etiam incurrit damnum vel mortem ignoranter et dolenter; sed iratus ferit et occidit alios et se scienter et libenter propter appetitum vindictæ, sicut scribit Livius de Romanis, qui cum tanta ira et odio pugnaverunt contra Samnites, a quibus receperant ignominiosam iniuriam, quod oculi eorum visi sunt ardere in prœlio, et post victoriam furiose interficiebant equos et alia animalia. Et dicit: sic ibam, *ascoltando il mio duca,* scilicet Virgilium, qui velut bonus dux non contentus accommodasse mihi humerum admonebat me verbo; unde dicit: *che dicea,* fili mi, *pur guarda, che da me tu non sii mozzo;* quasi dicat: cave ne ira violenta quoquo modo separet te a me, quia faciliter (1) et cito posses perdere me, et tarde vel nunquam reinvenire.—*Io sentia.* Nunc poeta describit orationem devotam iracundorum, et clare dicit, quod petebant et repetebant *Agnus Dei:* sed dices forsan, lector, quare hoc (2)? Dico, quod non sine magno ministerio hoc fingit. Ad quod volo te scire, quod, sicut scribit philosophus II Rhetoricorum, multi sunt modi quibus potest placari iratus, inter quos unus est potissimus (3), quando ille qui fecit iniuriam humiliat se iniuriam passo, et veniam petit: unde dicit, quod ad humiliatos cesset ira, canes ostendunt qui non mordent inclinantes se sibi. Modo ad propositum isti iracundi petunt veniam humiliantes se Agno Dei, quem provocaverant ad iram irascendo; qui Agnus non est iratus inferentibus sibi ludibrium et supplicium, imo rogabat pro illis. Dicit ergo: *io sentia voce,* nec videbat facientes eam; et ecce formam orationis: *e ciascuna parea pregar per pace e per misericordia,* quæ sunt contraria iræ, *l'Agnel di Dio,* scilicet Christum, qui vere

(1) E. facilius et. (2) E. hoc est? Dico.
(3) E. potentissimus, scilicet quando.

Agnus Dei innocens immaculatus humillime permisit se duci ad victimam ad placandam iram Patris inveteratam cum sanguine suo: ideo dicit: *che le peccata leva,* scilicet hominum non sua; et tangit modum orationis quam cantabant, dicens: *pure Agnus Dei eran le loro esordia,* idest, principia captantia benevolentiam, et inducentia Deum ad commiserationem (¹). Et subdit: *una parola era in tutti e un modo,* quia quærunt unus liberationem alterius, ubi quærebant destructionem in vita; unde dicit: *sì che parea tra esse ogni concordia;* ubi olim erant inter se discordes, imo irati sunt repugnantes sibi ipsis. Deinde poeta ostendit quomodo certioraverit (²) se de istis et eorum purgatione, dicens: *diss' io, maestro,* o Virgili, *quei sono spirti che odo,* quos cognosco per verba, licet non videam eos. Et tangit responsionem Virgilii, dicens: *et elli a me,* scilicet, Virgilius dixit, *tu vero apprendi,* scilicet, quod sint spiritus, sed tamen ignoras qui sint, sed dicam tibi, *e d' iracondia van solvendo il nodo,* idest, vadunt solvendo et liberando se per pœnitentiam ab iracundia, quæ vere est fortis nodus ligans hominem, ita quod non habet libertatem sui, et est iracundia ira inveterata.

Or tu chi se'. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta noster introducit unum singularem spiritum modernum purgantem iracundiam suam, qui sentiens poetam vivum petit ab eo cum admiratione quis sit. Dicit ergo: *Così per una voce,* ista vox erat Marci Lombardi, *detto fu: or tu chi se',* qui dicis nos esse spiritus, et sic non videris esse spiritus, *che 'l nostro fumo fendi,* scilicet, cum corpore, quod cæteri spiritus non faciunt, *e di noi parli,* antequam (³) mortuus, *pur siccome tu partissi ancora il tempo per calendi?* Quasi dicat, velut si viveres

(¹) 117, misericordiam et miserationem. (²) E. certiorarunt se.
(³) E. tamquam mortuus.

adhuc in vita corporali, nam mortui non dividunt tempus, quia tempus non currit eis; sed viventes sic, nam dividunt [1] mensem per kalendas, idus et nonas juxta illud: *sex nonas maius, october, julius* [2] *et mars: quatuor at reliqui, tenet idus quilibet octo.* Sic ergo vide quod iste Marcus fuerat suspicatus poetam esse vivum, tum quia senserat motum aeris fumosi grossi, quem cum corpore faciebat; tum quia audiverat modum loquendi, quia dixerat illos spiritus esse quos audiebat, et sic videbatur excludere se a numero illorum. Et subdit præceptum Virgilii, sine cuius licentia nihil facit, dicens: *onde il maestro mio,* Virgilius magister bene loquendi, *disse: rispondi;* et dicas sibi quis es, quia hic est spiritus dignus loqui tecum, *e dimanda se quinci si va sue;* ne iremus errando per istum fumum obscurum, cum intendamus per viam rectam semper ire sursum, donec perveniamus ad culmen montis. — *Et io.* Hic poeta ponit responsionem suam ad illum spiritum, et primo præmittit exordium faciens illum benevolum et attentum, promittens se dicturum de re magna et mirabili. Dicit ergo: *et io,* supple, respondi: *o creatura,* idest, anima creata a Deo, *che ti mondi,* a macula iræ, quæ sæpe fecit te turpem in vita, sicut proprium est iræ, ut jam dictum est paulo ante, *per tornar bella,* qualis tu fuisti a principio, *a colui,* scilicet Deum, qui est pulcerrimus in se; *che ti fece,* de nihilo, *meraviglia udirai,* idest, rem mirabilem et inauditam, *se mi secondi,* idest, si sequeris [3] me eundo, quia nolo remorari ne perdam tempus. Et subdit responsionem illius animæ ad se, quæ facta avida novitate rei promittit se secuturam eum quantum poterit. Unde dicit: *io te seguiterò,* idest, sequar te, *quanto mi lece,* scilicet, quantum durat fumus, quia non licet mihi exire

[1] E. dividunt tempus per kalendas, menses et per dies et per nonas.
[2] E. *junius.* [3] E. si sequaris.

circulum istum usquequo sim omnino mundatus ab ira; et dicit: *e se 'l fumo veder non lascia,* scilicet, alter alterum, quod esset certius argumentum, tamen, *l' udir ci terrà giunti in quella vece,* quasi dicat, licet non possim sequi te coniuncte, sicut tu sequeris alium, quia non video te, tamen sequar vocem tuam, et ita erimus continuo satis propinqui. — *Allora.* Hic poeta facit narrationem suam cum petitione, dicens: *Allora incominciai,* supple, dicere illi avide expectanti, *men' vo suso,* scilicet, ad cœlum per purgatorium, *con quella fascia,* scilicet carne, et est propria transumptio: sicut enim debilis fascia ligat et tegit infantulam, ita caro fragilis animam, quæ quidem caro faciliter dissolvitur, sicut fascia, et putrescit inter sordes sicut fascia. Unde dicit: *che la morte dissolve,* scilicet, omnino resolvit; nam et ante mortem paulatim rumpitur et consumitur: et sic dixi quod sum vivus; et addit aliud, dicens: *e venni qui,* ad istud purgatorium, *per infernal ambascia,* idest, laborem et angustiam maiorem quam iste sit, quasi dicat: * non mireris si vado vivus per purgatorium, quia jam ivi per infernum, ac si dicat * (1): habeo jam cognitionem vitiorum quæsitam magno labore in inferno, nunc intendo habere purgationem eorum in purgatorio. Et facit suam petitionem adiurans eum per illam singularem gratiam quæ est sibi concessa, dicens: *e se Dio,* si, pro quia; quia sine gratia Dei non poteram cum omni auxilio et consilio Virgilii facere tam sacrum opus, *m' ha in sua grazia richiuso,* me singularissime admittendo ad suam benignam gratiam, *tanto, ch' e' vuol ch' io veggia la sua corte,* idest, quod vivus ascendam in cœlum, *per modo tutto fuor del moderno uso,* scilicet, per poeticam speculationem; imo nullus antiquorum nedum modernorum ascendit unquam

(1) Le parole fra i due asterischi sono dei Codici S. e 117.

cœlum, eo modo quo hic singularis poeta. Et petit duo dicens: *non mi celar chi fosti anzi la morte,* quasi dicat: dixi tibi quod sum adhuc vivus inter mortuos; sed tu dic mihi, rogo, quis fueris inter vivos, *ma dilmi,* sed dic mihi clare, *e dimmi s' io vo bene al varco,* idest, et si recte vado ad viam meam, et est secunda petitio: et dicit: *e tue parole fian le nostre scorte,* quia nos ambulabimus secundum sermonem tuum, quia non habemus alium ducem in isto fumo. — *Lombardo.* Nunc poeta ponit responsionem illius spiritus ad utramque petitionem; et primo ad primam, videlicet quis fuerit. Et ad huius primæ plenam responsionis intelligentiam est præsciendum, quod iste Marcus Lombardus, qui loquutus est nunc cum poeta et loquetur usque in finem capituli, fuit quidam miles curialis de nobili civitate Venetiarum, qui (1) non more nebulonum modernorum vacabat rebus obscenis, sed honestis. Fuit enim vir nobilis animi, claræ virtutis, sed facilis iræ et indignantis naturæ. Audivi autem nobilem indignationem de homine isto, qualis reperitur in nobilibus ingeniis. Nam cum semel esset captus, et imposita sibi immensa tallia ultra posse, misit per nuntium suum ad dominum Rizardum de Camino, tunc dominum Tarvisii, rogans suppliciter, quod non permitteret eum mori in angustia carcerali. Qui misertus indignæ sorti amici, statim scripsit multis dominis lombardis (2), in quorum curiis Marcus (3) erat solitus conversari, quod deberent conferre redemptioni eius liberaliter. Quo audito Marcus magnanimiter indignatus, remisit continuo nuntium ad dominum Rizardum, dicens, quod volebat potius mori in captivitate, quam esse servus tot et tantorum. Tunc dominus Rizardus pudore confusus, damnans vilitatem suam, solvit de propria pecunia summam,

(1) E. quia non. (2) S. Lombardiæ. (3) E. Marcus ipse erat.

et liberavit Marcum. Ad literam ergo, dicit poeta [1]: et ille spiritus describens se a prænomine, proprio nomine, et virtute, *così rispose,* sub tam curiali forma verborum: *Lombardo fui.* Et hic nota, quod iste denominat se a gente, quia fuit de Lombardia inferiori, quæ dicitur Marchia Tarvisana; vel dic et melius, quod denominatus est Lombardus, quia familiariter conversabatur cum dominis Lombardiæ tempore suo, inter quos tractabat sæpe concordias [2], paces, affinitates, et confœderationes: aliquando etiam transibat Apenninum in Tusciam. Unde audisti alibi, qualiter prophetavit comiti Ugolino tyranno Pisarum iram Dei venturam super eum. Et dicit: *e fui chiamato Marco;* quo nomine multi inveniuntur Venetiis. Et hic nota quod nullum nomen invenitur habuisse tot illustres viros sicut istud nomen Marcus, ut Marcus Varo vir doctissimus romanorum, Marcus Cato vir sapientissimus, Marcus Tullius vir eloquentissimus, Marcus Camillus vir optimus, Marcus Scævola vir fortissimus, et ita de plurimis. Et iste Marcus fuit vir prudens, affabilis, expertus agibilium mundi; ideo bene dicit: *del mondo seppi,* quia magnam notitiam rerum humanarum habuit, *e quel valore amai,* scilicet virtutem, quæ [3] est omnino derelicta; unde dicit: *al quale ha or ciascun disteso l'arco,* quia nullus dirigit nunc operationem suam ad signum virtutis; vel dic melius, quod quilibet habet nunc arcum tensum ad arcendam et repellendam virtutem longe a se tamquam inimicam, more parthorum, qui fugientes hostem cum arcu sagiptant a tergo. Et respondet Marcus secundæ petitioni, dicens: *per montar su dirittamente vai,* quasi dicat, intrasti viam rectam et veram si vis ascendere cœlum. Et addit poeta: *e soggiunse,* ille Marcus, *io ti prego che per me preghi,* idest, ores ad Deum

(1) S. poeta, quod ille. (2) S. concordiam.
(3) 117, quæ est hodie omnino derelicta.

pro liberatione mea, quia preces tuæ debent esse justæ cum sis in gratia positus, *quando vi serai,* scilicet in illo cœlo, qui est locus beatitudinis.

Et io. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta ostendit qualiter ipse audiens Marcum magnifice dolentem de virtute, cui omnes moderni hostiliter inimicantur, movet sibi arduam quæstionem petens quæ sit causa tantæ infelicitatis; et primo quidem ut reddat Marcum benevolum ad responsionem suam jurat se facturum id quod petit cum pervenerit in cœlum. Dicit ergo: *Et io a lui,* scilicet, dixi, *per fede mi ti lego,* idest, obligo me tibi per fidem qua nullum est fortius vinculum in homine virtuoso, *di far ciò che mi chiedi,* scilicet, me rogaturum pro te in cœlo. Et subdit dubium, quo maxime premitur, dicens: *ma io scoppio,* idest, crepo ex nimio pondere, *dentro ad un dubio,* valde forte, *s' io non me ne spiego,* idest, si non absolvo et exonero me, quia ex isto sequuntur omnia inconvenientia mundi, ut statim dicetur. Et assignat causam huius, scilicet, quia in dies magis excrescit, quia invenio dicta et sententias multorum facientia mihi istud dubium. Ad cuius literæ obscuræ intelligentiam claram volo te scire, quod poeta noster audiverat similem sermonem alibi, scilicet in secundo circulo Purgatorii capitulo XIIII a Guidone del Duca, spiritu romandiolo invido; qui loquens de habitatoribus Arni, qui fugiunt virtutem tamquam serpentem, dixit hoc esse vel ex infelicitate loci, vel ex pravo usu hominum; et nunc audiebat idem a Marco spiritu lombardo iracundo, qui hoc dicit de omnibus in generali, et in particulari de habitatoribus Padi, et Athesis; per quæ loca dicit posse transire tute quicumque verecundatur appropinquare bonis. Ad literam ergo, dicit poeta: *prima era scempio,* scilicet, illud dubium, quia audiveram ab uno spiritu cui credebam, *et ora è fatto doppio nella*

sentenzia tua, idest, in dicto tuo, quod habeo pro sententia, *che mi fa certo quello,* scilicet dubium; ita quod si primo credebam, nunc videor mihi certus, *qui,* in isto loco præsenti, *et altrove,* in prædicto circulo invidorum, *ov' io l' accoppio,* idest, copulo et coniungo istud dictum tuum dubium, quia consonare videntur ista duo dicta invicem, ita quod ambo faciunt mihi istud dubium, scilicet, unde procedat tanta malitia hominum, quæ reperitur ubique terrarum. — *Lo mondo.* Hic poeta explicat ipsum dubium repetens et confirmans illud quod dixerat Marcus de virtute ubique deserta, dicens: *Lo mondo è ben tutto così diserto,* idest, spoliatus et privatus, *d' ogni virtute,* tam morali quam divina: et bene dicit totum, quia in rei veritate omnis natio invenitur prava, et quæ videtur melior reperitur peior, *come tu mi suone,* ex verbis tuis, et per locum a contrariis, *e di malizia,* quæ est contraria virtuti, *gravido,* idest plenum, *e coperto,* ita quod malitia continuo parit et multiplicat velut lolium in agro, et virtus latet et suffocatur tamquam seges quæ non audet erumpere. Et petit de ratione tanti mali, dicens: *ma prego,* quia sic est, et sic video, *che m' additi la cagione,* quia scire est rem per causam cognoscere, *sì ch' io la veggia,* idest, clare cognoscam ipsam causam pro salute mea, *e ch' io la mostri altrui,* scilicet, ad illuminandum alios de tanta cæcitate ignorantiæ. Et tangit duplicem opinionem de hoc: aliqui enim dicunt quod omnia proveniunt ab astris et de necessitate; alii vero, quod ab hominibus ex libertate liberi arbitrii. Unde dicit: *chè nel ciel uno,* quia (1) aliquis ponit causam ipsam in cœlo, sed isti quærunt occasionem peccandi; nam ista opinio est omnino falsa et erronea, et contra mentem Aristotelis, Platonis et omnium nobilium philosopho-

---

(1) 117, idest quia.

rum; *et un quaggiù la pone,* idest, et alius ponit ipsam causam in ipsis hominibus; et hæc est opinio sana, vera et ab omnibus colenda (1). — *Alto.* Nunc poeta ponit responsionem Marci ad propositam quæstionem; et primo præmittit pulcre quod volens solvere eam incœpit a quadam conquestione dolorosa; nam emisit suspirium magnum, deinde vocem, dicens: ille Marcus, *mise fuor pria alto sospiro,* quod venit de profundo mentis, *che,* idest, quod suspirium, *duolo,* idest, dolor, *strinse in hui,* quod est adverbium dolentis et idem est quod heu, quasi dicat, quod Marcus ex dolore alte clamavit: heu quam pessima opinio (2) est de hoc. Alii tamen volunt quod Marcus doluerit de malo regimine prælatorum, de quo postea dicit; sed prima expositio est melior; quod statim declarat litera sequens, in qua amare improperat ipsi poetæ. Unde dicit: *e poi cominciò,* supple, dicere mihi ille Marcus: *o frate, lo mondo è cieco,* quia multi qui reputantur magni sapientes in mundo, viri magnorum ingeniorum, fuerunt in ista cæcitate ignorantiæ quod omnia evenirent de necessitate, non videntes quomodo prævisa a Deo possent mutari per liberum arbitrium. Ideo Tullius ad vitandum unum errorem incurrit alium, quia negavit providentiam, de quo multum reprehenditur ab Augustino de Civitate Dei. Unde dicit: *e tu vien ben da lui,* scilicet, ab illo mundo cæcorum, quia dicis te tantum dubitare de hoc quod crepas. — *Voi.* Hic Marcus explicat hunc (3) errorem cæcorum, dicens: *Voi che vivete,* scilicet, in mundo cæco, *recate,* idest, reducitis (4), *ogni cagion,* scilicet, boni et mali, *pur suso al cielo,* imputantes astris omnia opera vestra, et semper habetis in ore illud dictum Cleantis philosophi, quod totiens allegat Seneca: *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt.*

(1) E. toleranda. — *Alto.*
(2) 117, est opinio multorum de hoc.
(3) 117, istum errorem.
(4) S. ducitis.

Et hoc facitis, *pur come se tutto movesse seco,* ipsum cœlum, *di necessitate;* cuius contrarium dicit philosophus, qui dicit quod aliqua sunt futura necessaria, scilicet quæ habent prædeterminatam causam, sicut hominem mori, et solem cras oriri; et alia sunt futura contingentia habentia se ad utrumlibet quæ possunt evenire et non evenire. Et hic nota, quod aliqui voluerunt quod planetæ non efficerent nobis bona vel mala, sed solummodo essent signa eorum quæ nobis eveniunt, sicut Plotinus. Alii vero dixerunt ex effectu planetarum hominibus aliquid boni (¹), aliquid mali evenire, non ita tamen ut necessitaret, sed ut illud quod operatur natura, sive potius Deus per naturam, ex efficientia planetarum contingeret. De qua materia plene tractat Augustinus de (²) Civitate Dei. Et damnat Marcus istum errorem pravum propter (³) magna inconvenientia quæ sequerentur ex illo, dicens: *se così fosse,* ut quidam male opinantur, *in voi fora distrutto libero arbitrio,* et per consequens non esset dare virtutem, quæ est habitus electivus, similiter nec vitium; et sic frustra poneremus infernum, purgatorium, et paradisum: et eodem modo, *non fora giustizia,* nec in mundo isto, nec in alio, *per ben, letizia,* idest, pro virtute habere præmium, *e per male, aver lutto,* idest, et pro malitia habere pœnam, ad quam sequitur planctus: et tunc frustra essent consilia, preces, et alia multa inconvenientia destructiva mundi sequerentur exinde, ut ostendit Boetius in V. — *Lo cielo.* Hic Marcus incipit solvere dubium: et primo ostendit quomodo res sunt a cœlo, et quomodo non, dicens: *lo cielo i vostri movimenti inizia,* corporales, sicut sedere, ambulare; sed animales, sicut velle, intelligere (⁴) non cadunt sub imperio motus cœlestis; ideo restringit dictum suum dicens: *non*

(¹) E. boni vel mali. (²) S. quinto de Civitate. (³) E. per magna.
(⁴) E. intelligere et huiusmodi non cadunt.

dico tutti; et ad robur dicti sui addit, *ma, posto ch' io il dica,* scilicet, quod initiet omnes motus vestros, adhuc etiam, *dato v' è lume a bene et a malizia,* scilicet, ratio cognoscendi bonum et malum, et eligendi et renuendi, per quam potestis refrænare illicitos motus (1) cœli, quod fortiter trahit et inclinat animum alicuius, ita quod anima nobilis in corpore posita videtur quasi leo positus in carcere; unde concupiscibile et irascibile imperant rationi quando anima hominis fuerit perversa, ut dicit philosophus V Politicorum: et tamen potest liber homo obstare antequam transeat in habitum. Exemplum (2) huius habes, ne exeam materiam de qua hic agitur, quia aliquis colericus qualis fuit hic Marcus, incitatur aliquando ad iram et furorem ex influentia Martis. Licet ergo sit difficillimum a principio impedire hunc (3) motum, tamen vir prudens temperabit coleram istam cum bono regimine, utendo cibis frigidis, quibus extinguat calorem istum: immo tanta est potentia liberi arbitrii, quod vincit et superat concupiscibile quod est naturalius in omnibus, sicut bene dicit Boetius, quod illud gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coercet voluntas. Sic ergo patet, quod a constellatione aliquis contrahit aptitudinem, non coactionem. Unde dicit Marcus; *e libero voler,* scilicet, arbitrium est datum vobis cum prædicto lumine rationis, *che se fatica,* scilicet, cum difficultate pugnat contra actionem cœli, *nelle prime battaglie,* scilicet, in principio resistentiæ, *col ciel dura,* idest, pugnat, et dicit: *poi,* illud liberum arbitrium, *vince tutto,* quia vincit quicquid cœlum agit contra eum, et sic quicquid primo erat durum efficitur leve (4), *se ben si nutrica,* idest, regitur per bonam consuetudinem. Isto modo Her-

---

(1) 117, motus. Et hic nota quod aliquis motus cœli fortiter.

(2) E. Et habes exemplum huius ne habeam causam exeundi materiam de qua. (3) 117, istum motum. (4) E. lene.

cules bene pugnando substinuit cœlum. — *A maggior.* Hic Marcus probat quod homo non sit subditus cœlo quantum ad animam, dicens: vos viventes, *soggiacete liberi a maggior forza,* quam sit vis cœli, *et a miglior natura,* scilicet, divinæ, quæ est natura naturans, *e quella,* scilicet, natura vel Deus, *cria,* ab initio, *la mente,* idest, animam rationalem, *in voi,* scilicet, hominibus, *che 'l ciel non ha in sua cura,* idest, potestate, quia anima quæ est res divina non est a generante, sed a Deo creante, licet infusa corpori moveatur secundum complexionem (1) corporis. Nimis absurdum ergo videtur, quod homo subiiciatur cœlo, cum potius astra sint facta propter hominem, quam e converso. Unde ad confirmandum propositum occurrit mihi res jocosa. Floruit, non est diu, in civitate Paduæ quidam Petrus de Abano, eximius philosophus, astrologus, et medicus, qui ad tempus fuit in ista opinione prava. Accidit autem semel, quod accensus ira contra servum suum, qui nimis tarde redierat domum, volebat in furore iniicere manus in eum: tunc servus sagax subito usus est ingenio, et dixit: Fateor, magister mi et domine, me errasse; sed unum verbum precor audire digneris, antequam a me meritam pœnam (2) exigas. Audivi sæpe, ut bene recolo, te dicentem, quod omnia eveniant de necessitate; quomodo ergo poteram citius venire? Petrus magis iratus, porrigens manum ad baculum, clamare cœpit: Et necesse est, serve nequam, quod te dure corripiam de contumacia tua. Tunc servus non territus, applicans manum ad capulum, dixit: Et certe, magister insane, necesse est, quod infigam gladium (3) in viscera tua. Petrus autem timore temperante iram, dixit: Semper stabis mecum, si voles; et promitto tibi, quod nunquam de cæ-

(1) 117, complexionem eius. (2) S. debitam pœnam exigas.
(3) 117, gladium istum in viscera.

tero habebo opinionem istam, neque alteri suadebo. Deinde Marcus ex dictis, damnata prima parte distinctionis tamquam falsa, concludit secundam partem esse veram, dicens: *però, se 'l mondo presente,* idest, homines præsentialiter viventes in mundo, *disvia,* scilicet a recta via virtutum et morum, *in voi è la cagione*, quia scilicet, est culpa hominum, non cœlorum; et ideo, *in voi si cheggia,* in quibus invenietur. Si forte dicis: et quare, ut dixisti, cœlum nos inclinat ad peccandum? dico quod nihil est; quia pari modo forma mulieris allicit visum tuum, et sapor vini gustum, et tamen mulier vel vinum non est in culpa. Et dicit Marcus: *et io te ne sarò or buona spia,* quasi dicat: more boni exploratoris referam tibi veritatem subtiliter investigatam de anima, et ecce. — *Esce.* Hic Marcus ostendit libertatem animæ quæ a principio habet potentiam, sed non usum liberi arbitrii: ideo incipiens ab ipsa prima infusione ostendit quomodo anima datur a Deo pura et immaculata. Ordina sic literam: *l'anima semplicetta,* quia est tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, apta nata recipere omnem impressionem, formam et figuram imprimendam sibi, *salvo che mossa da lieto fattore,* scilicet, a Deo creante, *volontier torna,* postquam est infusa corpori, *a ciò che la trastulla,* idest * delectat, *esce di mano a lui,* a Deo, *che vagheggia,* idest * (1) alludit sibi, *prima che sia,* idest, antequam infundatur corpori, *a guisa di fanciulla,* idest, eo modo quo pater alludit infantulæ, *che,* idest, quæ infantula, *pargoleggia,* idest, puerizat, vanizat, *ridendo, e piangendo,* quia, ut dicit Horatius de puero: *iram colligit et deponit et mutatur in horas.* — *Di picciolo.* Hic Marcus ostendit quid primo impediat animam, quia sicut corpus est naturaliter prius quam anima, ita oportet primo habere

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.

curam corporis quam animæ, ut pulcre ostendit philosophus libro Politicorum. Dicit ergo: et illa anima, *di picciol bene,* idest sensibili, delectabili, *in pria prende sapore,* sicut clare patet, quia in primo ortu statim miser homo veniens in lucem cum dolore ex loco humido, calido in aerem frigidum, siccum, statim delectatur cum opera nutricis fovetur ([1]) in aqua calida; deinde sugens lac magis incipit delectari; deinde propter multa incommoda appetit divitias quæ sunt causa voluptatis; deinde quia per naturam homo est appetens honoris et gloriæ, cadit in superbiam, invidiam etc. Ideo bene dicit: *quivi,* in isto parvo ([2]) bono, *s' inganna,* ipsa ([3]) anima, quia credit ipsum esse magnum bonum; et ideo, *e dietro ad esso corre,* quia sequitur ipsum appetendo: et in hoc imminet periculum magnum nisi adhibeatur remedium, quia tunc ætas tenera omnia capit et retinet; ideo dicit: *salvo se guida,* idest, pastor, *o freno,* idest, lex, *non torce suo amore,* scilicet, in ([4]) vera bona; et vere magno labore est opus, quia non sufficit pater, non magister, non pedagogus, non rector. Et ob hanc causam, subdit Marcus, fuit inventa lex et datus pastor; unde dicit: *onde convenne legge,* scilicet, divinam, *per fren porre,* idest, ponere ad refrænandas hominum vitas, *convenne rege aver,* scilicet, spiritualem, *che discernesse,* idest, declararet homini per doctrinam, *della vera cittade,* scilicet, Dei, *almen la torre,* scilicet, summam felicitatem, quasi dicat: oportet quod saltem in genere detur intelligi hominibus, quod est dare unum primum principium in quo sicut in alta specula consistit beatitudo hominis. — *Le leggi.* Hic Marcus, quia dixerat leges ([5]) esse necessarias ad dirigendum hominem in bonum, quæ indigent executore, increpat pastores qui sunt ministri legum verbo

([1]) S. statim fovetur. ([2]) E. parvo loco bono. ([3]) E. ipsa natura, quia.
([4]) E. in vero bono. ([5]) E. leges fore necessarias.

non opere; ex quo sequitur depravatio hominum. Dicit ergo Marcus qui consueverat in vita bene scire mordere: *Le leggi sono*, sicut mosayca, evangelica, sacri canones (1), *ma chi pon mano ad esse?* idest, operationem. Et continuo respondet sibi ipsi dicens: *nullo:* et ecce causam, *però che 'l pastor che presede,* idest, apostolicus, qui præsidet generi christiano, ut faciat viam illi, *ruminar può,* idest loqui, *ma non ha l' unghie fesse,* idest, operationem. Et ad intelligendam plene istam literam debes scire, quod, sicut scribitur in Levitico capitulo XI, Deus præcepit populo hebræorum (2) ut comederent de omni animali quod ruminaret et haberet ungulam divisam; de eo autem quod non ruminaret, et non haberet ungulam fissam, non comederent, sed immundum reputarent; est autem ruminare, cibum a stomacho ad os revocare. Modo ad propositum vult dicere autor, quod pastor modernus bene ruminat, quia habet in ore legem Dei, et plene discutit, et de rei veritate Bonifacius, qui tunc erat papa, bene sciebat leges et sanctam (3) scripturam, et scripsit in jure canonico, sed non divisit potestatem temporalem a spirituali, imo utrumque officium confudit in unum.—*Perchè*. Hic Marcus tandem ex præmissis infert conclusionem principaliter intentam, scilicet, quod malitia pastoris est principalis causa perversionis mundi. Unde dicit: *Perchè la gente,* scilicet christiana, *che vede sua guida,* idest, pastorem, *pur fedir,* idest, ferire et intendere, *a quel ben,* sensibili, temporali, *ond' ella è ghiotta,* idest, avida, quia assuevit illi et delectata est ab origine prima, ut jam demonstratum est, *di quel si pasce,* scilicet, illo bono parvo, *et più oltre non chiede,* scilicet, maiora bona spiritualia. Et hic nota quod poeta noster juste conqueritur de malo regimine

---

(1) E. canones et huiusmodi; *ma chi.*
(2) 117, hebraico. (3) 117, sacram.

prælatorum, quod est quasi causa omnium malorum; quia, ut videmus de facto, populus a moribus sacerdotum facilius contrahit vitia quam virtutes. Unde arguitur sic: prælati, pastores, sacerdotes et religiosi, qui sapientissimi hominum docent nos mandata Dei et leges sanctarum scripturarum, petunt et appetunt ista temporalia, puta pecunias, voluptates, et talia; ergo aut cognoscunt ea esse bona, aut Deum clementissimum pro omnibus fore passum. Ideo prælati tenentur de animabus subditorum, qui secuti sunt eorum mala exempla. Ideo subdit Marcus: *ben puoi veder,* ex his quæ dixi, *che la mala condotta,* scilicet, pastoris, *è la cagion che 'l mondo ha fatto reo,* sicut (1) olim bonus ductus fecit mundum bonum, sicut patuit in primitiva ecclesia, *e non natura che 'n voi sia corrotta.* Tolerabilius est ergo propriis laborare vitiis, quam in multitudinem diffundere pestem vitiorum; ideo vita prælati deberet esse irreprehensibilis et inculpabilis. — *Solea.* Hic Marcus confirmat dictum suum ab effectu, quia dum fuerunt boni pastores, et mundus fuit bonus, et ita e contra. Dicit ergo: *Roma che 'l buon mondo feo;* certe nulli hominum fuerunt unquam, qui plura memoranda gesserint (2) solo amore virtutis quam romani, ita ut de totius orbis circulo non invenias plura exempla virtutum, quam in republica unius urbis, sicut patet clare apud omnes historicos, poetas et morales, quos latina eloquentia habet, *solea aver dui soli,* scilicet, pontificem et principem, *che facean veder l' una e l' altra strada,* scilicet, viam spiritualem et temporalem; ideo dicit: *e del mondo e di Dio.* Ita reddebant quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, sicut patuit in Constantino et Silvestro, in Justiniano et Agapito, in Carolo Magno et Adriano: et ita

(1) E. sicut enim olim bonus conductus. (2) S. gesserunt.

postea in quibusdam Othonibus germanis, et papis romanis. Ideo bene Justinianus imperator ait: Magna in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium et imperium. Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ex uno eodemque principio utraque manantia. Et subdit, quod nunc contrarium accidit cupiditate et ambitione pastoris, dicens: *l' un l' altro ha spento,* scilicet, papa imperatorem, et imperator papam, sicut patuit in Friderico II qui omnia spiritualia tyrannice usurpavit, et Gregorio IX qui occupavit regnum Friderici eo (1) absente, ut statim dicetur. Potest tamen intelligi præcipue de Bonifacio, qui cinxit sibi ensem, ut patuit supra capitulo VI. Ideo dicit: *et è giunta la spada,* idest, potestas temporalis, *col pastorale,* idest, cum potestate spirituali, quæ figuratur per virgam pastoralem. Hoc idem vidit ipse poeta paulo post in Clemente V contra Henricum VI, cum tamen duos gladios sufficere imperio christiano Evangelii testetur auctoritas. Ideo dicit: *e l' un e l' altro insieme,* simul confusa, *per viva forza mal convien che vada,* quia non potest unus tam diversa officia bene exercere. Et assignat causam, dicens: *però che giunti,* scilicet, ensis et pastoralis virga, *l' un l' altro non teme,* nec reverentur. Quod probat per exemplum de proximo, dicens: *se non mi credi,* quia videar tibi homo curialis, novorum fictor, *pon mente a la spiga,* idest, respice ad effectum, *ch' ogni erba si conosce per lo seme.* Nam propter discordiam quæ fuit inter papam et Fridericum II Lombardia, flos Italiæ, fuit quasi destructa.

In sul paese. Ista est quarta et ultima pars huius nobilis capituli, in qua hic nobilis Marcus ad dilatandam hanc materiam (2), pro confirmatione dicti sui describit muta-

(1) 117, ipso absente. (2) 117, subtilem materiam.

tionem Lombardiæ, quæ propter discordiam papæ et imperatoris amisit bona temporalia et spiritualia. Et ad huius literæ expositionem (1) oportet breviter perstringere aliqua de Friderico II, de quo aliqua scripsi (2) Purgatorii capitulo III. Fridericus ergo, elatus magna potentia multorum regnorum et nobili prole proborum filiorum, temporalia et spiritualia conculcabat: propter quod fuit excommunicatus ab Honorio III papa et stetit contumax sex annis. Honorio mortuo, successit in pontificatu Gregorius IX de Anagnia, qui sedit quatuordecim annis; quo tempore Fridericus habuit inexorabile bellum secum. Post hoc Fridericus magna classe navali transivit ad Terram Sanctam, ubi privavit regno Hierusalem Johannem Brenensem socerum suum; de quo fecit se coronari (3) anno Domini MCCXXXV. Gregorius IX, audita pace ficta quam Fridericus fecerat cum Soldano, dedit operam, quod dictus rex Johannes intraret regnum Apuliæ, quod totum fecit rebellare Friderico. Sed Fridericus, velut ardens fulmen belli, cum summa celeritate revolavit in Italiam cum duabus galeis, et totum regnum celerius recuperavit: et ultra hoc occupavit patrimonium sancti Petri, ducatum Spoleti et Marchiam Anconæ, ducens secum saracenos de Nuceria, quos traxerat de Sicilia de montibus Drepani, ut Sicilia esset tutior et Apulia subiectior. Deinde cum Gregorius ordinasset Concilium contra Fridericum, magnus numerus prælatorum veniens de partibus Galliæ, captus fuit apud Pisas, quos postea Fridericus pauperrime dimisit, instante Ludovico rege Franciæ: et tunc natum est bellum inter januenses et pisanos. Post hoc Fridericus aspirare cœpit ad dominium Lombardiæ. Unde sentiens, quod Mediolanum,

---

(1) 117, expositionem plenam.
(2) 117, scripsi, Inferni capitulo X et XIII, et Purgatorii capitulo III.
(3) 117, coronari regem anno.

Parma et Bononia et plures aliæ terræ Lombardiæ et Romandiolæ coniuraverant ([1]) cum ecclesia contra eum, descendit de regno in Lombardiam magnis viribus; et post multa prœlia mediolanenses totis viribus suis, ecclesiæ et colligatorum, cum venissent in auxilium brixiensium, concurrerunt cum Friderico in loco dicto Curte Nova; et post acre prœlium mediolanenses debellati sunt cum magno damno suorum et exaltatione Friderici, qui in illa pugna strenue se gesserat. Cuius rei dolore Gregorius infirmatus mortuus est Romæ paulo post: Fridericus vero victor cepit magnam partem Lombardiæ et Romandiolæ. Quo tempore habuit elephantem, ad quem videndum confluebant multi de populis Lombardiæ. Tandem creatus est papa Innocentius IV vir nobilis januensis ex nobilibus de Flisco, anno Domini MCCXLI, qui sedit annis undecim et replevit ecclesiam multis cardinalibus ex diversis partibus christianitatis. Quo audito Fridericus turbatus, fertur dixisse: Heu! perdidi amicum meum; præsagiens quod futurum erat. Nam Innocentius, prudens et magnificus, videns potentiam et contumaciam Friderici, qui quasi totam possidebat Italiam, fecit armari apud Januam viginti galeas per consortes suos; et cum cardinalibus et curia ivit de Roma Lugdunum, supra Rhodanum, ubi celebrato concilio, cui interfuit bonus Ludovicus rex Galliæ, damnavit et excommunicavit Fridericum. Interim consanguinei Innocentii et amici ecclesiæ, expulsi de Parma, intraverunt Parmam cum consensu populi. In quorum auxilium continuo venit Gregorius de Monte Longo legatus ecclesiæ cum mediolanensibus, placentinis et mantuanis, et paraverunt se ad defensionem. Fridericus indignatione plenus et ira, contractis magnis viribus, et Eccelino de Romano, obse-

([1]) 117, convenerant.

dit Parmam, et fecit ibi Bastitam magnam in formam civitatis, quam Victoriam appellavit, jurans numquam recedere, nisi Parma capta, quam conceperat destruere, et transferre Victoriam. Igitur Friderico impugnante et ecclesia defensante [1] Parmam per spatium sex mensium, sævitia hyemis cogente, militia civitatum utrinque ad propria remeavit. Fridericus vero remansit in Victoria, expectans tempus æstatis, spe expugnandæ civitatis, quæ penuria victualium parvo tempore poterat resistere. Ideo Fridericus, parvipendens obsessos, die quadam iverat extra Victoriam ad Falconem. Tunc parmenses quasi desperati furiose exeuntes, invaserunt Victoriam, quam captam ferro et igne destruxerunt, et præda magna ditati sunt. Fridericus vero Cremonam fugiens vix evasit, amissis jocalibus suis et corona, quam habuerunt parmenses. Hæc gesta sunt die Martis prima februarii anno Domini MCCXLVIII; et anno sequenti Henricus filius eius bellicosus captus est a bononiensibus apud Mutinam: qua victoria bononienses elati sunt valde. Deinde altero anno Fridericus mortuus est, nihil de tanta potentia secum trahens, nisi sarcinam peccatorum. Nunc descendendum est ad literam, quam sic ordinabis, *valore e cortesia,* idest, viri valentes et liberales, *trovarsi solea in sul paese,* scilicet, in Marchia Tarvisina [2] et Lombardia, *ch'Adige e Po riga,* idest [3], balneat; quia Athesis nobilis fluvius labitur per Marchiam Tarvisinam, per civitatem Veronæ; quæ regio dicto tempore fuit crudeliter afflicta per Eccerinum de Romano, confœderatum cum Friderico; sicut Padua, Verona, Vicentia, Tarvisium. Padus vero nobilissimus fluvius dividit Lombardiam per medium; quæ regio fuit miserabiliter lacerata per Fridericum, ut patet ex dictis. Et hic nota, quod iste Marcus bene noverat

(1) 117, defendente, Parma per.
(2) E. Trivisana.
(3) S. idest, balneant.

dominos et viros nobiles utriusque riperiæ, quam solebat sæpe frequentare, et mores laudabiles virorum et mulierum referre. Unde semel discurrens per riperiam Padi, dum iret de Ferraria Ravennam, audiens multum commendari Margaritam consanguineam Azonis III, marchionis estensis, intravit Argentam, ubi illa erat, tentaturus veritatem. Margarita autem valens, et bene morata, cum audisset (¹) de fama Marci, recepit ipsum lætanter; cui Marcus magnifice loquens, ait: Illustris domina, alta virtus tua ubique nota conduxit me huc, ut gloriari possim vidisse et audivisse dominam, quæ excedit cæteras nobilitate generis et virtute animi. Marchionissa, volens experiri circumspectionem Marci, prudenter respondit subito: Certe, Marce, non possum de te dicere illud bonum, quod tu de me dicis. Et Marcus continuo dixit: Immo bene potuissetis, si voluissetis de me mentiri, sicut ego mentitus sum de vobis. Ex quo domina subridens, perpendens verum esse, quod de Marco audiverat, donavit illi certum jocale, et permisit ire ad viam suam. Et hic nota quod Marcus novit facere mirabilia scommata, quia bonum scomma debet mordere auditorem ut ovis, non ut canis; et debet fieri præsto et sine mora. De qua materia pulcre tractat Macrobius libro Saturnalium. Et dicit Marcus: *prima che Federigo avesse briga,* idest, bellum cum ecclesia cum Innocentio IV. Et subdit Marcus, nunc esse contrarium in Marchia et Lombardia; unde dicit: *or può sicuramente indi passarsi,* per dicta loca, quæ sunt derelicta a bonis, *per qualunque,* scilicet, pravum, *lasciasse per vergogna di ragionar co' buoni,* quia sunt ibi rari, *o d'appressarsi,* illis bonis. Quasi dicat: quicumque verecundaretur colloqui et conversari cum bonis et curialibus potest audacter transire per

(¹) 117, audivisset.

has partes, quia inveniet multos de suis viles et vitiosos. — *Ben v' en.* Hic Marcus, quia videbatur fecisse regulam generalem de lombardis cum mordaci scommate, ut redimat pudorem eorum, facit exceptionem specialem: et dicit, quod in dictis duabus provinciis supervivunt tres viri valentes, retinentes adhuc de curialitate et virtute antiqua. Unde dicit: *ben v' en tre vecchi ancora,* in quibus (1) antiqua est virtus, de quibus dignum videtur facere (2) famam; unde dicit: *in cui rampogna l' antica età la nuova,* idest, improperat et vituperat modernos; et summe dolent (3) in mutatam naturam suorum comprovincialium. Unde dicit: *e par lor tardo, che Dio a miglior vita li ripogna,* scilicet, vitæ futuræ, quasi dicat: mors videtur eis tarda. Et loquitur hyperbolice. Vel dic, quod optant reponi ad meliorem vitam, idest, virtuosiorem, quam sit vita modernorum. Et declarat ipsos nominatim, dicens: *Currado da Palazzo.* Hic fuit nobilis de civitate Brixiæ, de cuius strenuitate audivi, quod cum esset vexillifer pro sua republica in prœlio, truncatis sibi manibus, numquam deseruit publicum signum, immo perseveranter cum truncis retinens, non prius illud, quam vitam abiecit. Et sic videtur fecisse fortius quam Dentatus, qui amissa manu in pugna fecit sibi aliam ferream; *e 'l buon Gherardo.* Iste fuit nobilis miles (4) de Tarvisio, de nobilissima domo illorum de Camino, qui sæpe habuerunt principatum illius civitatis. Hic fuit vir totus benignus, humanus, curialis, liberalis, et amicus bonorum: ideo antonomastice dictus est bonus; *e Guido da Castel,* iste fuit de Regio (5) Lombardiæ, de Robertis, quorum tria erant membra, scilicet illi de Tripoli, illi de Castello, et illi de Furno. Ideo denominat ipsum a

(1) 117, quibus antiquata est virtus.
(2) E. facere schema seu famam.
(3) 117, dolent, quod vident ita.
(4) E. miles de clarissima domo illorum.
(5) 117, regione Lombardiæ.

vocabulo speciali, per quod erat notus; et ita publice vocabatur. Iste florebat in Regio tempore nostri poetæ, cum civitas illa esset in magno flore et regeretur libere. Fuit autem vir prudens et rectus, sani consilii, amatus et honoratus, quia zelator erat reipublicæ, et protector patriæ, licet tunc alii essent potentiores in terra illa: fuit liberalis; cuius liberalitatem poeta noster expertus est semel, receptus et honoratus ab eo in domo sua. Fuit etiam Guido pulcer inventor in rhythmo vulgari, ut pulcre apparet in quibusdam dictis eius; ideo in commendationem eius dicit: *che me' si noma,* idest, qui Guido melius nominatur, *francescamente il semplice lombardo.* Hoc exponunt aliqui, quia de curialitate sua tanta fama crevit per Franciam, quod vocabatur simplex lombardus; sed istud est vanum dicere, immo debes scire, quod gallici vocant omnes italicos lombardos, et reputant eos valde astutos; ideo bene dicit, quod proprie vocaretur gallice simplex lombardus. Simile dixit supra de Henrico rege anglorum, ubi dixit: *vedete il re dalla semplice vita.* Et dicit: *Di' oggi mai.* Hic ultimo Marcus, repetens et declarans principalem conclusionem, docet poetam, quid amodo debeat respondere ([1]) interrogantibus de dicta quæstione. Unde dicit: *Di' oggi mai che la chiesa di Roma,* idest, pastor ecclesiæ, *per confondere in se duo reggimenti,* et sic non habet ungulam fissam, *cade nel fango,* idest in peccatum, *e sè brutta e la soma,* idest, et ita fœdat regimen christianæ religionis; et vere turpe est videre sacerdotem togatum armatum. — Et subdit poeta, quomodo ipse confirmaverit dictum Marci auctoritate Sacræ Scripturæ. Dicit ergo: *O Marco mio, diss' io, ben argomenti,* ex commixtione gladii, et clare arguis causam per effectum: et hoc video ex bono testimonio. Ad cuius

---

([1]) 117, respondere interrogatus.

evidentiam est sciendum, quod sicut potest colligi ex multis libris sacris, et ex Josepho libro Antiquitatum, Levi fuit unus ex duodecim filiis Jacob, natus ex Lia, a quo denominati sunt Levitæ. Hanc Tribum Moyses segregavit ab aliis, et sacravit, ut simpliciter vacaret sacrificiis, et vacaret ab officio militiæ. Moyses ergo Levitarum Tribum servituram Deo separavit a prœliis, et constituit populum dare eis decimas annuorum fructuum. Vide ergo, quid poeta (¹) velit dicere hic, cum dicit: *et or discerno,* idest, et nunc perpendo, *perchè dal retaggio li figli di Levì,* sicut Moyses, Aaron, et alii Levitæ, *furon esenti,* idest divisi et remoti a dominio et hereditate Terræ Sanctæ, quam promiserat Deus Abraam, Isaac, Jacob et semini eorum. — Deinde poeta movet dubium Marco circa unum nominatorum, quia vocaverat eum simpliciter Gherardum, cum multi alii possent esse in illa regione et patria eiusdem nominis. Unde dicit: *Ma qual Gherardo è quel che tu mi di',* idest, dicis, *ch'è rimaso per saggio,* idest, pro sagaci et sapienti, *della gente spenta,* idest mortua, *in rimproverio del secol selvaggio?* idest, in improperium et dedecus pravi temporis? — *O tuo parlar.* Hic ultimo poeta ponit responsionem Marci ad quæsitum, dicens: ille Marcus, *rispose a me: O tuo parlar m' inganna, o e' mi tenta;* et ecce quomodo, *che parlandomi tosco par che del buon Gherardo nulla senta.* Quasi dicat: miror de te, quia licet sis tuscus, non lombardus, non videris scire, quis fuerit Gherardus, cuius curialitas et bonitas jam transivit Apenninum, et per famam pervenit in Tusciam. Et subdit: *per altro sopranome io nol conosco;* sed hic statim oritur dubitatio. Diceret aliquis: quomodo Marcus dicit, se non nosse istum ab alio cognomine, cum tamen cognomen illorum de

(¹) E. poeta vult dicere.

Camino esset tunc famosum in Lombardia, immo in tota Italia? Et præcipue Marcus fuit familiarissimus istius domus et domini Rizardi, cuius pater fuit iste Gherardus? Dicendum breviter, quod poeta hoc fingit de industria duplici ratione: primo, ut ostenderet eius eximiam bonitatem; vult enim dare intelligi tacite, quod Gherardus debet esse magis notus bonitate sua, quam nobilitate familiæ illorum de Camino: secundo, ut faceret memoriam de vanitate filiæ eius; unde addit: *s' io nol togliessi da sua figlia Gaia,* quasi dicat: neque nobilitas, neque bonitas facit eum ita notum, sicut filia eius notissima. Ista enim erat famosissima in tota Lombardia, ita quod ubique dicebatur de ea: Mulier quidem vere gaia et vana; et ut breviter dicam, Tarvisina tota amorosa; quæ dicebat domino Rizardo fratri suo: Procura tantum mihi juvenes procos amorosos, et ego procurabo tibi puellas formosas. Multa jocosa sciens prætereo de fœmina ista, quæ dicere pudor prohibet. — Demum Marcus licentiat se a poeta, dicens: *Dio sia con voi,* qui tenditis ad eum, *chè più non vegno vosco,* quia non possum exire ex fumo obscuro et venire ad lucem claram; unde dicit: *vedi l' albòre,* idest claritatem aeris, vel splendorem angelicum, *che per lo fumo raia,* idest, radiat, quasi dicat: appropinquat aer clarus, quia sumus in confinio fumi, *già biancheggiare,* juxta fumum nigrum, *e me convien partirmi,* quia nondum purgavi iram, cogor reverti intra fumum ad pœnam debitam, *prima ch' egli paia,* idest, antequam angelus appareat ibi; et facit parenthesim, dicens: *l' angelo è ivi,* offerens se ad purgationem. Et claudit materiam et capitulum, dicens: *così parlò,* vel *tornò, e più non volle udirmi;* quia satis bene et (1) plene determinaverat præsentem litem.

(1) E. et pulcre determinaverat.

CANTUS DECIMUS SEPTIMUS, *ubi post aliquam visionem declaravit Virgilius modos amoris, et quot modis nascitur in homine, ac etiam de suo contrario; et quot modis nascitur contrarium, et quot personis committitur crimen hoc.*

R*icorditi, lettor, se mai.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti poeta noster tractavit et determinavit de generali purgatione iræ, nunc consequenter agit (¹) et tractat de modo et remedio quo refrænatur ira impetuosa, et (²) ingreditur tractatum accidiæ, quæ punitur in quarto circulo purgatorii. Et præsens capitulum breviter potest dividi in tres partes generales; in prima quarum poeta docet frænum iræ. In secunda ostendit qualiter fuerit mundatus a vitio iræ, et directus ad quartum circulum accidiæ per unum angelum apparentem sibi, ibi: *Come si frange.* In tertia poeta tractaturus de accidia, subtiliter investigat unde ipsa accidia habeat ortum, et cætera vitia capitalia, ibi: *Noi eravam.* Ad primam veniens dico quod poeta docet refrænare iram; sed primo continuans dicta dicendis præmittit, quomodo sol in occasu apparuit sibi exeunti de nubibus iracundorum per unam comparationem valde consonam. Et videtur dicere sententialiter: vis tu videre clare qualiter exivi fumum istum tenebrosum, et perveni ad aerem luminosum? Imaginare si aliquando in transitu Alpium (³) aliqua nebula velavit tibi visum, et paulo post, sole paulatim rarefaciente, cœpisti recuperare visum debiliter (⁴), et videre sicut illa bestiola quæ vo-

(¹) 117, in isto capitulo XVII agit et.
(²) E. cum ingreditur.
(³) 117, Alpis.
(⁴) E. debilitatum et.

catur talpa. Nunc [1] ad literam, quæ est parum obscura, quia intricata, et construe sic: *O lettor, ricorditi come la spera del sole debilemente entra per essi,* scilicet, vapores, *quando i vapori umidi e spessi,* scilicet, nebulæ [2] de qua dicetur alibi, *cominciansi a diradar,* radiis solaribus resolventibus eos; et hoc dico, *se mai nebbia ti colse nell'Alpe.* Et hic nota, quod licet Alpes sint diversæ in diversis partibus mundi, tamen forte poeta noster loquitur de Alpe [3] Apennini, et de ea parte quæ est inter Bononiam et Florentiam, ubi fuerat expertus istum casum, sicut et ego recordatus sum istius dicti, dum simili modo nebula occupasset me in dicta Alpe. Et dicit: *per la qual,* scilicet, nebulam, *vedessi,* per subtilem interpositionem nubis, *non altramente,* idest, similiter, *che talpe per pelle,* supple, vident; et idem est, ac si diceret, quam si parum videres. Et hic nota quod talpam videre videtur ostendi dupliciter: primo, quia habet oculos, et natura nihil facit frustra; secundo, quia ut videmus talpa statim cum videt aerem moritur; videt tamen debiliter, quia natura provida apposuit sibi unam pelliculam tenuem ne læderetur, quia stat continuo sub terra. Et recte iracundus, durante ira, est simillimus [4] talpæ, de qua dicit Plinius: *Talpa tot modis a rerum natura damnata cæcitatis perpetuæ tenebris, viva semper sepulta.* Et applicat poeta comparationem ad propositum: *e fia la tua immagine,* idest imaginatio, *leggiera in giugnere a veder, com' io rividi lo sole in pria,* scilicet, in exitu illius circuli, *che già nel corcare era,* idest, qui sol jam collocabat se; quasi dicat, jam erat in occasu in secunda die. Et concludit: *sì, pareggiando i miei,* idest, æquando passus meos, *coi passi fidi del mio maestro,*

---

(1) 117, Nunc venio ad literam, quæ est satis obscura.
(2) 117 e E. nebulæ; per hoc tangit materiam nebulæ, de qua.
(3) E. de Alpibus Apennini. (4) E. similis talpæ.

scilicet, Virgilii qui fideliter ducebat me, et ego caute sequebar eum pari passu per vestigia eius, *usci'*, scilicet, ego, *fuor di tal nube,* idest, ex fumo obscuriori omni nube vel nebula, *ai raggi morti,* propter occasum dicit, *già nei bassi lidi;* quia sol quando occidit, videtur mergi in mari. Et considera quantum comparatio præmissa est propriissima. Poeta enim dum transiret per Alpem, idest, viam, et materiam fortem iræ cum maximo labore invenerat nebulam, idest, fumum iræ, per quem transiverat illæsus, duce Virgilio, et nunc tandem in fine ipsius fumi incipiebat revidere, non tamen plene; sed paulo post purgatur (1) ab angelo excussa omni nube caliginis, quæ amplius non lædet visum eius. — *O imaginativa.* Nunc poeta volens describere unam visionem, in qua vidit cæteros (2) effectus iræ, ex admiratione primo exclamat super forti imaginatione, quæ interdum vindicat totam animam sibi. Dicit ergo admirative: *O,* adverbium est adiurantis (3), *imaginativa, che ne rube,* idest, quæ derobas nos et prædaris, *talvolta sì di fuor,* removens nos ab omnibus sensibus exterioribus, *ch' uom non s' accorge, perchè dintorno suonin mille tube;* quasi dicat, quod homo non audit instrumenta musica sonora solentia multum excitare auditum; et ita non videt mille mulieres formosas licet transeant ante oculos eius, et ita de aliis. Ideo merito petit de tam mirabili abstractione, dicens: *chi muovea te, se 'l senso non ti porge?* idest, confert motui tuo? quasi dicat: cum imaginatio non sit sine sensu, quid movebat te nunc? Et continuo respondet sibi ipsi, dicens: *Muoveati lume,* idest, influentia cœli, *per se,* scilicet, ex natura cœli, quod initiat motus nostros, ut (4) jam dixi capitulo præcedenti; *o per voler che giù lo scorge,* idest, vel a voluntate divina, quæ transmittit

(1) S. purgabatur.
(2) E. certos effectus.
(3) E. admirantis.
(4) S. ut jam dixit.

ipsum lumen ad hominem sine medio cœli; quasi dicat: hæc talis imaginatio movetur a cœlesti lumine per se formato, vel a Deo transmisso. Et hic nota quod licet poeta legisset sæpe de tam forti imaginatione in Socrate, Democrito, Carneade, et aliis multis, tamen in se ipso fuerat mirabiliter expertus. Accidit enim semel sibi in civitate Senarum, ostenso sibi libello famoso nec amplius viso per ipsum, cum non posset habere commodius copiam de eo, adhæsit cum pectore banco unius speciarii, et cum tanta attentione percurrit libellum totum, persistens fixus sine motu oculorum ab hora nona usque ad vesperam, quod nihil extrinsecus sensit, cum tamen fieret ibi prope festum nuptiale cum plausibus, cantibus et sonis. Et interrogatus quomodo potuerat se continuisse ne respiceret tam celebre festum, ubi erat suavis aspectus tot mulierum senensium, et dulcis melodia tot instrumentorum musicorum, respondit se nihil sensisse: ex quo post primam admirationem magnam secuta est secunda maior, cum ipse esset naturaliter amator amorosorum cantuum. — *Dell' empiezza.* Nunc poeta ostendit per tria exempla qualiter in forti imaginatione sua viderit tres effectus iræ, unum malum, alterum peiorem, tertium pessimum. De quorum primo jam plene dictum est supra capitulo IX, qualiter ira ignea impulit matrem ad necandum filium, quem tradidit epulandum patri; sed et Atreus Thyesti fratri simili modo tradidit filios illius jugulatos ad vescendum. Et Ptholomæus Phyton interfecto filio misit extremitates Cleopatræ uxori et sorori suæ, quam expulerat accepta eius filia in uxorem. Abimelech etiam trucidavit septuaginta fratres suos præter unum qui evasit. Omnium autem [1] crudelissimus Frahates rex parthorum, qui interfecit patrem, matrem,

[1] 117, autem crudelitates excessit Frahates rex. — E. autem crudelissimus fuit Frahares rex — S. autem crudelissimus fuit frater Achates rex.

filium, et triginta fratres: tamen poeta noster fuit hic contentus dicere de una ira fœminea; nam mulier naturaliter est clementior quam vir, et magis diligit filium quam pater. Ordina sic literam: *l' orma,* idest, figura, *della empiezza,* impiæ crudelitatis, *di lei,* scilicet, mulieris Progne, *che mutò forma,* quia (1) conversa est in hirundinem; ideo dicit: *nell' uccel che a cantar più si diletta;* quia hirundo plus canit intra tecta hominum ad memoriam suorum dolorum, ut alibi dictum est, licet Philomela dulcius canat, quæ fuit soror eius, *apparve nell' imagine mia,* idest in imaginativa. Et hic nota, quod huius fabulæ, quæ posita est plene supra capitulo IX allegoria est etc. Et subdit quod ex ista imaginatione *abstractus est fortius in aliam, dicens: *quivi,* in ista imaginatione* (2) prima, *la mente mia fu sì ristretta,* idest, tam fortiter abstracta, *dentro da se, che cosa che fosse allor ricetta da lei,* idest, quod res quæ reciperetur tunc ab ea per (3) imaginationem, *non venia di fuor,* scilicet, a sensibus. — *Poi.* Hic poeta tangit secundum effectum iræ peiorem, quæ sic interdum inflammat hominem, ut pro uno et una parva iniuria velit perdere centum millia innocentum. Et (4) hanc historiam satis notam, de qua est specialis liber in Sacra Scriptura, breviter et succincte percurram. Sicut ergo potest colligi in libro Esther, et ex Josepho libro Antiquitatum, Assuerus rex persarum potentissimus in Susa capite regni sui, fecit celeberrimum convivium omnibus principibus præfectis provinciarum suarum ut ostenderet jactantiam potentiæ suæ: die septimo convivii factus hilarior vino præcepit, ut regina nomine Vasthi introduceretur coram multitudine,

(1) S. quæ conversa est.
(2) Le parole fra i due asterischi sono del Codice 117.
(3) 117, ab ea interius per imaginationem.
(4) E. Et hæc historia satis nota est, de qua est specialis liber in Sacra Scriptura, quam nihilominus per effectum illius breviter et succincte percurram.

quia pulcerrima erat, quæ venire contempsit. Ex quo rex ira succensus de suorum consilio sapientum, repudiata ea, mandavit quod ex omnibus provinciis quærerentur virgines puellæ, ut ex numero multarum quæreret sibi unam in uxorem. Erat autem in civitate Susarum quidam judæus nomine Mardochæus habens nepotem (1) nomine Esther filiam fratris, quam adoptaverat sibi in filiam. Ista data est inter alias cum pulcerrima esset, et invenit gratiam apud regem, nec indicavit quæ esset, quia ita præceperat sibi Mardochæus. Erat autem incredibilis pulcritudinis, amabilis, gratiosa. Rex vero exaltaverat super omnes quemdam suum principem, cui nomen erat Aman, quem omnes venerabantur et adorabant præter Mardochæum. Quo cognito, Aman tanta ira et indignatione commotus est, quod non contentus supplicio unius concepit exterminare omne (2) genus judæorum. Dixit ergo regi quod natio quædam dispersa erat in regno suo, quæ non servabat sectam (3); ideo bonum erat regi et utile quod tota deleretur, et maximus thesaurus haberetur. Rex credulus, tradito annulo suo Aman, dixit quod omne argentum esset suum, et de gente faceret quicquid vellet. Ille misit literas per omnes provincias ad omnes præsides, ut omnes hebræi una certa die sine discretione sexus vel ætatis necarentur. Esther, hoc scito, ad preces Mardochæi exposuit se periculo mortis, quia nullus impune poterat accedere ad regem nisi vocatus. Ivit ergo et gratiam promeruit et petivit a rege ut ipse et Aman venirent ad convivium suum. Interim Aman videns Mardochæum more solito non assurgere sibi, fecit erigi (4) trabem altitudinis quinquaginta cubitorum ut suspendi faceret Mardochæum. Facto autem prandio, re-

(1) E. neptem filiam fratris, quæ vocabatur Esther, quam adoptaverat.
(2) E. omnes gentes judæorum.
(3) 117, sectam suam.
(4) 117, erigere.

gina requisita a rege quid vellet, petivit liberationem sui populi hebræi quem Aman destinaverat morti. Rex iratus surgens intravit viridarium, et Aman territus ivit versus reginam ut placaret eam: et ecce rex reversus in cubiculum reperit Aman qui corruerat super lectulum in quo sedebat Esther, et dixit: etiam reginam vult opprimere me præsente? Et continuo unus eunuchus dixit regi: vide lignum quod parari fecit pro morte Mardochæi. Cui dixit rex: appendite eum in eo: et sic factum est, et regis ira quievit, et continuo rex substulit Mardochæum in locum Aman, dans sibi annulum, et ad preces Esther revocavit literas missas in perniciem judæorum; et decem filii Aman suspensi sunt, et multitudo maxima interfecta est a judæis numero (1) eorum qui paraverant interficere eos. Quis (2) in hoc non miretur justitiam et sapientiam Dei? qui non solum punivit malignitatem Aman, sed excogitata in alium tormenta convertit in eum! Nunc ad literam dicit poeta: *Poi piovve,* scilicet, per imaginativam, *dentro all' alta fantasia un crucifisso,* scilicet Aman altus princeps, qui exaltatus est in crucem altissimam cum summa ignominia et exaltatione hostis, quem infestissime oderat, *dispettoso,* idest, indignabundus, *e fiero,* idest crudelis quia numerosum genus innocentum volebat crudeliter tradere morti, *nella sua vista,* idest, apparentia, *e cotal si moria,* ex ira et indignatione regis Assueri; unde subdit: *intorno ad sso,* scilicet, Aman, *il grande Assuero,* supple, pluit. Et hic volo te scire, quod hic Assuerus fuit Cambises filius Cyri victi a Thamiri, qui apud Esdram dicitur Artaxerses; in Judith vero dicitur Nabuchodonosor, quem poeta bene vocat magnum. Nam ipse condidit magnam Babyloniam in Ægypto et ab India usque Æthiopiam tenuit regnum

(1) E. e S. de numero. (2) S. e E. Quis ergo in hoc.

super centum viginti septem provincias. Et dicit: *Ester sua sposa,* uxor [1] novitia pudorosa, *e il giusto Mardocheo;* vere justum appellat, quia nolebat exhibere homini honorem adorationis debitum Deo, cum tamen omnes hoc facerent timore et reverentia tanti regis; ideo dicit: *che fu al dir e al far così intero,* idest, tam constans verbis et factis, ut patet ex jam dictis. — *E come.* Hic poeta ponit tertium effectum iræ pessimum omnium, scilicet, cum quis ex ira interficit se ipsum, quo nullum est maius peccatum, sicut dictum est plene Inferni capitulo XIII et primo capitulo Purgatorii. Et ad intelligentiam plenam huius literæ est præsciendum breviter, quod, sicut scribit Virgilius VII Eneidos, regina Amata uxor regis Latini ardens ira et dolore, primo cœpit suadere [2] viro ne daret filiam Laviniam Eneæ, dicens, quod iste prædo asportaret eam per mare ad primum ventum, et quod hic esset alter Paris troianus adulter, qui rapuit Helenam et portavit ad Troiam. Finaliter post multa et aspera prœlia facta inter Turnum et Eneam, regina Amata, sicut scribit idem Virgilius in duodecimo et ultimo, prospiciens de domo sua Eneam hostem venientem contra Laurentum civitatem suam immittere ignem in mœnia, et nullas gentes Turni contra illum, credens juvenem infeliciter extinctum in prœlio, subito dolore converso in furorem post multam querelam, laniata veste, suspendit se laqueo ad altam trabem: et continuo, morte vulgata, Lavinia filia lacerans sibi roseas genas et flavos crines deplorabat infamem mortem matris Amatæ. Ad literam ergo, poeta ostendit quomodo ista tertia species iræ suborta est in mente sua per unam similitudinem propriam et claram, dicens continuative: *E come questa imagine,* idest, statim cum ista imaginatio, *rompeo se*

---

[1] E. scilicet uxor. [2] E. suadere regi ne daret.

per se stessa, idest, cessavit et defecit, *a guisa d' una bulla,* idest, sicut ampulla, *cui manca l' acqua,* idest, materia ex qua, *sotto qual si feo;* sicut enim videmus tempore pluviæ in aqua, quando una bulla vanescit et resolvitur alia statim nascitur, ita nunc una figura finita in mente autoris, alia subintrabat, sed parum durabat, sicut bulla in aqua; *surse in mia visione,* idest, in illa abstractione, *una fanciulla,* scilicet, virgo Lavinia formosissima, *piangendo forte,* super mortem infelicis matris, *e dicea,* idest, dicere videbatur in planctu: *o regina,* mater mea Amata, *perchè hai voluto per ira esser nulla?* Quia ira incitante sponte abiecisti esse, quo nihil nobilius Deus et natura dedit? Et ecce quomodo: *ancisa t' hai per non perder Lavina,* filiam tuam. Hoc dicit quia videbatur illi perdere eam si deveniret ad manus viri extranei; *or m' hai perduta,* interficiendo te; et manifestat se, dicens: *io sono essa,* scilicet, Lavinia, *che lutto,* idest, ploro, *madre,* idest, o mater mea, *pria alla tua rovina ch' all' altrui.* Hoc dicit, quia Amata præmortua est Turno, quia nondum Turnus occisus erat ab Enea, quasi dicat: prius ploro ob mortem tuam ignominiosam, quam aliorum, qui pro me gloriose mortui sunt. Et hic nota, lector, quod Virgilius hanc fictionem accepit ab Homero, qui in XI Odysseæ introducit Anticliam matrem Ulyxis quæ apparuit filio in inferno inter alias animas illustres, et narravit qualiter se interfecerat in vita desiderio eius. Sicut ergo Anticlia suspendit se laqueo timens amisisse dilectissimum filium suum, ita Amata timens perdidisse Laviniam filiam dilectissimam et Turnum generum suum.

Come si frange. Ista est secunda pars generalis in qua poeta describit apparitionem angeli, qui mundavit eum a vitio iræ et direxit ad alium circulum, ubi purgatur aliud vitium. Et primo ostendit quomodo excita-

tus sit a profundo somno per unam nobilem comparationem; et vult sententialiter dicere, quod accidit nunc sibi sicut dormienti fixe in camera, qui, superveniente forti splendore solis per fenestram, et percutiente in faciem suam, subito excitatur totus territus (1); ita nunc lux angeli vehemens excitavit ipsum dormientem cum terrore. Dicit ergo: *Come si frange,* idest, dissolvitur, *il sonno, ove di botto,* idest, subito, *nuova luce,* fugans tenebram, *percuota il viso chiuso,* idest, reverberet in oculos clausos a somno, *che fratto,* idest, qui somnus ruptus, *guizza,* idest, vibratur, *pria che muoia tutto,* idest, antequam moriatur in totum; *così,* a simili, *l'imaginar mio,* idest, imaginatio et abstractio fortis ad modum somni, *cadde giuso,* idest, defecit, *tosto che lume,* scilicet, angelicum, *il volto mi percosse,* lumen, dico, *maggior assai che quello ch'è in nostro uso,* quale est lumen solis, vel quodcumque lumen nostrum; quia angelus lucet splendidius omni luce mundana. — *Io.* Hic poeta, ostenso lumine angeli quo fuit excitatus, ostendit vocem eiusdem qua fuit invitatus ad novam materiam. Unde dicit: *Io mi volgea,* tamquam attonitus, *per veder ov'io fosse,* quia nesciebam me esse in fine tertii circuli iracundorum, *quando una voce,* scilicet, angelica, suavis, non terribilis sicut vox Laviniæ, *disse: qui si monta;* scilicet, ad quartum gradum accidiosorum, *che da ogni altro intento mi rimosse,* idest, quæ vox removit me omnino a materia iræ prius intenta (2), et disposuit ad aliam materiam. Et subdit quomodo ex voce factus est avidissimus videndi loquentem, si forte possit (3) cognoscere eum. Unde dicit: *e fece la mia voglia tanto pronta,* quia vox non sonabat humana, *di riguardar chi era che parlava;* quia sicut lumen angeli excesserat omne lumen nostrum,

---

(1) E. exterritus. (2) 117, inchoata. (3) 117, posset.

ita loquela eius excesserat omne humanum eloquium; ideo putabat, quod loquens non esset spiritus hominis, sed angelus; ideo bene dicit: *che mai non posa, se non si raffronta,* idest, nisi revertatur ad cœlum, unde venit ad videndum naturam angelicam de fronte ad frontem: et verum dicit, quia omnia naturaliter (1) repetunt principium suum, sicut videmus quod corpus humanum numquam quiescit donec revertatur ad terram, et anima rationalis numquam quiescit donec revertatur ad cœlum. Ergo bene voluntas hominis, quæ fertur in summum bonum, numquam quietatur nisi demum illo invento. Et subdit quod frustra tentabat cognoscere angelum per comparationem eiusdem solis, quia sicut oculus humanus non potest respicere lumen eius propter infirmitatem suam et excellentiam luminis illius, ita nunc multo minus oculus eius poterat angelum intueri. Unde ordina sic literam: *ma la mia virtù,* scilicet, visiva, *quivi mancava,* scilicet, in respiciendo angelum qui celabat se nimio lumine suo, *così come al sol,* supple, deficiebat, *che nostra vista grava,* idest, visionem hominis propter disproportionem virtutis ad obiectum, *e per soverchio,* idest, propter excellentiam luminis, *sua figura vela,* scilicet (2) nobis. — *Questi.* Hic poeta ostendit qualiter Virgilius videns quod ipse in vanum conabatur cognoscere loquentem manifestavit ipsum sibi, nam Virgilius non videbat oculo corporali, ideo acutius et perfectius. Dicit ergo Virgilius: *Questi è divino spirito,* scilicet, angelicus, benefactivus (3), *che ne drizza ne la via d' andar su,* ad altiorem gradum, ut sic tandem pervenias in patriam et regionem angelorum, *senza prego,* quia non expectat rogari, *e col suo lume se medesmo cela,* et hæc est ratio quare non potes videre eum. Et ostendit veram carita-

(1) 117, naturalia.
(2) E. idest, celat nobis.
(3) E. e 117, benefactivus, caritativus.

tem angeli per comparationem propriam dicens: *sì fa con noi,* scilicet, ille spiritus angelicus, *come l' uom si fa sego;* quasi dicat: sicut homo ex quadam naturali benevolentia et caritate succurrit sibi ipsi quando est opus sine prece alterius, ita nunc iste angelus se habet ad nos et prævenit preces nostras. Et in hoc Virgilius arguit communem errorem hominum, qui videntes indigentiam proximi, licet velint subvenire, tamen expectant et volunt rogari. Unde dicit: *chè quale,* idest quicumque, *aspetta il priego e l' uopo vede,* idest, necessitatem et inopiam, *malignamente già si mette al nego;* quasi dicat: jam videtur tacite negare, et crudeliter agit et contra caritatem, quando non prævenit precem si cognoscit indigentiam hominis; quia ergo angelus tam benigne docuit viam, ideo Virgilius suadet esse obediendum sibi, dicens: *Or secondiamo a tanto invito il pede;* quasi dicat: ergo age, sequamur et intremus viam, *procacciam di salir,* idest, procuremus ascendere scalam, *pria che s' abbui,* idest, antequam fiat nox obscura; et ecce causam: *chè poi non si poria,* supple, *salir, se 'l dì non riede;* cum sole novo, quia de nocte numquam potest iri per purgatorium. Et concludit: *così il mio duca,* idest Virgilius ita locutus est mihi de angelo, et invitatione sua. — *Et io.* Hic poeta describit ascensionem cum purgatione sua, dicens: *Et io con lui volgemmo i nostri passi ad una scala,* quæ ducebat ad quartum circulum, *e tosto ch' io al primo grado fui,* ut intrarem scalam, *senti'mi presso quasi un muover d' ala;* hæc erat ala angeli, *e ventarmi nel viso,* et delere unum (¹) peccatum a fronte mea, scilicet, peccatum iræ, quod declarat litera sequens, quæ dicit: *e dir,* versus me: *Beati pacifici, che son senz' ira mala.* Et hic nota bene quod (²) signanter dixit ira

(¹) 117, unum P a fronte mea.
(²) 117, quod poeta noster signanter.

mala, quia aliqua ira potest esse bona et sine peccato, quando fit cum moderamine certo, quamvis Tullius in suo Tusculano, et Seneca in libro de ira longo discursu conentur ostendere omnem iram fore malam et detestabilem: tamen nescio videre quomodo sententia Philosophi possit damnari, qui vult quod fiat cum debitis circumstantiis, scilicet ubi, quando, quomodo, et qualiter; nam propter tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis, etc. — *Già.* Hic ultimo poeta describit tempus quo ascenderunt scalam istam, quia scilicet erat nox; unde dicit: *Già eran sopra noi,* scilicet, per summum aeris, *gli ultimi raggi,* scilicet, solis, *che,* idest, quos radios, *la notte segue;* et hic finitur secunda dies ascensus purgatorii, *che le stelle apparivan da più lati,* disparente sole, qui minora lumina non permittit apparere de die. Et subdit quomodo cœpit fatigari, dum tenderet contra montem, de quo conqueritur, dicens exclamative: *fra me stesso dicea: o vertù mia, perchè sì ti dilegue?* idest deficis omnino, ita quod non possum ulterius facere passum, imo nec movere pedem? et huius non erat alia causa nisi nox superveniens, quæ impediebat ulterius ire; unde dicit: *che mi sentiva la possa delle gambe,* idest, potentiam ambulandi, *posta in tregue,* idest, in quiete, quia frustra conabatur movere crura. Alii tamen dicunt quod tendenti ad purgationem accidiæ labor videbatur nimis gravis; sed prior expositio est verior.

Noi eravam. Ista est tertia pars pulcerrima huius capituli, in qua poeta subtiliter venatur ortum accidiæ et cæterorum vitiorum tam purgatorum, quam purgandorum. Et primo describit locum ubi quievit, et apparavit se ad investigandum, dicens continuative: *Noi eravam,* quasi dicat: jam perveneramus ad locum, *dove la scala non saliva più su,* scilicet, in supremo gradu, nec ipsi poterant amplius ascendere pro tunc propter obscu-

ritatem noctis, *et eravamo affissi,* idest, firmaveramus nos ibi a simili, *pur come nave ch' alla piaggia arriva:* et est similitudo propria valde. Sicut enim navis firmatur ad plagiam, ut stet ad tempus, et postea tandem perveniat ad portum, ubi tutissime quiescat; ita nunc ingenium poetæ, quod ipse jam assimilavit navi in principio huius purgatorii, firmaverat se ad summitatem scalæ, ubi staret per noctem: et ita jam fecit alibi, et faciet donec perveniat ad Deum, in quo tamquam in placido portu mens post longam navigationem quiescat. Nec tamen voluit perdere inutiliter istam noctem; unde dicit: *ed io attesi un poco s' io vedessi alcuna cosa,* vel secundum aliam literam, *udissi, nel nuovo girone,* scilicet, quarto, sicut erat aliquando solitus videre vel audire in introitu aliorum circulorum; *e poi,* scilicet, cum nihil viderem vel audirem, *mi volsi al mio maestro,* scilicet, Virgilium, qui informaret me de loco; *e dissi: o dolce mio padre,* loquitur blande avidus audiendi novitatem, *di', quale offensione,* idest, culpa offendens Deum, *si purga qui nel giro dove semo?* scilicet quarto; et dicit: *se i piè si stanno,* quasi dicat: si non possumus ambulare de nocte, *non stia tuo sermone;* quia bene possumus loqui de aliqua materia pulcra non impertinente ad propositum. Et hic nota, lector, quod poeta noster magna arte facit hic istam inquisitionem utilem et necessariam, per quam facit distinctionem claram totius purgatorii per omnes gradus suos, sicut fecit in uno capitulo inferni per omnes circulos etc. — *Et elli.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad se dicens: *Et elli a me,* supple, Virgilius respondit: *l' amor del ben,* scilicet, veri boni, *scemo,* diminutus [1] et lentus, *del suo dover,* ad acquirendum illud bonum: hoc autem non est aliud dicere nisi accidia. Est

---

[1] E. diminutum et lentum.

enim accidia amor defectivus boni summi, quod ardentius petere debemus. Est ergo accidia quædam negligentia, tepiditas, et quasi contemptibilitas ad acquirendum bonum appetibile; *qui ritto si ristora,* idest, in isto circulo suppletur, et emendatur; ideo dicit: *qui si ribatte il mal tardato remo;* et est propria metaphora. Sicut enim qui navigavit (1) lente in die cogitur frequentius (2) verberare aquam cum remo, si vult restaurare quod perdidit et pervenire citius ad portum; ita homo qui negligentius in vita tetendit in bonum, cogitur solicitius currere post mortem in isto circulo quarto, sicut dicetur in sequenti capitulo. — *Ma.* Hic Virgilius quia fecerat rationem (3) de amore dilatat se et extendit ad determinandum originem et causas unde septem peccata principalia procedant, quorum omnium est causa amor; et summarie videtur dicere, quod superbia, invidia et ira oriuntur ex amore sive appetitu mali in proximum: accidia ex lento amore cognitionis et acquisitionis veri boni: reliqua tria, scilicet, avaritia, gula et luxuria, nascuntur ex superfluo amore non veri boni. Et sic amor perversus est origo et radix omnium peccatorum. Primo ergo ostendit quomodo Virgilius fecerit eum attentum ad istam distinctionem faciendam, promittens sibi utilitatem eius. Unde dicit: *Ma perchè più aperto intendi ancora,* ultra id quod dixi de amore, *volgi la mente a me,* idest, speculationem mentalem ad verba mea, *e prenderai alcun buon frutto di nostra dimora;* ita quod (4) non perdemus istam noctem qua habemus morari hic. Et vere magnus fructus, quia ex isto sermone colligitur tota forma et qualitas purgatorii, et omnia tractata et tractanda fiunt apertiora ista distinctione facta. — *Nè.* Hic poeta ostendit qualiter Virgilius tractaturus promis-

---

(1) S. navigat.

(2) E. frequentius in nocte verberare.

(3) 117 e E. fecit mentionem.

(4) E. quod per hoc non perdemus.

sam materiam incipit a quodam generali principio necessario ad istam distinctionem. Et ad declarationem istius literæ fortis oportet primo scire, quod est duplex amor, scilicet naturalis, quia omnia naturaliter bonum appetunt et (1) lucem; alius est animalis, sive voluntarius. Primus non potest esse causa peccati; sed secundus sic diversimode, propter arbitrii libertatem, sicut cum quis amat rem, quæ non debet amari, sed sibi videtur bona, sicut destructionem proximi: vel amat rem amabilem sed nimis inordinate: vel amat rem summe amabilem, sed remisse et lente sicut patet in litera. Dicit ergo poeta: et ille Virgilius, *cominciò,* supple, dicere mihi: *figliuol mio, nè Creator,* scilicet Deus, *nè creatura,* res (2) creata a Deo, quasi dicat: nihil in rerum natura, *fu mai senza amore,* et ecce quomodo: *o di natura o d'animo,* quia omnia vel naturaliter vel voluntarie amant bonum, et dicit: *e tu il sai,* tamquam bonus philosophus et theologus. Hoc præsupposito declarat qui amor est causa boni, et qui causa mali, dicens: *lo natural,* idest, amor ex intentione naturæ, *è sempre senza errore,* quia numquam declinat ad malum; *ma l'altro,* scilicet, amor voluntatis, *puote errar per malo obbietto,* quod videtur sibi bonum et non est. Nam malum in quantum * malum amari non potest, sed in quantum * (3) apparens bonum: obiectum enim est illud quod primo occurrit potentiæ, sicut color est obiectum visus, et bonum est obiectum voluntatis (4): ergo per malum obiectum intellige falsum bonum, sicut quando amamus destructionem proximi, quæ videtur nobis utilis, sicut statim dicetur. Aliquando amor potest errare circa obiectum bonum amando indebite, sicut amando divitias

(1) E. e 117, bona appetunt et salutem. (2) E. scilicet res.
(3) Le parole fra i due asterischi sono supplite dai Codici 117 e Estense.
(4) 117, voluptatis.

plusquam debeat, vel amando summum bonum minus quam debeat; unde dicit: *o per troppo di vigore,* scilicet, nimis appetendo temporalia, *o per poco,* scilicet, lente amando Deum, et protelando verum bonum. — *Mentre.* Hic Virgilius declarat quod dixit ostendens quando amor peccat, et quando non, dicens: *mentre ch' egli,* scilicet, amor animi, *è diretto nel primo ben,* puta Deum per virtutes, *e se stesso misura,* resecando superflua, et cum modo et mensura amando temporalia quantum sunt necessaria (1) humanæ vitæ, *nei secondi,* scilicet, bonis externis (2) fortuitis, quæ sunt bona secundaria et ordinantur ad principalia, *esser non può cagion di mal diletto,* idest, peccati, et non potest errare, quia solæ virtutes sunt quibus non contingit male uti. Et quando possit peccare ostendit dicens: *ma quando,* ipse amor animi, *si torce al mal,* scilicet, ad malum proximi per superbiam, invidiam, iram, quod tamen sibi videtur bonum, ut jam dictum est, *o corre nel bene con più cura che non dee,* scilicet, quando est nimis solicitus circa corporalia (3) per avaritiam, gulam, luxuriam, *o con men,* idest, et quando amor currit in summum bonum cum minori solicitudine quam debeat per accidiam; tunc, *sua fattura,* scilicet homo creatus a Deo, *adovra contr' al fattore,* scilicet Deum creatorem qui est amandus super omnia; quasi dicat: tunc peccat, quia facit contra mandata sua. Et concludit, dicens: *quindi comprender puoi,* quasi dicat: ex præmissis potes facile colligere, *che amor conviene esser semenza,* idest causa, *in voi,* scilicet, hominibus, *d' ogni virtute,* tunc, scilicet, cum est directus in primis bonis et mensuratur in secundis, *e d' ogni operazione,* scilicet, malæ, *che merta pene.* Et sic habes quod amor est radix et origo omnis actionis tam meritoriæ

(1) E. necessaria huic vitæ. (2) E. exterius. (3) 117, temporalia.

quam demeritoriæ quando detorquetur ad malum, vel currit ad bonum cum maiori vel minori cura quam debeat. — *Or perchè.* Nunc Virgilius intendit ostendere quæ vitia oriuntur ex amore mali, quod tamen videtur apparens bonum. Et primo præmittit quod talis amor est semper ad alium non ad se ipsum; quia amor semper conservat illum in quo est, et unusquisque desiderat suam salutem. Dicit ergo: *Or perchè amor mai non può volger viso,* quia ubi amor ibi oculus, *dalla salute del suo subietto,* quia (1) amor numquam potest recedere ab eo cuius est amor; *le cose son tute,* idest, securæ et remotæ, *dall' odio proprio,* scilicet, sui ipsius, quia nemo potest odire se ipsum; similiter non potest quis odire Deum. Unde dicit: *e perchè alcuno esser non si può intendere diviso dal primo,* scilicet, Deo, *nè per se stante,* quia sine Deo nihil esse potest, ideo, *ogni affetto è deciso,* idest, omnis affectio est separata, *da odiar quello,* idest ipsum primum esse; quasi dicat: quia impossibile est quod aliquid esse creatum sit et stet per se (2) sine ipso primo esse, ideo non odit ipsum. Et ex his infert propositum intentum, scilicet, quod odium est proprie ad alium, non ad se vel ad Deum. Unde dicit: *resta,* idest, relinquitur ergo: *se ben estimo dividendo,* per locum a sufficienti divisione, *che mal che s' ama,* sub colore boni, semper intelligas, *ode il prossimo,* idest, odio habet; et tale odium causatur ab amore quem habet ad se ipsum, *et esso amor,* scilicet, mali, *nasce in vostro limo,* idest, in vobis hominibus, quia primus homo factus est de limo terræ et ab ipso contraxit omnem amorem mali, quia voluit excellentiam sui: ponitur tamen hic materia pro materiato; et dicit: *in tre modi,* ex quibus oriuntur tria prima pessima vitia. — *È.* Hic Virgilius tangit primum

---

(1) 117, idest, quia. (2) E. per se ipsum sine primo.

modum mali amoris, a quo nascitur primum vitium damnabilissimum, scilicet superbia. Superbus enim, quia [1] amat exaltationem suam, desiderat depressionem proximi. Dicit ergo: *È,* supple aliquis, *chi spera eccellenza,* nam superbire non est aliud, quam super alios velle ire, *per esser suo vicin soppresso,* idest, propter depositionem proximi, *e sol per questo brama,* idest, et solum propter istam causam et non aliam appetit, *ch' el sia in basso messo,* idest, quod ille vicinus deiiciatur a statu suo, *di sua grandezza,* idest, ut ipse magnificetur. Sed hic nota quod talis amor vere est perversus; nam quærit jacturam et ruinam suam, sicut plane [2] monstratum est supra capitulo XII. Nihil enim superbius homine, nihil miserius, ut ait Plinius: *Cur enim vel unde miser homo superbit? An nescit se receptaculum sordium, hospitium dolorum, mancipium mortis?* Nihil est ergo odiosius Deo quam superbia. Certe cum cætera peccata hominum habeant excusationem, licet iniustam, superbia nullam habet cum sua filia invidia, quæ statim sequitur matrem. Ergo monstri genus est superbus homuncio. — *È.* Hic Virgilius tangit secundum modum amoris mali, a quo nascitur invidia. Invidus enim, quia timet ne alterius fortuna deroget suæ fortunæ, dolet de illius felicitate. Dicit ergo: *È,* idest, est aliquis alius, *chi teme di perder podere,* idest, potentiam, *grazia,* idest, favorem hominum, *onore e fama;* nam invidia proprie est inter pares, sicut figulus invidet figulo, medicus medico, *per ch' altri sormonti,* idest, quia vicinus super excedit eum in facultate sua [3], *onde s' attrista sì che 'l contrario ama,* scilicet, ut ille deprimatur. Et hic nota quod invidia maxime regnat inter vicinos: unde rex romanorum non invidet regi parthorum, aut ille sibi; sed quando vicini

---

(1) 117, qui amat.
(2) 117, plene demonstratum est.
(3) E. in felicitate sua.

erant imperio, tunc erat invidia magna. Nonne satis nostra mala nos premunt nisi aliena nos crucient? antiquum proverbium est: invidia lippa est [1] oculis, non videt; unde vicinitas et prosperitas parentes sunt invidiæ. Quid ergo tristius invidia, quæ solis malis pascitur et torquetur bonis? et quod aliis optat jam sibi habet malum. Ergo bene et egregie Alexander Macedo dicebat invidos nil aliud esse quam tormenta sui. Et certe verbum grave erat levis juvenis. — *Et è.* Hic Virgilius tangit tertium modum mali amoris a quo nascitur ira: iracundus enim appetit vindictam de parvipendente eum, cum homo naturaliter sit appetitivus [2] honoris. Dicit ergo: *Et è,* scilicet, aliquis alius, *chi par ch' adonti,* idest, recipiat contumeliam, *per ingiuria,* factam ab alio, *sì che si fa della vendetta ghiotto,* idest avidus multum, *e tal conven che il male altrui impronti,* scilicet, destructionem proximi. Et hic nota quod hæc pestis quamvis destruat et cruciet alios, tamen sæpe possessorem suum; unde [3] licet Homerus dixerit iram esse dulciorem melle distillante, nihil tamen videtur amarius ira. Unde Cælius senator romanus iracundissimus hominum exclamans contra familiarem suum, qui in omnibus sibi consentiebat, dixit irascens: dic aliquid contra ut simus duo: sic omne verbulum trahimus ad iniuriam capitalem; nec est tanta offensa quanta est superbia nostra. Nobilissimum ergo genus vindictæ est parcere. Ideo bene nobilissimus orator tribuit ad summam laudem nobilissimo duci, quod nihil soleret nisi iniurias oblivisci. Adrianus vero factus imperator uni quem habuerat capitalem inimicum dixit: evasisti. Vere verbum nobile magnificum et cæsareum. Et concludit istud membrum, dicens: *questo triforme amor,* idest, iste triplex amor mali

---

(1) E. lippa est, non videt. — 117, lippa est oculis, longinqua non videt.
(2) 117, amativus. (3) E. unde sæpe licet.

in proximum, *si piange quaggiù di sotto,* idest, purgatur in tribus circulis inferioribus, de quibus jam tractatum est, ita quod respicit ad locum non ad librum. — *Or.* Nunc Virgilius procedit ad distinguendum amorem boni, ut ostendat quæ peccata committuntur circa ipsum. Et primo invitat autorem ad attentionem alterius membri, dicens: *Or vo' che tu dell' altro intende,* idest, volo quod intelligas de alio amore, scilicet boni; unde dicit: *che corre al ben con ordine corrotto.* Deinde volens ostendere unde oriatur accidia præmittit unum generale principium necessarium ad hoc, dicens: *ciascun confusamente un bene apprende,* idest, cognoscit unum verum et summum bonum, quia nullus est tam barbarus qui non cognoscat in confuso Deum esse, *nel qual si queti l' animo,* quia tali bono apprehenso nihil ulterius desiderare potest; ideo dicit: *e desira,* idest, desiderat illud bonum quod patet, *perchè ciascun contende,* idest, conatur, *di giugner lui,* idest, illud bonum. Ergo, *se lento amore in lui veder vi tira,* scilicet, ad ipsum cognoscendum, *o a lui acquistare,* idest, vel ad ipsum requirendum [1], *questa cornice,* idest, iste circulus quartus, *ve ne martíra,* idest, punit, *dopo giusto pentir,* quia nullus ad purgatorium accedit nisi juste pœnitens; et iste amor lentus vocatur accidia. — *Altro.* Hic ultimo Virgilius describit aliud bonum secundarium a quo oriuntur alia tria vitia. Dicit ergo: *Altro bene è,* scilicet, secundarium, voluptarium [2], *che non fa l' uom felice,* sicut facit primum bonum; et hoc bonum, *non è felicità,* scilicet vera, *non è la buona,* scilicet, beatitudo [3]; ideo dicit: *e la radice,* scilicet, talis boni fortuiti, *è senza alcun buon frutto,* quia non parit veram beatitudinem. Ergo: *l' amor che ad esso,* scilicet, huic bono fallaci, *troppo s'abbandona,* nimis im-

---

(1) S. e E. acquirendum. (2) S. voluntarium. (3) 117, talis beatitudo.

moderate appetendo, *si piange,* idest, punitur, *di sopra noi,* respicit ad locum non ad librum, *per tre cerchi,* idest, in tribus circulis superioribus, quasi dicat: hic amor parit avaritiam, gulam, et luxuriam. Et subdit claudens materiam et capitulum, quod relinquit istum amorem boni indistinctum. Unde dicit: *ma come tripartito,* idest, qualiter ipse amor boni divisus in tres partes, *si ragiona, tacciolo acciò che tu per te ne cerchi.* Hoc dicit, quia in sequentibus poeta faciet specialem tractatum de unoquoque trium vitiorum procedentium ab isto triplici amore. Aut enim nimis amas bona divitiarum, et tunc incurris avaritiam; aut nimis amas te, et incurris gulam; aut nimis amas speciem humanam, et (1) sic luxuriam.

(1) E. et incurris luxuriam.

CANTUS DECIMUS OCTAVUS, *in quo tractat etiam aliquantulum de amore; et omnibus declaratis post aliquam visionem invenerunt spiritus accidiosos sub titulo cuiusdam abbatis veronensis et aliorum multorum, et de modo pœnæ.*

Posto avea fine al suo. Postquam in superiori capitulo poeta demonstravit qualiter omnia vitia habent originem ab amore, nunc in isto capitulo XVIII intendit purgare vitium accidiæ quod oritur ab amore remisso veri boni. Et præsens capitulum est distinctum in quinque partes generales. In prima quarum poeta facit diffinitionem amoris. In secunda movet unam dubitationem quæ nascitur ex illa diffinitione (1), ibi: *Le tue parole.* In tertia describit in generali pœnam et purgationem accidiosorum, ibi: *La luna.* In quarta introducit unum spiritum modernum in speciali qui laboravit morbo accidiæ, ibi: *O gente.* In quinta et ultima docet expellere vitium accidiæ, ibi: *E quei.* Ad primum ergo dico quod poeta petit a Virgilio diffinitionem amoris; et primo continuans dicta dicendis, dicit (2): *L' alto dottore,* idest excellens poeta Virgilius qui alte docuerat ortum omnium vitiorum, *posto avea fine al suo ragionamento,* idest, ratiocinio subtili quod fecerat de amore, *et attento guardava,* quia de materia forti, *nella mia vista s' io parea contento,* de distinctione facta. Et ostendit quomodo non contentus adhuc dubitabat, dicens: *et io cui nuova sete,* idest, aviditas sciendi, *ancor frugava,* purgabat et coquebat, *di fuor taceva,* sermone verbali, *e dentro dicea:* sermone mentali, *forse lo troppo dimandar ch' io fo li*

(1) 117, distinctione. (2) E. dicit sic: *L' alto.*

grava. Per hoc autem dat intelligi, quod aliquandiu deliberavit cum ratione si satis ad plenum dictum erat de materia amoris, et videbatur quod non. Et subdit quomodo Virgilius præstitit sibi securitatem petendi, dicens: *ma quel padre verace,* scilicet, Virgilius, *che s' accorse del timido voler che non s'apriva,* ad propalandum dubium, *parlando, di parlar ardir mi porse.* Quia dixit: pete audacter quod concepisti. — *Ond' io.* Hic poeta ponit petitionem suam; et primo captat benevolentiam ut reddat eum magis promptum ad dicenda, commendans quæ dicta sunt. Unde dicit: *Ond' io,* supple petivi et dixi: *o maestro,* scilicet, Virgili: continuo accumulat eius honorem; primo enim vocaverat eum doctorem altum, deinde patrem verum, nunc tertio magistrum; *il mio voler s'avviva,* idest, vigoratur, *sì nel tuo lume,* idest, claro eloquio, *ch' io discerno chiaro,* sine nube dubitationis, *quanto la tua ragion,* per scientiam naturalem et moralem, *porti o descriva,* circa distinctionem amoris per te factam; *però ti prego, dolce padre caro,* blande loquitur ne gravetur, *che mi dimostri,* idest, diffinias, *amore* (1), quid sit amor, *a cui,* idest, ad quem amorem, *riduci,* per distinctionem quam nuper fecisti, *ogni buono operare e 'l suo contraro,* idest, male operari: et sic vide quod poeta necessario facit hic istam petitionem ad maiorem perfectionem sui tractatus, ne videretur procedere per ignota. Ex dictis enim bene constabat qualiter amor esset causa omnis boni et mali, sed non apparebat quæ res esset amor. — *Drizza.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii ad suam petitionem, qui primo reddit eum attentum ad dicenda (2) ostendens difficultatem materiæ. Unde dicit: ergo ille Virgilius, *disse: drizza vêr me le acute luci dell' intelletto,* idest subtiles oculos intellectuales, *e fieti ma-*

(1) E. *amore,* idest quid. (2) E. ad dicendum.

nifesto l'error de' ciechi, idest, quorumdam ignorantum, *che si fanno duci,* idest, doctores ([1]), dicentes omnem amorem esse laudabilem, ut dicitur infra, quod falsum est. Et volens ostendere, quid sit amor, incipit parum a longe ab ipsius radice, dicens: *l' animo ch' è creato ad amar presto,* quia sicut dictum est in capitulo præcedenti, nec creator, nec creatura fuit unquam sine amore, *è mobile,* idest, inclinabilis, *ad ogni cosa che i piace,* idest, ad quicquid delectat ipsum, *tosto che è desto,* idest, quam cito excitatur et movetur, *dal piacer innato,* idest, intus nata delectatione. Sicut cum vides mulierem speciosam, forma illius intrat per fenestras oculorum in camaram animæ, et movet ad amandum illam quamvis absentem vel numquam videndam. Et declarat quod dixit, dicens: *vostra apprensiva tragge intenzione,* mentis, *da esser verace,* idest, a re vera extra existente; quia nihil est intellectu ([2]) quod non prius fuerit in sensu, et intrat in animam per visum vel auditum etc. Unde dicit: *e dentro a voi la spiega,* scilicet, illam rem quæ placet, *sì che face l'animo,* idest, voluntatem, *volger ad essa,* scilicet rem, *e se rivolto,* ipse animus, *si piega in vêr di lei,* scilicet, illius rei. Ergo amor est inclinatio animi ad rem sibi placitam oblatam ab extra; unde dicit: *quel piegar è amore, quello è natura,* quia potest dici quædam natura de novo impressa in animo, *che in voi si lega,* idest, creatur, *con piacer di voi,* virtute rei placibilis. — *Poi.* Hic Virgilius data diffinitione amoris ostendit per comparationem naturalem vim et efficaciam amoris; unde dicit: *poi l'animo preso,* scilicet, ab amore, *entra in disire,* idest, capit desiderium rei amatæ, *che è moto spiritale,* idest, quod desiderium est motus spiritualis, *e mai non posa fin che la cosa amata il fa gioire,* idest, donec capit fructum opta-

([1]) E. ductores. ([2]) E. e S. in intellectu.

tum cum gaudio, *così come il fuoco movesi in altura,* idest, ex sui natura semper tendit sursum, *per la sua forma ch' è nata a salire,* idest, est apta nata ad ascendendum, *là dove,* scilicet, in spera sua, *più in sua matera dura.* Et est comparatio convenientissima de amore ad ignem, ratione levitatis, caliditatis et potentiæ. — *Or.* Hic ultimo Virgilius ostenso quid sit amor, et unde et quomodo generatur in nobis, nunc detegit errorem cæcorum, de quibus dixerat supra. Dicit ergo: *Or ti puote apparer,* scilicet, ex jam dictis, *quant' è nascosa,* idest, ignota et ignorata, *la veritade alla gente ch' avvera,* idest, pro vero ponit et affirmat, *ciascuno amore,* boni et mali, *in se laudabil cosa,* supple esse, quod tamen non est. Et assignat causam erroris istorum, quia considerabant materiam amoris esse bonam, cum nihil possit amari nisi bonum; sed non considerabant quod aliquid potest apparere bonum, quod tamen in se malum est, sed amatur tamquam apparens bonum; unde dicit: *però che forse appare la sua matera,* scilicet, amoris, in quantum amor est, *sempre esser buona;* et bene dicit apparet, quia posito quod id quod amatur semper appareat bonum, non tamen semper sic est, quod declarat sub metaphora pulcra [1] dicens: *ma non ciascuno segno è buono, ancor,* idest, quamvis, *che buona sia la cera,* idest, signatum [2]. Quamvis enim cera sit in se bona, non tamen omne signum quod imprimitur in ea est bonum; ita posito quod res super quam fundatur amor sit in se bona, tamen potest indebite amari, sicut cum quis nimia cura amat temporalia, et multo fortius si apprehendit rem malam pro bona.

Le tue parole. Ista est secunda pars generalis difficilior prima, in qua poeta movet unam quæstionem quæ oritur ex responsione Virgilii, quod dubium stat senten-

---

(1) 117, propria dicens. (2) E. signatum; hoc est quamvis enim.

tialiter in hoc: si amor per te venit ab extra, idest a placibilitate rei oblatæ in quo anima meretur vel demeretur si bene vel male amat, cum causa sit [1] extrinseca. Ad literam ergo poeta continuans dicta dicendis, dicit: *Risposi io lui,* scilicet, Virgilio domino, patri et magistro, *le tue parole m' hanno discoperto amore,* idest, manifestaverunt mihi diffinitive quid sit amor, *al mio sequace ingegno,* idest, ingenio meo quod sequitur te; *ma ciò m' ha fatto di dubbiar più pregno,* quasi dicat: ex solutione primi dubii natum est aliud maius et periculosius in mente mea. Nam arguo sic: per id quod dixisti omnis operatio tam bona quam mala procedit ab amore, et amor generatur a re placibili, quæ offertur nobis ab extra, ad quam placibilitatem animus ligatur; ergo nec meretur nec demeretur. Si enim anima habet a creatore quod sit apta nata ad possendum habere complacibilitatem, et per talem dispositionem amat, si amat male non est sua culpa, si bene non est suum meritum. Dicit ergo: *chè s' amor è offerto,* animo nostro, *di fuori a noi,* a placibilitate rei extrinsecæ, *e l' anima non va con altro piede,* quam cum pede amoris, qui est naturalis motus, quia anima creata est ad id, ut dixisti supra, *non è suo merto,* idest, laus vel culpa, sed obiecti placibilis, *se va dritta o torta,* idest, per viam virtutum vel vitiorum. — *Et elli.* Hic poeta volens solvere istud forte dubium, primo inducit Virgilium protestantem [2], quod intendit solvere quæstionem secundum scientiam naturalem non divinam. Dicit ergo: *Et elli a me:* supple, Virgilius respondit: *dir ti poss' io,* circa quæsitum, *quanto ragion qui vede,* idest, quantum philosophia naturalis in hoc cognoscit; *da indi in là,* idest, si volueris scire ultra rationem naturalem, *t' aspetta pur a Beatrice,* idest, theo-

---

[1] 117, videatur extrinseca. [2] S. protestando.

logiæ; et continuo glossat quid intelligat per Beatricem in toto opere suo; unde dicit: *ch' è opra di fede;* et sic non videtur scientia cum scire sit rem per causam cognoscere; sed certe est scientia perfectissima quia infusa a prima causa, non inventa ab ingenio humano. — *Ogni.* Hic Virgilius incipit solvere dubium, et primo assumit unum generale principium necessarium ad suum propositum. Et ad huius fortis literæ intelligentiam oportet primo scire, quod anima vegetativa et sensitiva educitur de potentia materiæ, et simul oritur et moritur cum illa, sicut patet in plantis et brutis; sed anima rationalis non educitur de potentia materiæ, nec oritur cum corpore, sed infunditur a Deo et datur pro forma. Modo ad propositum poeta vult dicere sententialiter quod omnis anima rationalis habet suam certam virtutem, quæ non potest cognosci nisi producatur exterius in actum: ideo si scientia naturalis videt animam habere complacibilitatem in bono, judicat eam bonam, et si videt contrarium, judicat contrarium: nunc poterit esse litera clara. Dicit ergo Virgilius: *Ogni forma sustanzial,* idest, omnis anima humana, *ch' è setta,* idest divisa, *da materia,* idest, quæ consideratur abstracta a materia; omnis enim forma talis est simplex et sine materia; vel secundum aliam literam, *et à matera,* scilicet, per se, *et è con lei unita,* idest, coniuncta corpori, *ha vertù specifica,* idest, habet unam proprietatem qua differt ab aliis eiusdem speciei, scilicet, rationem vel intellectum, *colletta in se,* scilicet, intra ipsam animam, *la qual,* scilicet, virtus, idest, ratio, *non è sentita,* idest, cognita, *senza operar,* extra in rebus; unde dicit: *nè si dimostra, ma che per effetto,* idest, non apparet nisi solummodo, quando videtur effectus extrinsecus, sicut a simili [1] in anima im-

[1] 117, in simili casu anima.

perfecta non cognoscimus quod vivat, nisi quando videmus eam florere. Unde dicit: *come vita,* idest, anima vegetativa, supple, demonstratur [1], *per verdi fronde,* idest, cum viret. — *Però.* Hic Virgilius ex præmisso principio elicit conclusionem principaliter intentam, scilicet quando anima meretur vel demeretur, et quando non. Et [2] videtur dicere in effectu, quod primi motus non sunt in potestate nostra, ideo per illos non habemus meritum, vel demeritum; sed secundi sic. Dicit ergo: *Però l' uom non sape,* idest, scire non potest, *là onde vegna l' intelletto,* idest, ratio, *delle prime notizie,* idest, primarum rerum quæ sciuntur, sicut principiorum vel maximarum, similiter nescit unde veniat affectus primorum appetibilium, unde dicit: *e prima è appetibile l' affetto,* sed ista non videtur bona litera, ideo dic et melius: *e de' primi appetibili l' affetto,* idest, voluntas prima, quæ dicitur primus motus, qui non est noster nec in nostra libertate. Hoc autem declarat per simile, dicens: *che,* idest, quæ notitiæ, vel principia, *sono in voi,* scilicet, ignotæ, *sì come studio in ape,* idest, sicut ignoratur quare apes student circa faciendum mel potius quam muscæ. Non enim potest assignari ratio nisi a virtute specifica: sic et in multis videmus, sicut Gallienus scribit de herba quæ attrahebat sanguinem, quod rusticus expertus est in porcello. Ideo dicit: *e questa prima voglia,* idest, affectus vel motus, *non cape merto di lode o di biasmo,* quia non est in potentia nostra. — *Or.* Hic Virgilius concludit intentum, dicens: *Or perchè ogni altra,* scilicet, voluntas, *si raccoglia a questa,* * scilicet, primæ, *innata v' è,* idest, intus nata in vobis, *la virtù che consiglia* * [3], scilicet, liberum arbitrium; unde paulo infra vocat istam virtutem innatam libertatem; unde dicit:

---

(1) 117, monstratur. (2) 117, Et vult dicere.

(3) Le parole fra i due asterischi sono dei Codici 117 e Estense.

et dell' assenso de' tener la soglia, idest, virtus eligendi bonum a malo; ideo subdit: *questa è il principio,* scilicet, voluntas arbitrii, quæ est principium intrinsecum volitivum, *là onde si piglia cagion di meritar in voi secondo che amor,* rectus et perversus, *accoglie e viglia,* idest, recipit et expellit: et est verbum rusticorum purgantium frumentum in area, qui excludunt superflua ab eo.—*Color.* Hic Virgilius ad confirmandum conclusionem suam adducit optimum argumentum, quia sapientissimi hominum, sicut Aristoteles, Plato et alii adinvenerunt doctrinam moralem per quam homines viverent prudenter in mundo, quod fecissent frustra perempta arbitrii (1) libertate. Dicit ergo: *Color,* scilicet, philosophi magni, *che ragionando,* idest, ratiocinando et disputando, *andaro al fondo,* idest, ad profundum rationum quantum possibile est humano ingenio inter tot errores, sicut præcipue philosophus (2) libro Ethicorum, *s' accorsero d' esta libertate,* scilicet, arbitrii, *innata,* scilicet, hominibus, *però moralità lasciaro al mondo,* refrænando libertatem ne declinaret ad malum. Et concludit: *onde poniamo che ogni amor,* sive boni, sive mali, *che dentro a voi s' accende,* quia venit ab extra, *sorga in voi di necessitate,* quia nesciebat unde veniret intellectus primarum notitiarum et primi motus, *in voi è la podestate di ritenerlo,* ipsum amorem, ne declinet ad malum. Et hic nota, lector, quod ista ratio si bene consideratur convincit omnes. Quis enim est ille medicus qui velit consentire quod non expediat curare ægrotum? quod tamen esset verum, si omnia de necessitate evenirent; quis astrologus velit suam artem damnari, cum dicat posse obviari futuris contingentibus, si præsciatur (3) per artem suam? quis judex non irascatur si dicatur sibi quod iniuste punit

(1) E. liberi arbitrii libertate. (2) E. philosophus ponit in libro.
(3) 117, præsciantur.

malefactorem? quis mercator non dicat negligentiam nimium obesse negotiationi? quis sapiens non probet multa consilia esse necessaria mundo? quis agricola non novit culturam prodesse ad fertilitatem fructuum? Sed ut cito dicam, quærunt homines excusationem, retorquentes omnia vitia sua in cœlum, in fata, in fortunam, dicentes illud Cleantis philosophi: *volentem fata ducunt, nolentem trahunt.* Et demum remittit Virgilius poetam ad theologiam, et dicit sententialiter quod ipse per se sua scientia naturali non potest altius accedere ad declarationem quæstionis, quia tantum judicat causam per effectum; sed Beatrix intendit, quod nobilis virtus, idest, excellentior quæ sit in homine est liberum arbitrium, quia per [1] se ipsum meremur [2] vitam æternam, vel damnationem. Dicit ergo: *Beatrice intende la nobile vertù,* scilicet, innatam, *per lo libero arbitrio, e però guarda che l' abbi a mente, s' a parlar t' apprende,* sicut patebit V capitulo Paradisi, ubi dicit: *lo maggior don che Dio,* etc. Vel dic: recordare petere de hoc quando eris secum; unde tangit de hac re primo capitulo Paradisi quasi circa finem, ubi dicit, quod ordo quem Deus dedit naturæ causat in nobis primos motus etc.

La luna. Ista est tertia pars generalis in qua poeta describit purgationem accidiosorum; et primo facit descriptionem temporis, et videtur velle dicere breviter, quod luna non erat amplius plena nec opposita [3] soli, sicut erat in principio inferni, et oriebatur luminosa et splendens circa mediam noctem. Dicit ergo: *La luna,* quæ erat decimanona, *quasi a mezza notte;* hic erat vesper, *tarda,* ad oriendum, *facea le stelle a noi parer più rade,* quia luna obfuscat minores stellas lumine suo;

---

(1) 117, per ipsum meremur vel demeremur. Dicit ergo: *Beatrice,* excellentior aliis, *intende.*

(2) S. meretur.

(3) E. opposita sibi, sicut.

ideo dicit: *fatta come un secchion che tutto arda,* quasi dicat: semirotunda et rubea, sicut ignis in pharo qui tota nocte ardet ut dirigat navigantes ad portum; vel secundum aliam literam, *scheggion,* sicut faxum naturaliter ardens et emittens ignem. Et dicit: *correa,* illa luna sicut hic currunt accidiosi, *contra 'l cielo,* idest, firmamentum per zodiacum, quia luna sicut et sol et cæteri planetæ moventur contra firmamentum; unde dicit: *per quelle strade,* idest, speras, *che 'l sole,* existens in scorpione, *infiamma allor,* circa medietatem octobris, *che quel da Roma,* idest, homo existens Romæ, *il vede quando cade,* idest, quando est in occasu, *tra Sardi e Corsi.* Ad quod est sciendum quod sol tunc quando tendit ad occasum splendet versus Romam inter insulam Corsicam et Sardiniam, ita quod romani vident eum splendentem in facies eorum, si quis prospiciat inter dictas insulas, quia Roma respicit Arphacium(1) quod est inter meridianum et occidens. — *E quell'.* Hic poeta ostendit quomodo fuerit conversus ad novam materiam accidiæ; et vult dicere, quod cum exoneratus magno pondere dubiorum vellet modicum dare se otio et quieti, excitatus est a nova gente quæ velociter currebat per viam illam. Dicit ergo: *E quell' ombra gentil,* idest anima nobilis Virgilii, non nobilitate generis sed virtutis et scientiæ, *per cui si noma,* idest, nominatur et celebratur, *Pietole,* vicus (2) est parvus unde fuit oriundus Virgilius, qui olim vocabatur Andes, *più che villa mantovana,* imo ipsa Mantua plus nobilitata est nomine Virgilii quam antiquitate, pulcritudine vel felicitate(3) sua, *deposta avea la soma del mio carcar,* idest, mei dubii, quod nimis gravabat mentem meam, *perch' io, ch' avea ricolta la ragion aperta e piana,* quam Virgilius fecerat solvendo, *sopra le mie*

(1) Così leggono i Codici Laurenziani.
(2) 117, locus est parvus.
(3) 117, fertilitate. — E. fidelitate.

questioni, quæ alias solutæ et declaratæ fuerant, *stava com' uom che sonnolento vana,* quasi dicat: ex parvo labore fessus dabam me somno more accidiosi. Et sic vide quomodo artificiose intrat materiam accidiæ, quia fingit se subito vidisse novam gentem, dicens: *ma questa sonnolenzia mi fu tolta,* idest, statim fuit interrupta, *da gente,* idest, a genere accidiosorum, *che era già volta a noi dopo le nostre spalle,* quia currebant cum tanto studio quod jam percurrerant totum circulum, et iterum volvebant (1) cursum post terga eorum. — *E quale.* Nunc poeta describit (2) purgationem accidiosorum quibus dat meritissimam pœnam. Fingit enim quod sunt in continuo labore currendo, loquendo, meditando, quia contraria contrariis curantur. Accidiosus enim peccat tripliciter, scilicet, corde, non cogitando de Deo, de salute sui et proximi, non dolendo de peccato, non vacando studio: ore, non orando et laudando Deum, non docendo proximum consolando, reprehendendo, et sic de multis: opere, non dando eleemosinam, non eundo ad ecclesiam, et ita de aliis. Ad propositum ergo qui vult purgare accidiam in se, ubi solebat stare, sedere, jacere, debet ambulare, currere; ubi solebat otiari debet negotiari; ubi solebat dormire debet vigilare; et evigilans a somno dicere sibi et aliis: quid hic in tot annis egimus? comedimus, bibimus, dormivimus, tarde vero evigilavimus. Ordina sic literam, quæ est aliqualiter (3) fortis. Et illa gens jam dicta accidiosorum, *falca,* idest, girat, *suo passo,* quasi dicat: discurrebat, *per quel giron,* scilicet, quartum, *venendo,* idest, veniens, *per quel ch' io vidi di color,* quasi dicat: quantum potui comprehendere de numero illorum tam festine currentium, *cui,* idest, quos, *buon voler e giusto amor cavalca;* quia calcar soliciti

(1) 117, revolvebant. (2) S. scribit. (3) 117, aliquantulum fortis.

amoris ita stimulat eos, et contra torporem militat ardor animi, qui cum sit pessimus ad multa, est optimus ad virtutem; nam, ut scribit Augustinus: Aristotiles vir excellentis ingenii eloquio Platoni impar deambulando disputare solebat, unde eius secta denominata est perypatetica; et sic faciebat [1] exercitium salutare animæ et corpori. Et declarat cursum et clamorem istorum per unam comparationem pulcram. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod, sicut patet apud multos autores, thebani solebant certo tempore celebrare festa Bacchi tempore nocturno; nam coronati hedera, induti pelle lincea, portantes hastas virentes in manu, exibant civitatem Thebarum, et discurrentes per ripas fluviorum suorum cum gaudio et furore invocabant nomen Bacchi et collaudabant: idem faciebant cum egebant vino et pluvia, ut scribit Statius. Dicit ergo: et illa gens discurrebat, *tal,* idest, tam festina cum fervore, *quale Ismeno et Asopo,* duo flumina Thebarum, *vide già furia e calca,* idest, festinantiam et frequentiam gentium, *di notte lungo di se,* scilicet, per ripas suas, *pur che i teban di Bacco avesser uopo,* idest, indigerent ope eius. Et hic nota quantum comparatio auxiliatur proposito: si enim thebani surgebant de nocte ad canendas laudes Bacchi, qui fuerat repertor vini et triumphi, ut dicit Plinius, quanto magis christiani debent surgere et currere [2] ad canendas laudes vero Deo, qui est dator omnium bonorum et triumphator malorum. — *Tosto.* Hic poeta descripto cursu accidiosorum describit clamorem eorum, et continuans partem parti dicit: *tosto fur sopra noi,* et ecce causam, *perchè quella turba magna,* quia maxima est turba talium vitantium laborem, *si movea tutta correndo:* et certe gravissima pœna est istis assuetis otio.

---

[1] E. faciebat officium salutare.
[2] E. currere et psallere ad canendas.

Et dicit: *e duo dinanzi,* præcursores aliorum, *gridavan piangendo,* quia purgantes se, cantant plorando, et dicebant ([1]) in improperium accidiæ: *Maria corse in fretta alla montagna,* ut visitaret Elisabeth. Nam, ut habetur Lucæ capitulo I, angelus veniens ad Mariam in civitatem Nazareth, nuntiata sibi conceptione Salvatoris, dixit: et ecce Elisabeth cognata tua etc. Et continuo Maria audita conceptione Elisabeth surgens cum festinatione abiit in montana, et mansit cum ea tribus mensibus usquequo peperit; deinde reversa est domum suam. Et vere Maria fuit inimica accidiæ omnimode orando, vigilando, laborando, currendo ad montem, fugiendo ad plana Ægypti etc. Et quia posset dicere accidiosus: non possum esse Maria; ideo statim adducit exemplum Cæsaris. Et ad intelligentiam huius literæ est breviter sciendum, quod, ut testatur Svetonius, Cæsar fugato Pompeio ex Italia, et ordinata urbe ad libitum, dum tenderet in Hispaniam contra tres legatos potentissimos Pompei, non retardavit iter, licet Massilia pertinacissime clauderet sibi portas, et summa inopia retardaret eum; unde relicto Bruto ad obsidionem Massiliæ, profectus in Hispaniam in brevi subegit omnia. Dicit ergo alter illorum duorum clamantium: *e Cesare,* scilicet, Julius, *punse Marsilia,* quæ est civitas in provincia Narbonensi, nam dimisit ibi Brutum in obsidione, de cuius victoria dicetur Paradisi capitulo IX, *e poi corse in Ispagna,* idest, velocissime ivit, *per soggiugar Ilerda,* quæ est civitas in Hispania citeriori, ubi erant Petreius et Afranius duces ([2]) Pompei, quos compulit ad deditionem per sitim; et continuo Varro qui erat in ulteriori Hispania sponte se ([3]) dedidit. Et hic nota, lector, quod nullum exemplum poterat adducere poeta magis proprium; quia nullus unquam mortalium

([1]) E. dicebant improperium.
([2]) E. ductores Pompei.
([3]) E. se illi dedidit.

fuit magis inimicus accidiæ, quam Caius Cæsar, sicut potest colligi sæpe ex Julio Celso et Svetonio Tranquillo, qui scribit libro primo, quod Cæsar ultra fidem erat patiens laboris, et longissimas vias incredibili celeritate confecit, aliquando centum milliaria in una die; et si flumina retardabant, transibat cum utre inflato, ita ut suos nuntios sæpe præveniret. Et subdit generale incitamentum aliorum, dicens: *gli altri,* sequentes primos, *gridavano appresso, ratto, ratto, che 'l tempo non si perda,* quo nihil est carius, *per poco amore;* et assignat causam optimam, dicens: *chè studio di ben fare rinverda grazia;* quæ aruerat propter accidiam, quæ est amor diminutus.

O gente. Ista est quarta pars generalis, in qua poeta introducit unum spiritum modernum qui fuerat valde accidiosus in vita; et primo præmittit generalem persuasionem Virgilii ad illos spiritus currentes et clamantes, ut reddat eos benevolos erga autorem manifestans gratiam inauditam concessam illi viventi. Dicit ergo Virgilius: *O gente in cui fervore acuto,* idest, ardens amor summi boni, *ricompie,* idest, supplet et restaurat, *forse adesso,* idest, nunc de præsenti, *negligenzia,* idest, accidiam, *o indugio,* idest, moram, vel tarditatem ad cognoscendum, vel acquirendum verum bonum; dilationem dico, *messo da voi in ben far per tepidezza,* idest, per accidiam, quæ est quædam tepiditas pigerrima. Et facit narrationem cum petitione, dicens: *questi,* idest, hic poeta novus, *che vive,* scilicet, in prima vita, in mortali corpore; et quia ista videtur res miranda, et non de facili credenda statim interponit, et dicit: *e certo io non vi bugio,* idest, non mentior, *vuol andar suso,* ad novum circulum, *pur che 'l sol ne riluca,* idest, dummodo dies redeat; nam de nocte non potest iri per purgatorium, sicut jam totiens positum et expositum fuit supra. Et petit

dicens: *però ne dite ond' è presso il pertugio,* idest, ostium intrandi perforatum et excavatum in saxo. Et dicit: *parole furon queste del mio duca,* idest, Virgilii, qui ut recte duceret me sic petebat. — *Et un.* Hic poeta ponit responsum [1] unius spiritus singularis, qui docet viam juxta petitionem Virgilii; unde dicit: *Et un di quelli spirti,* quidam abbas veronensis solicitus et expeditus, multum currens sine cappa longa, *disse: vieni,* et sic vide quomodo bene se habuerit [2] more purgantis accidiam, quia non tardavit cursum suum, non implicavit se exordiis, sed sine mora subito respondit: *vieni dirieto a noi,* per vestigia nostra, *e troverai la buca,* idest, os foraminis. Et continuo ipse spiritus se excusat, quia honesta causa stimulat eum, dicens: *noi siam sì pien di voglia a moverci,* ubi olim per contrarium volebamus tantum stare et quiescere, *che ristar non potem,* licet sit res spectabilis et stupenda videre hominem hic in carne viventem. Et continuans cursum, dicit: *però perdona,* scilicet nobis omnibus, *se tieni,* idest, reputas, *nostra giustizia,* supple, esse, *villanía.* Et hic nota quod poeta noster signanter hoc fingit, quia videmus de facto multos expendere tempus vane, qui dum tendunt ad negotia honesta et utilia remorantur ut complaceant hominibus, et loquuntur et confabulantur delectabilia. Ideo eleganter Cato ille Censorius laboriosus ait in libro originum: ex omni otio rationem esse Deo reddendam, et non solum ex operibus, sed etiam ex verbis; nam ut idem elegantius dixit: vita humana est simillima ferro: ferrum si exercetur paulatim consumitur, sed continuo in dies magis et magis fit [3] lucidum et splendidum; si vero non exercetur contrahit semper rubiginem, et in se ipso deficit et fit obscurum et turpe. — *Io.* Hic prædictus spi-

---

(1) 117, responsionem. (2) E. habuit. (3) 117, efficitur.

ritus manifestat se ipsum describens se a dignitate, a loco, a tempore. Et ad intelligentiam plenam huius literæ est primo sciendum, quod iste spiritus dicit se fuisse tempore Barbærussæ, quo Fridericus I de Suevia, de quo alias facta est mentio, imperavit annis triginta septem. Qui prius fuit amicus ecclesiæ, sed postea habuit litem cum Alexandro III senensi, qui excommunicavit eum. Quo tempore multa bella habuit in Italia cum lombardis faventibus papæ; et victor omnium destruxit Spoletum et Terdonam: Laudum transmutavit: ædificavit Cremam, et Cremonam recepit per deditionem. Et inter memoranda gesta, Mediolanum per obsidionem cepit anno Domini MCLXIII, quod prostratis mœniis totum igne cremavit, et fecit arari et seminari sale. Et fecit de romanis miserabilem stragem: propter quæ Alexander timens furorem potentiæ eius, confugit Venetias, ubi reverenter receptus moram fecit. Cuius favore mediolanenses reædificaverunt eorum civitatem eversam, anno Domini MCLXVIII. Deinde paulo post ipsi cum auxilio cremonensium, placentinorum, et aliorum lombardorum amicorum ecclesiæ, fundaverunt novam civitatem contra Papiam semper inimicam Mediolani quæ faverat Friderico; et hanc terram in contemptum Papiæ Alexandriam vocaverunt. Et dux Venetiarum magna classe gessit bellum navale cum Henrico imperatoris filio, quem victum et captum duxit Venetias. Fridericus videns, fortuna mutata, se continuo declinare, et Alexandrum exaltari favore Ludovici regis Franciæ, et Henrici regis Angliæ generi sui, et Guilielmi optimi regis Siciliæ, venetorum et lombardorum, per legatos petiit pacem et veniam, et veniens Venetias procidit ad pedes papæ. Cuius gutturi papa applicans pedes, dixit illud psalmistæ: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* Et imperatore dicente: non tibi sed Petro; papa respondit: ego sum vi-

carius Petri. Demum Fridericus pro satisfactione cum universo exercitu transivit in Syriam ad redemptionem [1] Terræ Sanctæ, et suffocatus est in flumine Antiochiæ, cum se lavaret calore æstivo. Nunc veniendo ad literam, dicit iste spiritus: *Io fui abate,* et vocatus est abbas Albertus, vir bonus moribus et vita: quem, quia poeta noverat [2] fuisse valde accidiosum (quo vitio laborant multi prælati) ideo ipsum introducit hic sic loquentem. Et tangit locum, dicens: *in San Zeno a Verona.* Ad quod notandum, quod Zeno fuit octavus episcopus Veronæ anno Domini CLXV, pontificatu Dionysii papæ, vir magnæ sanctitatis, scientiæ, et eloquentiæ; qui multa et pulcra volumina edidit in sacra scriptura. Nota [3] etiam, quod sanctus Zeno est in tribus locis in Verona, scilicet in monte; alius juxta Athesim, et est parvum oratorium, sive parva capella: et de isto credo, quod non loquatur beatus Gregorius in Dialogorum libro, ubi scribit, quod cum semel Athesis fluvius inundasset civitatem Veronæ, aqua non intrabat per fenestras ecclesiæ sancti Zenonis: et est tertius sanctus Zeno longe a flumine quasi per jactum teli, cuius ecclesia nullam vidi pulcriorem in Verona. Et de isto debet intelligi hic per excellentiam, et quia hæc ecclesia habet monachos, et ibi fuit abbas iste Albertus, qui hic loquitur. Et describit tempus a principe, dicens: *sotto l' imperio del buon Barbarossa;* vocat Fridericum bonum, quia fuit vir virtuosus, strenuus, largus triumphator et corpore pulcer, et a colore denominatus est *Barbarossa.* Et tangit singularem victoriam eius, dicens: *di cui dolente ancor Milan ragiona;* quia dolenter memorat ruinam suam. Nam in eius eversione octuaginta duo millia hominum dispersa dicuntur; ita ut aliqui transiverint ad barbaras nationes:

---

(1) E. recuperationem. (2) E. agnoverat. (3) 117, Notandum etiam.

et hoc de mense Martii. Et stetit sic destructum quinque annis. Et hic nota quod Mediolanum metropolis Lombardiæ olim ædificatum est a gallis. Nam galli senones duce Brenno, transcensis Alpibus et expulsis tuscis, non longe a Ticino flumine audiverunt eum locum in quo conscenderant agrum insubrium appellari; et quia villa Galliæ sic vocabatur, sequentes nomen loci condiderunt urbem quam Mediolanum appellarunt; unde mediolanenses galli insubres sæpe vocantur a Tito Livio et aliis, et usque in hodiernam diem bona pars agri mediolanensium vocatur insubrium. Vocaverunt autem Mediolanum ab augurio notabili, quia in eius ædificatione inventa est porca pro media parte lanosa. Unde Mediolani in palatio annonæ sunt inscripti hi versus: *Sus fuit inventus ubi fixit castra juventus: In medio tergo lanam tulit, accidit ergo, Ut nomen aptaret Mediolanumque vocaret.* Alii tamen dicunt quod Mediolanum est quasi in medio duorum amnium, scilicet Ticini et Ambri vel Adduæ. Fuit autem Mediolanum olim potens civitas, et jam florens tempore magni Marcelli, qui regem eorum Viridomarum manu sua obtruncavit. Sed Papia postea fuit potentior tempore regni longobardorum; fuit enim sedes regni eorum: hodie tamen est subiecta Mediolano cum maiori parte Lombardiæ. — *E tale ha già.* Hic dictus abbas, quia fecerat mentionem de sancto Zenone, cuius monasterium ipse egregie gubernaverat, dolenter facit (1) querelam de alio quodam abbate successore suo, qui nequiter tractabat illud dives et nobile templum. Et ad intelligentiam huius literæ oportet scire, quod mortuo Eccerino de Romano, Mastinus de la Scala factus est dominus Veronæ. Quo trucidato ab æmulis, Albertus frater eius successit in dominio et vindicavit mortem fratris.

(1) E. fecit memoriam.

Ex Alberto natus est capitaneus Bartholomæus, Alboinus et Canis Grandis. Habuit et filium naturalem, qui vocatus est Joseph. Hic fuit abbas sancti Zenonis; vir probus et integer a principio, sed consilio medicorum tacta [1] muliere, velut inquinatus pice diaboli, factus est sceleratissimus. Nam cum Alboinus, qui successerat Bartholomæo in dominio, vellet ex pusillanimitate reducere comites sancti Bonifacii in Veronam, abbas, conquerente Cane, tamquam animosus increpans amare Alboinum, armata manu ivit, et trucidavit multos ex dictis comitibus ad villam eorum, quæ insula Comitum primo, postea vocata est insula de la Scala. De isto ergo abbate loquitur hic prædictus abbas; et dicit dolens de mala tractatione sui monasterii: *E tal,* scilicet, Albertus de la Scala, *ha già l' un piè dentro la fossa,* quia fessus senio videbatur jam proximus morti, *che tosto piangerà quel monistero,* quia, scilicet, morietur et luet pœnam iniuriæ factæ sancto loco; unde dicit: *e tristo fia d' avervi avuto possa,* scilicet, in ipsum nobile monasterium: et in hoc tacite arguit dominos temporales, qui iniuste occupant bona ecclesiarum, aut indignissimis tradunt. Et assignat causam, dicens: *perchè suo figlio,* scilicet, Joseph, *mal del corpo intero,* hoc dicit, quia erat claudus, *e della mente peggio,* quia erat pravus animo, *e che mal nacque,* quia ex damnato coitu conceptus fuerat, *ha posto il luogo di suo pastor vero,* cum tamen potius esset lupus raptor; fuit enim homo violentus, de nocte discurrens per suburbia cum armatis [2], rapiens multa, et replens meretricibus locum illum. Et fuit alius abbas Joseph in dicto loco, spurius Alberti junioris fratris Mastini, sceleratior illo primo. Ideo bene dicebat quidam veronensis, quod sanctus Zeno expellebat dæmones, et habebat eos

---

[1] E. tracta muliere, vel inquinatus. [2] E. cum armis.

intra domum. Hoc dicebat [1], quia mulier, quando est dæmoniata, ducitur ad sanctum Zenonem. Et ultimo poeta concludit, quod non potest plura referre de dicto spiritu. Unde dicit: *io non so se più disse, o s' ei si tacque, tanto era già di là da noi trascorso,* quia numquam dimiserat cursum [2] propter loqui; *ma questo intesi e ritener mi piacque.* Quasi dicat: hoc unum notavi, ut memoriam faciam [3] ad arguendum violatores sacrorum.

E quei. Ista est quinta pars [4] et ultima, in qua poeta docet vitare accidiam, ostendens eius tristes effectus. Et pulcre fingit quod Virgilius ostendit [5] sibi duos detestantes accidiam. Dicit ergo: *E quei,* scilicet, Virgilius, *che m' era ad ogni uopo soccorso,* hic enim indigebam succursu, quia non poteram amplius videre dictum spiritum; ideo ne perderem tempus, *disse: volgiti qua,* scilicet, a tergo, *vedine due;* sic vide quod poeta magna arte fingit quod duo spiritus primi vadunt cantantes laudes solicitorum, sicut Cæsaris et Mariæ, et alii duo ultimi per contrarium vadunt cantando convitia accidiosorum. Unde dicit: *venir dando all' accidia di morso,* idest, mordaciter lacerando et vituperando et merito; unde nota, te rogo, quod accidia tristis mater otii, nutrix libidinis, tardatrix operum, inimica laborum, premit animum, ligat membra, marcescit sorde, improvida, cæca, amica somni, sine ulla laudabili cura; contraria studio, socia pigritiæ, prænuntia paupertatis, inutilis, sterilis, mortua dum vivit. — *Diretro.* Hic poeta describit cantum istorum, et dicit quod primo cantabant accidiam infelicissimam hebræorum. Ad quod est sciendum quod nulla gens magis peccavit per accidiam quam hebræi, cum nulla magis teneretur cognoscere Deum et quærere bene-

(1) E. Hoc dicitur, quia.
(2) 117, loqui propter cursum ; *ma.*
(3) 117, facerem.
(4) 117, particula in qua.
(5) 117, ostenderit.

factorem suum, qui liberaverat eos de amarissima servitute ægyptiorum per Moysem cum manifestissimis miraculis, et aperuit mare, in quo mersit Pharaonem, et pavit eos manna in deserto, et alia beneficia innumerabilia fecit; et tamen fuerunt tam lenti, imo, ut melius dicam, tam maligni et ingrati quod quadraginta annis erraverunt per desertum, et sæpe voluerunt reverti in Ægyptum, et sæpe voluerunt mactare ducem suum; ideo dicit: et illi duo mordentes accidiam, *diretro a tutti,* quia postremi erant, *dicean,* cantando, *prima fue morta la gente,* scilicet, hebræorum, qui fuerunt ultra sexcenta millia virorum, *a cui il mar s' aperse,* per tactum virgæ Moysi, *che Jordan,* qui est fluvius in confinio sive primo ingressu Terræ Sanctæ, *vedesse le rede sue,* quia omnes mortui sunt antequam pervenirent ad Jordanem, quem postea hæredes eorum transiverunt sicco pede, sicut patres transiverant mare. Ipsi enim quasi jure hæreditario debebant succedere in terram Chanaan promissam sibi a Domino; vel dic e converso: antequam hæres suus videret Jordanem. — *E quella.* Hic poeta tangit alium effectum vilissimæ accidiæ in gente troiana, de qua scribit Virgilius IV Eneidos, quod cum Eneas in Sicilia celebraret ludos ad tumulum Anchise patri suo, quidam senes, juvenes, et mulieres fatigati longa peregrinatione, et magnis laboribus extædiati incenderunt naves Eneæ ne haberent ulterius navigare et subire nova pericula; quibus Eneas usus saviori (1) consilio constituit novam terram in Sicilia, ubi reliquit totam (2) turbam imbellem. Dicit ergo: *e quella,* scilicet, gens; et non dicas quod loquatur de Creusa, sicut quidam volunt et male, *che l' affanno non sofferse,* idest, non toleravit patienter laborem, *col figliuol d'Anchise,* idest, Eneæ, *fino al fine;* et

(1) E. saniore. — 117, seniori. (2) E. reliquit novam turbam.

vere ista gens fuit vilis. et lenta, quia cum venisset a Troia in Siciliam, cum tot laboribus, periculis et incommodis, bene poterant transire Italiam [1], quæ est separata a Sicilia angustissimo pharo Messanæ. Ideo bene dicit: *offerse se stessa a vita,* idest, ad vivendum in otio, *senza gloria,* quia non venit cum aliis ad fundandum romanum imperium gloriosum.—*Poi.* Hic ultimo poeta finiens tractatum accidiæ et claudens istud nobile capitulum describit suam dispositionem et apparatum ad sequentem materiam. Unde dicit: *Poi quando quelle ombre,* idest, animæ prædictæ, *fur da noi tanto divise,* per distantiam loci, *che veder più non potersi,* nec audiri similiter, ideo ne incurrerem vitium accidiæ, *nuovo pensiero,* scilicet, de nova materia venanda [2], *dentro a me si mise,* idest, intravit mentem meam, *del qual più altri nacquero e diversi;* et dicit: *e tanto d' uno in altro vaneggiai che gli occhi per vaghezza ricopersi,* quasi dicat: obdormui, *e 'l pensamento in sogno trasmutai.* Vult dicere, quod in somno fecit mirabile somnium quod describitur mirabili arte capitulo sequenti; et per istud somnium poeta dat intelligi profundam abstractionem mentis, per quam fecit altam fictionem, ut statim sequitur.

---


(1) E. poterat transire in Italiam.

(2) E. investiganda.

CANTUS DECIMUS NONUS, *ubi post aliquam visionem cum Virgilio aliqua receptavit Dantes, et hoc facto, invenerunt avaros sub titulo cuiusdam papæ, et de modo pœnæ ipsorum; et sicut ille papa cum Dante multa receptavit.*

NELL' *ora che non può il calor diurno.* Postquam in capitulo præcedenti poeta tractavit et determinavit de vitio accidiæ, nunc consequenter in isto capitulo XIX, agit et tractat de vitio avaritiæ, quæ punitur et purgatur in quinto circulo. Et præsens capitulum potest dividi in quatuor partes generales; in quarum prima poeta describit somnium suum. In secunda describit introitum ad quintum circulum, et apparitionem angeli qui dirigit eum ad viam suam, et purgat a vitio accidiæ, ibi: *Io volsi* (1). In tertia describit pœnam et purgationem avarorum in uno spiritu moderno specialiter, ibi: *Com' io.* In quarta et ultima solvit unum dubium circa prædictum spiritum, ibi: *Io m' era.* Ad primum veniens dico quod poeta describit somnium suum: et quia semper somniat circa auroram quando fiunt somnia vera, ideo primo describit horam temporis dupliciter, scilicet, per viam naturalem. Ad cuius intelligentiam debes primo scire, quod sol cum est in nostro hemisperio superiori reverberat terram radiis suis et calefacit ipsam et vicinam partem aeris; sed post occasum solis luna frigefacit, sicut sol calefacit: sed tamen propter calorem diurnum præcedentem terra calefacta resistit usque ad diluculum; et sic calor diurnus illa hora vincitur a terra quæ est frigida et sicca, et aliquando a Saturno planeta frigido, sicco et nocturno. Di-

(1) E. *volsi.* Tertio describit.

cit ergo: *Nell' ora,* scilicet, in aurora, *che 'l calor diurno,* quem sol facit in die et durat usque ad illam horam, *non può più intiepidar,* idest, temperare, *il freddo della luna,* scilicet, nocturnum, quod luna facit in nocte; ille, dico, calor diurnus, *vinto da terra,* quæ est frigida, *et talor,* idest aliquando, *da Saturno,* qui ([1]) et ipse frigidus est; unde quidam dicunt: cave tibi a coniunctione lunæ cum Saturno. — *Quando.* Hic poeta describit horam temporis artificialiter. Ad cuius intelligentiam debes notare quod geomantes utuntur multis figuris factis ex punctis, sed una præcipue quæ dicitur fortuna maior, quæ fuit abstracta a sex stellis similiter dispositis, ut patet in ista figura , quæ oriuntur in aurora; et dicunt quod ista fortuna maior est figura in fine aquarii et in principio piscis etc. Dicit ergo: *Quando i geomanti,* geomantia ([2]) dicitur a *geos,* quod est terra, et *mantos,* divinatio, quasi scientia facta in divinatione terræ, sic dicta quia indi et saraceni in ortu solis accedebant ad litus maris, et faciebant ibi puncta sua paria vel imparia in arena maris, quem ([3]) morem adhuc hodie servare dicuntur: *veggiono lor maggior fortuna sorgere in oriente,* in ([4]) aurora, *innanzi all' alba,* quæ statim sequitur auroram. Et dicit: *per via che poco le sta bruna,* quia statim succedit alba oriente sole qui clarificat aerem. Et hic nota quod geomantia, ut aliqui volunt, est commune refugium astrologorum; et ex hoc non videtur spernenda penitus, quia habet aliqua principia in astrologia; unde appellatur astrologia minor. Alii tamen dicunt quod geomantia non est scientia nisi eo modo quo sortes ([5]), nisi fiat sub constellatione veridica vel falsidica ([6]); unde

([1]) E. quia et ipse.
([2]) E. geomantia quæ dicitur a *geos* quod est terra, et *mantos* quod est divinatio, quasi.
([3]) S. quem modum adhuc.
([4]) 117, idest, in aurora.
([5]) 117, sortes ubi fiat.
([6]) E. falsifica.

si fiat in aurora quando Venus vel Mercurius sunt orientales solet dicere verum, nisi Mars obstet vel aliqua stella de natura Martis. Sed quicquid dicant nihil credo geomantibus cum nihil credam astrologis. Et si vis bene ordinare literam incipe a rhythmo sequenti, deinde revertere supra ad primum. — *Mi venne.* Hic poeta descripta hora, nunc describit somnium quod fecit in tali hora. Et ad declarationem literæ volo te scire, quod poeta noster per istud mirabile somnium præfigurat materiam de qua tractaturus est; quia enim jam tractaverat de quatuor vitiis capitalibus, quæ sunt spiritualia secundum Gregorium, nunc tractare intendens de reliquis tribus, quæ sunt corporalia et versantur circa delectabilia, fingit sibi apparere unam fœminam mirabiliter deformatam, quæ paulo post per inspectionem eius mirabiliter reformatur, et pulcra et placida videtur. Nota ergo profundam fictionem [1] poetæ: nam per istam mulierem sic transformatam in contrariam figuram poeta figuraliter repræsentat nobis illecebram et voluptatem mundanam, quæ recte ad modum mulieris est in se turpis, horribilis, et odibilis quantum ad existentiam et rei veritatem; sed est pulcra, placibilis et amabilis quantum ad apparentiam et umbram exteriorem. Hanc ergo mulierem prodigiosam poeta describit a quinque organis defectuosis: primo, quia erat balbutiens lingua; secundo, lusca visu; tertio, clauda pede; quarto, trunca manu; quinto, fucata colore. Nunc ergo his præmissis veniendum est ad literam exponendam, quæ male exposita est a multis, qui putaverunt istam mulierem figurare solum [2] avaritiam, de qua tractatur in præsenti capitulo, quod tamen est penitus falsum, imo figurat avaritiam, gulam et luxuriam, ut statim clarebit ex ipsa expositione. Dicit ergo poeta: *Una*

---

[1] E. fictionem hanc poetæ.

[2] E. solam avaritiam.

femmina balba; hoc respicit avaritiam quæ non loquitur clare et aperte, sed implicite et dolose: gulam, quia ebrietas facit linguam grossam, ita ut non possit articulate loqui: luxuriam, quæ facit hominem adulari, lingere et multa fingere falso; *negli occhi guercia:* hoc facit avaritia, quia avarus non videt recte, nimia cupiditate cæcus tam habendi, quam retinendi; hoc facit gula, quæ reddit oculos lippientes et visum destruit; luxuria multo fortius, quia offuscat oculos corporales et intellectuales, et quid deceat non videt ullus amans: *e sopra i piè distorta,* talis est avaritia quæ numquam recte incedit, nec judicat recta [1] lance; gula peius, quia ebrius præstat risum videntibus ipsum ambulare tortuose: luxuria pessime vadit per viam rectam, *con le man monche,* istud patet in avaro, qui [2] nihil dat, nil recte facit nisi cum moritur; unde paulo infra audies quod avari stant manibus et pedibus ligati; gulosus nihil vult operari, luxuriosus minus, imo luxuria fovetur inertia et accidia, *e di colore scialba:* hoc verificatur in avaro, guloso et luxurioso qui habent bona tantum simulata. Omnes isti communiter habent faciem pallidam et sine colore; talis, inquam, mulier, *mi venne in sogno,* hoc [3] est propter abstractionem mentis dedit se ad considerandum quid esset ipsa voluptas, et vidit quod realiter erat talis si bene inspicitur [4]. — *Io.* Hic poeta descripta natura vera ipsius voluptatis, describit ipsam apparentiam fictam: et fingit subtiliter quod inspectione [5] sua illa visa est tota reformari, per quod dat intelligi quod infirmitas humani visus facit illam videri pulcram quæ non est. Unde loquitur proprie, et dicit: *Io la mirava,* idest, cum admiratione respiciebam; et sic tangit quid

(1) 117, æqua lance. (2) E. quia nihil.
(3) 117, hoc est quod per abstractionem.
(4) 117, inspiciatur. (5) E. e S. ex inspectione.

nos decipit, quia miramur ista talia vilia tamquam meliora et pulcriora quam sint. Et continuo ostendit reformationem istius mulieris per comparationem pulcerrimam, quæ breviter stat in hoc, quod sicut calor solaris in die refocillat (1) membra oppressa a frigore nocturno, ita intuitus eius reformabat omnia membra turpia illius mulieris. Dicit ergo: *e come il sol conforta le fredde membra, che la notte aggrava,* nimio frigore quod contrahit et ligat membra; *così lo viso mio,* qui est causa amoris, *le facea la lingua scorta,* idest, expeditam, quæ prius erat balba, ita quod, *scorta,* est hic nomen adiectivum, non substantivum; similiter, *e poscia la drizzava;* exponunt aliqui illam linguam ad cantandum; tu vero dic ipsam mulierem, quantum ad oculos, pedes et manus, in quibus erat obliquitas; *in poco d' ora,* quia faciliter et cito fallitur et inescatur oculus noster, *e così le colorava lo smarrito volto,* qui prius erat pallidus et sine colore; et dicit: *come amor vuole,* quia amor cæcus faciebat illam turpem videri pulcram, ita quod amorabatur de ea, et ita rectificabat, ornabat et colorabat eam. Et hic nota quod comparatio est valde propria; nam calor amoris ad modum solis colorat et ornat illam mulierem de se frigidam et tristem quantum ad omnes partes suas; avaritia enim procedit a frigiditate, ideo mulier est naturaliter avara; ebrietas infrigidat hominem (2); unde videmus quod ebriosi stant libenter ad solem, ut dicit Aristoteles libro Problematum, et Macrobius; luxuria vero extinguit calorem naturalem. — *Poi.* Hic poeta describit dulcem cantum huius fallacis mulieris tam mirabiliter reformatæ, in quo prædicat mirabilem potentiam suam. Dicit ergo: *Poi ch' ella avea il parlar così disciolto,* quod prius erat ligatum balbutiæ, *cominciava a*

---

(1) E. refociliat. (2) 117, homines.

cantar, cum magna delectatione, *sì che con pena avrei rivolto,* idest, difficulter [1] removere potuissem, *mio intento,* idest, meam intentionem, *da lei,* ita affixe [2] attendebam illi. Et explicat cantionem eius, dicens: illa mulier, *cantava: io son io son,* dicit bis ad maiorem expressionem, *dolce sirena;* sirenes secundum fictionem poeticam sunt monstra maris antiqua suavissimo cantu seducentia navigantes, quos sopitos submergebant et spoliabant. Ideo bene in universali vocat voluptatem hic sirenem, quæ propinat dulce venenum. Unde dicit: *che 'n mezzo il mar,* idest, in [3] isto mundo amaro, *i marinar dismago,* idest, navigantes disturbo, *tanto son di piacer a sentir piena;* et bene dicit, quia quantum ad sensum videtur habere summam placibilitatem, quæ tamen summe conturbat intellectum. Et subdit efficaciam potentiæ suæ, quia non solum incautos, sed et oculatissimos viros exorbitare fecit [4]. Unde dicit: *Io volsi Ulisse,* qui fuit prudentissimus longa experientia, *dal suo camin vago,* quia peregrinatus est per decennium, *al canto mio;* sed contra Homerus XI Odysseæ dicit, quod Ulyxes vitavit sirenes, quia fecit se alligari malo navis, et obturavit sibi aures cum cera ne audiret cantum earum. Dici potest quod poeta loquitur de Circe et Calypso, quæ veræ sirenes detinuerunt Ulyxem, Circe per annum, Calypso per multos. Et concludit generalem potentiam suam in omnibus, dicens: *e qual meco s' ausa,* idest, quicumque facit sibi habitum per longam consuetudinem in ipsis voluptatibus, *rado sen parte sì tutto l' appago,* idest, ita contento eum.—*Ancor.* Nunc poeta describit aliam mulierem pudicam potentius insurgentem contra illam meretricem impudentissimam. Per hanc intelligit virtutem rationalem quæ detegit turpitudinem primæ, et docet vitare

---

(1) 117, difficiliter.
(2) 117, fixe.
(3) S. in illo mundo.
(4) 117, facit.

illius blanditias. Dicit ergo continuative: *Ancor non era sua bocca richiusa,* quia adhuc persistebat in cantu suo, *quando una donna,* bene vocat istam dominam, ubi illam vocaverat famulam, quia ratio debet dominari, et passio famulari; *apparve,* scilicet, in somnio, *santa,* quia efficit homines sanctos, imo deos, vel *santa,* idest firma, ubi illa erat mobilis et mutabilis, *e presta,* quia statim succurrit homini contra appetitum sensualitatis, *lunghesso a me,* idest prope me, in favorem meum, *per far colei confusa,* quæ prius gloriabatur de potentia et placibilitate sua. Et ostendit quomodo recurrit ad Virgilium, dicens: *dicea,* scilicet, ego Dantes, *fieramente, o Virgilio, Virgilio,* admirative loquitur, *chi è questa?* scilicet, domina, tam imperiosæ autoritatis: *et ei,* scilicet, Virgilius, *venía con gli occhi fitti pur in quella onesta;* et sic vide quod oculus Dantis in carne positus respiciebat tantum cum delectatione illam primam lubricam, sed oculus Virgilii sine carne respiciebat istam secundam cum veneratione: illa enim videbatur pulcra et amabilis, ista vero rigida, sed venerabilis. Et subdit maiorem potentiam istius mulieris, quæ faciliter confundit illam, dicens: et ista mulier, *prendea l' altra,* vel Virgilius fuit, *e dinanzi l' apria fendendo i drappi,* et bene; nam pulcritudo tota illius consistit solum in superficie. Nam avaritia videtur pulcra in auro, argento, vestibus; gula, in cibis, vinis; luxuria videtur pulcerrima in mulieribus, sed interius latet omnis turpitudo et abominatio; unde dicit: *e mostravami il ventre,* vas fœtidum: ideo concludit somnium, *quel mi sveglià,* idest, excitavit me dormientem, *col puzzo che n' uscia.* O quam bene, quam pulcre dicit iste honestus et verax poeta: nonne est magnus fœtor avari qui fœdat omnia pulcra et honorabilia sua miseria? ideo harpiæ stercorant mensam avari. Qualis fœtor gulosi? nonne ex ebrietate cadit in lutum? os

eius fœtet, nares fluunt, oculi lacrymantur, imo evomit vinum, effundit venenum. Quantus sit fœtor luxuriæ fœdum est dicere.

Io volsi. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta tractat de introitu ad quintum circulum, et purgatione sua facta per angelum. Et primo ostendit quomodo Virgilius invitavit (1) eum ad procedendum in via sua, dicens: *Io volsi gli occhi al buon maestro;* ac si diceret: quid restat agendum? *e mentre,* idest, interim cum volverem oculos, *voce,* scilicet Virgilii, venit ad me, *come dicesse: surgi,* quia satis dormisti, et phantasiasti, *e vieni, troviam la porta,* novi circuli, *per la qual tu entre.* Et continuo tangit suam obedientiam cum descriptione temporis, dicens: *su mi levai, e' giron de l' alto monte,* qui tendit usque ad cœlum, *eran già pieni dell' altro dì,* scilicet tertio, quasi dicat: omnes circuli purgatorii erant jam illuminati novo sole. Unde dicit: *et andavam col sol nuovo alle reni,* quia tunc erant conversi ad occidentem; et hæc est tertia dies postquam intraverunt purgatorium. Et subdit suam dispositionem in ista via per unam comparationem domesticam et claram, dicens: *seguendo lui,* bonum ducem, *portava la mia fronte,* incurvatus ad terram, *come colui che l' ha di pensier carca;* magna enim et fortis cura gravabat mentem suam propter illam mirabilem visionem; ideo dicit: *che fa di se un mezzo arco di ponte,* qui (2) incurvat se (3) eo modo quo semiarcus sive semivolta pontis lapidei supra flumen. — *Quando.* Hic poeta ponit quomodo fuerit directus ab angelo, dicens: sic ergo ibam, *quand' io udi' parlare,* scilicet, ab angelo, *venite, qui si varca,* idest, hic est passus ad alium circulum, *in modo soave e benigno,* quia vox non erat humana, ideo dicit: *qual non si sente in questa mor-*

(1) E. invitaverit eum.
(2) E. quia incurvat.
(3) 117, se quomodo semiarcus.

tal marca, idest, non auditur in isto mortali mundo. Et subdit quomodo traxerit [1] eos, et per quem locum, dicens: *colui che sì parlonne,* scilicet angelus, *volseci in su,* versus altum montem, *con l'ali aperte,* quibus portabat gratiam, *che parean di cigno,* quasi dicat, albis. Est enim cygnus avis alba, canora, cui recte similatur angelus ratione albedinis, quia est purissimus, et ratione cantus suavissimi, qui est in angelo; *tra i due pareti del duro macigno,* idest, saxi, in quo erat excavata scala, ita quod saxum erat excavatum hinc inde tamquam paries rectus: lapis enim macignus appellatur ille durus ex quo fiunt macinæ. Deinde ostendit quomodo purgaverit eum, dicens: *mosse le penne sue,* idest, alas albas, *e ventilonne;* et per hanc ventilationem tacite dat intelligi quod angelus abrasit a fronte eius quartum P, idest, peccatum accidiæ. Et ecce quomodo pronuntiavit eum absolutum; *affermando,* illos *qui lugent esser beati ch'avran di consolar l'anime donne,* idest qui habebunt in cœlo animas suas dominas consolationis. Vult dicere, quod angelus dixit illud Matthæi V capitulo: *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur;* quasi dicat: Beati qui deplorant peccata sua in vita, sicut fecit ipse poeta, qui vere fuit parum accidiosus, nec distulit pœnitentiam post mortem, sicut alii qui erant hic. — *Che hai.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius petiverit [2] ab eo de causa suæ alterationis, dicens: *La guida mia incominciò a dirmi, Che hai che 'n vêr la terra par che guati,* idest, respicis, cum tamen magis deberes respicere cœlum, quanto magis salis in altum: et hoc dixit: *poco dall' angelo ambedue sormontati,* idest, nobis ambobus parum separatis ab angelo per ascensum, quasi dicat: cum modicum ascendissemus post ventilationem et locutionem angeli. Et

(1) E. traxit. (2) E. petivit.

subdit responsionem suam, dicens: *et io;* supple, dixi sibi, *novella vision,* numquam alias visa per alium, *ch' a se mi piega,* idest, trahit me ad cogitandum super ipsa, ut intelligam quid sibi velit res tam nova; ideo dicit: *sì ch' io non posso dal pensier partirmi,* nisi inveniam quid latet sub ista figura; ideo dicit: *fa irmi con tanta suspicion,* idest, cum tanto dubio inclinante me ad terram. Deinde ponit declarationem Virgilii circa dubium suum, qui primo replicat formam somnii sub brevitate. Unde dicit: *disse;* ille Virgilius: *vedesti quella antiqua strega,* idest, inveteratam meretricem, quæ ab initio mundi seduxit hominem, *che sola sopra noi omai si piagne,* idest, punitur et purgatur deinceps in tribus circulis superioribus; vel dicit: quæ sola (1) plorat super nos, quia dolet (2) nos recessisse ab ea, ipsa remanente confusa, quia non potuit revolvere nos ab itinere nostro, sicut jactabat se fecisse de Ulyxe; ideo dicit: *vedesti come l' uom da lei si slega,* scilicet, per detectionem fœtoris. Et dat Virgilius optimum consilium sibi circa istam visionem, suadens ut singulis membris accommodet sua officia, ut scilicet, pedibus ambulet per terram, et oculis respiciat cœlum. Dicit ergo: *bastiti,* scilicet, quod vidisti ad informationem tuam, *e batti a terra le calcagne,* quasi dicat: pedes qui sunt apti nati ambulare, deserviant terreno incessui, *et rivolgi gli occhi,* qui sunt positi in alto et apti nati ad videndum alta, *al logoro che gira,* idest, movet et volvit circulariter, *lo rege eterno,* scilicet, Deus, *con le rote magne,* idest, magnis speris vel revolutionibus. Et hoc dicit Virgilius, quia poeta portabat oculos ad terram. Et hic nota quod sub istis verbis pulcris Virgilius non vult aliud dicere nisi utaris istis terrenis sicut pecunia, gula, luxuria, quantum sufficit ad sustentatio-

(1) E. sola dolet super nos, quia plorat nos recessisse.
(2) 117, dolet quod recessimus ab ea.

nem vitæ, et subiicias ipsa pedibus tuis tamquam vilia et parva, et erige speculationem mentalem ad cœlum, quod est æternum et immortale; ideo intellectus debet quærere ipsum. — *Quale.* Hic poeta ostendit per nobilem comparationem quomodo statim se disposuit avide ad præceptum Virgilii. Dicit ergo: *Io mi feci tale quale il falcon che prima ai piè se mira, indi si volge al grido,* scilicet, falconerii, *e si protende,* idest, extendit se, *per lo disio del pasto che là il tira,* scilicet, ad ipsum falconerium. Et hic nota quantum comparatio est propria. Sicut enim falco de sui natura levis, animosus volat in altum per rotas multas magnas, ita poeta noster volabat alis ingenii per multos et magnos circulos alti montis. Et sicut falco prius respicit sibi ad pedes, ita nunc faciebat ipse poeta; et sicut falco levans caput se extendit aviditate escæ, quæ trahit eum, ita poeta (1) noster erigens caput extendit se spe cœli ad clamorem Virgilii, qui, sicut nobilis falconerius, ducebat eum ad venationem. Et concludit quomodo ascendit, dicens: *E tal,* qualis falco, *n' andai quanto la roccia,* idest, ripa, *si fende,* idest, quantum scala durat per totum, *per dar via a chi va suso infine ove 'l cerchiar si prende,* idest, usque ad introitum quinti circuli, ubi ascendens incipit circuire, sicut fit in omnibus aliis gironibus, quia scala est semper recta, sed via quæ appellatur cornix est semper circularis.

Com' io. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta describit punitionem et purgationem avarorum in uno spiritu moderno avarissimo. Et ut litera fiat clara est notandum, quod poeta perfectissime purgat hic avaros. Fingit enim quod omnes stant plorantes resupinati cum facie ad terram, et tergo contra cœlum, cum manibus

(1) E. poeta nunc erigens.

et pedibus ligatis. Quid autem hoc figuret ipse poeta exponit paulo infra, ideo possum levius pertransire. Est ergo imaginandum, quod volens in se purgare vitium avaritiæ debet in mente sua recordari, dolere et plorare de tam perdita vita. Si enim accidia cessat a bono per pigritiam, avarus facit omne malum per [1] malitiam; ideo fugit cœlum, colit terram, imo fodit more bufonis, et manus et pedes tenet ligatos, quia nemini dat, nulli succurrit, infelicissimus hominum. Quædam enim animalia pro salute vitæ sponte abiiciunt partem corporis, ut dicit Plinius, sicut vulpes capta laqueo cum dentibus amputat sibi pedem pro evasione. Avarus vero miser animam exponit manifestæ morti pro modica pecunia acquirenda vel defendenda. Ad literam ergo: poeta dicit: *Com' io nel quinto giro fui dischiuso;* hoc dicit, quia scala est clausa intra duos parietes, sed cornix illa est aperta ab extremitate, ubi nullum habet claustrum, *vidi gente per esso,* idest, genus avarorum, *che piangea,* culpam suam, *giacendo a terra tutta volta in giuso.* Et subdit quid dicebant in [2] planctu; unde dicit: *senti' dir loro,* scilicet avaros, illud dictum prophetæ: *Adhæsit pavimento anima mea.* Vult dicere, quod omnis avarus purgans se dicit cum dolore: tota intentio et affectio mea et animæ [3] meæ vacavit in vita cupiditati terrenorum inutiliter; est enim pavimentum terra indurata, calcata, quale est solum ecclesiarum; et dicit: *con sì alti sospiri,* quia profunda fuerat avaritia, *che la parola a pena s' intendea.* — *O eletti.* Hic poeta ponit petitionem Virgilii ad illos spiritus, qui captans benevolentiam dicit: *O eletti di Dio,* idest, prædestinati ad salvationem, *li cui soffriri,* idest, quorum pœnas quas portatis, *e giustizia e speranza fan men duri,* idest, minus gravia et tolerabiliora [4]; duo

(1) E. per avaritiam; ideo.
(2) E. in ploratu; unde.
(3) S. anima mea.
(4) E. tolerabilia.

enim alleviant pœnas istorum, scilicet, justitia, quia digne patiuntur, et spes, quia sperant post satisfactionem pervenire ad felicitatem; *drizzate noi verso gli alti saliri,* idest, ad ascensum alti montis postquam per vos non potestis ascendere. Et subdit responsionem unius illorum spirituum, qui captat benevolentiam eo modo quo fecerat Virgilius, dicens: *se voi venite dal giacer sicuri;* hoc dicit, quia Virgilius dixerat quod volebant ascendere, ex quo comprehendebat quod erant sine pœna, et ex speciali gratia faciebant istud iter; vel quia imaginabatur quod fuissent in eadem pœna, sed [1] soluti et purgati; et loquitur dubitative, quia jacens ad terram non poterat videre eos. Dicit ergo: *e volete trovar la via più tosto, le vostre destre sian sempre di furi:* moraliter loquendo, non teneatis manus subtus, sicut nos fecimus, non porrigendo pauperi proximo. Et concludit poeta ne procedat obscure: *così pregò il poeta,* scilicet, Virgilius per excellentiam, *e sì risposto poco dinanzi a noi,* ab uno spiritu magni sacerdotis; unde dicit: *perch' io nel parlar avvisai l' altro nascosto.* Vult dicere quod ex verbis perpendit de alio spiritu jacente, ita quod loquela erat quasi latens. Et ostendit quomodo petivit licentiam loquendi cum eo; unde dicit: *e volsi gli occhi agli occhi al signor mio,* scilicet Virgilio, quasi dicens tacite: possum loqui cum isto? Et ponit assensum illius dum dicit: *ond' elli m' assentì con lieto cenno ciò che chiedea la vista del disio;* nam in facie ostendi desiderium meum, sine loqui, et Virgilius similiter solo nutu respondit: secure loquere cum isto papa avaro, aliter tamen quam cum papa Nicolao de Ursinis. —*Poi.* Hic poeta ostendit quomodo allocutus fuerit illum spiritum, dicens: *Poi ch' io potei di me fare a mio senno,* ex licentia domini, quia

---

[1] E. sed absoluti et purgati.

servus non est sui juris, *trassimi sopra quella creatura,* scilicet papam Adrianum, qui non poterat ad me venire, *le cui parole pria notar mi fenno,* quando respondit Virgilio, *dicendo,* cum exordio: *o spirto, in cui pianger,* idest, planctus, *matura,* idest, accelerat cum maturitate, *quel,* scilicet, fructum pœnitentiæ, *sanza il quale a Dio tornar non puossi,* quia sine depuratione (1) non potest anima reverti ad cœlum, *sosta un poco per me,* idest, in favorem meum, *tua maggior cura;* quasi dicat: licet plus cures de planctu quam de me, rogo, cessa modicum a fletu gratia mei, quia si tu purgas avaritiam, et ego quæro totis viribus fugare eam a me et ab aliis. Et continuo petit tria, dicens: *dimme,* idest, dic mihi: *chi fosti,* hæc est prima petitio; *e perchè avete vôlti i dossi al su,* contra cœlum; et tertio petit: dic mihi, *e se vuoi ch' io t' impetri cosa di là,* in mundo vivorum, *ond' io vivendo mossi,* quando descendi ad infernum per quem huc veni. Et sic vide quod poeta dicit implicite qualiter est securus a jacendo. — *Et elli.* Nunc poeta ponit responsionem illius spiritus ad quæsita, qui primo respondet primæ petitioni, et promittit se responsurum ad secundam; unde dicit: *Et elli a me,* supple respondit: *saprai,* scilicet, paulo post, *perchè 'l cielo rivolga i nostri diretri,* idest, dorsa, *a se,* nolens (2) quod videamus ipsum. Et describit se a dignitate dicens: *ma prima, Scias quod ego fui successor Petri,* sed non pauper ut Petrus; deinde describit se a nobilitate generis. Et ad evidentiam sequentis literæ debes (3) scire, quod in MCCLXXIII, Adrianus V natione januensis de famosa et potenti domo illorum de Flisco, qui primo vocatus erat Octobonus, electus est ad papatum tempore Rodulphi electi ad imperium romanorum. Sedit in cathedra Petri uno mense et octo

---

(1) E. deprecatione. (2) E. volens quod. (3) E. debes primo scire.

diebus; unde morte præventus nec sacerdos ordinatus est. Dicit ergo Adrianus: *Una fiumana bella,* sic dicta a flumine Lavagna, *s' adima,* idest, avallatur, seu abassatur, *intra Siestri e Chiaveri,* quæ sunt duæ terræ riperiæ januensis; *lo titol del mio sangue,* idest, illorum de Flisco, *fa sua cima,* idest, apicem sive culmen nobilitatis et potentiæ magnæ, *e del suo nome;* quia scilicet dicti nobiles vocantur comites de Lavagna, seu de Lovagno. De quorum genere fuerunt multi viri valentes, præcipue alius papa, qui dictus est Innocentius papa IV vir quidem magnificus, et destructor Friderici II, et scientificus in utroque jure et sacra scriptura. Et huius Innocentii fuit nepos iste Adrianus ex fratre; qui suis exultantibus de promotione sua dixit: *Melius erat vobis habere cardinalem vivum, quam papam mortuum.* — *Un mese.* Hic Adrianus ostendit, qualiter modica experientia cognovit importabile pondus papalis dignitatis dicens: *Un mese e poco più prova' io come pesa 'l gran manto,* per mantellum Petri dat intelligi papatum, et maxime, *a chi dal fango il guarda,* sicut a labe avaritiæ, gulæ, et luxuriæ, quæ fœdant virtutes omnes, ut jam dictum est in prima parte. Et hic nota, quod vere laboriosum est onus pontificale, si debeat bene servari immaculatum. Et magis experto poterat credere Adrianus, scilicet sanctissimo papæ Gregorio I, qui in multis libris et locis dolet et deplorat istud gravamen; ex quo ostendit sarcinam illam nimis molestam esse omnibus, qui custodiunt illam illæsam. Ideo bene Cœlestinus IV quasi mortifero fasce deposito, cum gaudio et lætitia solitudinem repetebat, nisi retractus fuisset opera Bonifacii; et tamen in illo privato carcere sancte vixit, et animam feliciter Deo reddidit; ubi Bonifacius infeliciter et desperate vitam finivit. Et confirmat dictum suum per comparationem claram, dicens: *che men mi sembran tutte l' altre some,* idest,

quia cætera onera, quantumcumque gravissima, videntur levissima in comparatione ad istud. Et hic nota, quod vere nullum onus est par isti; nam qui summum pontificatum adeptus est, omnium curas, omnium sarcinas in se ipsum transtulit; quoniam intravit mare magnum cum parva navicula, quæ semper agitatur turbine omnium ventorum; et ex libero factus servus in magnam miseriam incidit: omnium enim linguæ de eo loquuntur, et lacerant eius vitam, et quidquid mali fit ubique totum ex illo, quasi uno fonte malorum, provenisse dicunt. Ideo bene alius papa Adrianus, natione anglicus, dicebat, quod pastor (1) erat similis ventri, contra quem olim omnia membra iniuste coniuraverunt, ideo juste defecerunt. Nam stomachus quasi servus publicus dispensans omnia omnibus alimenta subtraxit. Ideo, ut breviter concludam, summus pontificatus, si bene geritur, est summus honor, summum onus (2), summa servitus, summus labor: si vero male, est summum periculum animæ, summum malum, summa miseria, summus pudor. Ergo dubium est ex omni parte negotium. Ideo bene præfatus Adrianus papa quartus dicebat, cathedram Petri spinosam et mantum eius acutissimis per totum consertum aculeis, et tantæ gravitatis, ut robustissimos premat et conterat humeros. Et concludebat: nonne miseria dignus est, qui pro tanta pugnat miseria? Et dicit: *un mese e poco più,* quia stetit in papatu forte quadraginta diebus. Et hic nota quod cum omnis hominum vita sit brevis, regum est brevior, pontificum brevissima. Unde multo maior numerus pontificum, quam imperatorum invenitur. Quia raro aliquis vocatur ad culmen tantæ dignitatis, nisi senex vel vergens in senium. — *La mia conversion.* Hic Adrianus ostendit, quando et quare

---

(1) S. papa erat. (2) S. bonum.

recognovit (1) errorem suum, dicens: *La mia conversion,* scilicet, ad Deum, *oimè,* heu mihi! damno meo, *fu tarda,* quia solum circa finem; unde dicit: *ma, come fatto fui roman pastore,* idest, papa romanus, *così scopersi la vita bugiarda,* quia avaritia mendax promittit homini sufficientiam, et præstat (2) sibi indigentiam. Et tangit causam, quare detexit vitam fallacem in papatu, quia venit sibi in mentem: Ecce quid petisti? tot laboribus, tot viribus cunctis diebus vitæ tuæ, studens semper cupiditati, ut pervenires ad istum amarum gradum? Dicit ergo: *Vidi che lì,* idest, in tanta altitudine, *non si quetava il core,* sicut falso speraveram, *nè più salir poteasi in quella vita,* idest, non poteram pervenire ad altiorem gradum dignitatis in vita temporali. Et hic nota, quod Adrianus fecit optimam rationem. Cui enim regi vel principi est tanta dignitas vel potestas? Cæteri habent regere mortalia; hic spiritualia gubernare: alii habent præminentiam ab homine, hic ab æterna sapientia Dei: alii facultatem terrenorum, hic habet libertatem æternorum, immo, ut dicunt, dominator vivorum simul et mortuorum. Nihil ergo maius est vel esse potest in orbe christiano, licet hodie parum magnipendatur; ideo bene dicit: *perchè di questa,* scilicet, vita æterna, pro qua habenda hic purgor plorando, *in me s' accese amore.* Et hic subdit qualis fuerit ante illud tempus dicens: *fino a quel punto,* promotionis maximæ, *fui anima misera e partita da Dio.* Et hic nota quod Adrianus verum dicit; quoniam avaritia sectatores suos a consortio divinitatis et (3) usu cœlestis beatitudinis removet et elongat; nec potest avarus fieri voti compos, sicut accidit uni consorti istius Adriani. Nam dominus principalis de Flisco ditissimus clericorum impetravit vicariatum imperii a Rodulpho, ex quo depauperatus est.

(1) E. recognoverit. (2) E. parat. (3) E. et visu cœlestis.

Et dicit Adrianus, *del tutto avara,* quia furor totius avaritiæ consistit in duobus articulis, scilicet quia immoderate appetit aliena, et sua tenacius servat, sicut iste fecit diu. Et hic nota quod a principio primitivæ ecclesiæ olim hæc dignitas non erat invidiosa, quia omnes fere pontifices trahebantur ad supplicium et martyrium; nunc vero petitur cum tanta ambitione, ut fraudes, munera et promissa interveniant pro hac dignitate habenda. Et concludit Adrianus in hac materia: *or, come vedi, qui ne son punita.* — *Quel.* Hic Adrianus respondet secundæ petitioni juxta promissionem factam ostendens, quare stant sub tali forma martyrii. Unde dicit: *Quel che avarizia fa,* scilicet, malitia avaritiæ, *si dichiara qui,* scilicet, in ista pœna, *in purgazion dell' anime converse,* scilicet, ad Deum, quales sunt animæ avarorum ibi positorum, qui habuerunt emendationem in fine. Et hic nota, quod poeta bene fingit hoc, quia memoria et consideratio excruciat animum pœnitentis avari, dum recolit qualiter cæcus non levavit oculos ad cœlum, sed solum tenuit fixos ad terrestria; et manus et pedes habuit semper ligatos non erogando aliquid pauperibus, non subveniendo proximo, non proficiendo sibi nec alteri. Ideo bene dicit: *e nulla pena il monte ha più amara;* quia memoria talis vitæ perditissimæ est amarissima; et loquitur hyperbolice. Et declarat particulariter quare sic stent, dicens: *siccome l' occhio nostro non s' aderse,* in vita, *in altro fisso ch' a le cose terrene; così giustizia qui,* in isto circulo, *a terra il merse.* Unde nota quod isti avari recte ferunt imaginem talparum, quia semper in imo versantur, quorum tota conversio (¹) in terram deprimitur ut nihil altum sapiant, nihil divinum, sed et nihil humanum; nam solius hominis est recta facie re-

(¹) E. tota conversatio in terram.

spicere cœlum, cum natura cætera animalia abiecerit ad pastum: sic ergo peior est quem culpa maculat, eo qui naturæ parit (1) imperio. Et eodem modo dicit: *come avarizia spense il nostro amore;* nam avaritiæ frigus extinguit omnem amorem et omnem ardorem caritatis: *onde operar perdèsi,* omne bonum; *così giustizia qui stretti ne tiene nei pedi e nelle man legati e presi.* Et hic nota quod istud maxime tangit ipsum pontificem qui infinitis creditoribus est obligatus. Ideo bene Gregorius vocavit se servum servorum Dei, qui (2) habet reddere rationem Domino omnium ecclesiarum, immo omnium animarum quæ pereunt negligentia sua. Ergo quantumcumque qui eligitur papa sit ditissimus statim efficitur pauperrimus. Et concludit Adrianus: *e quanto fia piacer del giusto sire,* idest, quamdiu placebit Deo justo domino, *tanto staremo immobili e sospesi;* sub spe.

Io m' era. Ista est quarta et ultima pars, in qua poeta removet unam dubitationem circa dictum spiritum, scilicet, utrum dignitas temporalis finiatur morte temporali. Et fingit primo quod voluit procumbere ad pedes eius, et ipsum revereri secundum exigentiam altissimæ dignitatis; unde dicit: *Io m' era inginocchiato, e volea dire,* ad excusationem meam: Sanctissime Pater, parcat sanctitas vestra justæ ignorantiæ meæ, quia nesciebam vos esse papam. Unde nota quod nulli inter christianos exhibetur reverentia maior, quantumcumque ille sit vilissimus vel vitiosissimus; quod pro miraculo habetur a multis. Hoc autem eleganter tetigit hic poeta semel in civitate Veronæ. Nam cum ibi cœnaret cum quibusdam honoratissimis viris, unus curiosus petiit: Unde est, vir doctissime, quod vir semel naufragus reintrat mare; quod mulier semel puerpera vult amplius concipere;

(1) E. paret. (2) E. quia.

et quod tot millia pauperum non deglutiunt paucissimos divites? Cui prudentissimus Dantes, veritus parere errorem convivis minus intelligentibus, sagaciter vitavit solutionem. Et respondens petenti dixit: Adde quartum; quare scilicet principes et reges terræ reverenter exosculantur pedem filio lotricis et tonsoris, cum fuerit factus papa? Et dicit, quod Adrianus recusavit suam reverentiam, dicens: *ma com' io cominciai,* supple, dicere, *et ei s' accorse del mio reverire, solo ascoltando;* bene dicit, quia Adrianus non poterat videre ipsum flectentem genua aut inclinantem se, quia tenebat oculos fixos immobiliter ad terram; *disse: qual cagion così ti torse in giù;* et ponit responsionem suam, dicens: *et io a lui,* supple, dixi: *mia coscienza dritta,* cum sim fidelis devotus militantis ecclesiæ, *mi rimorse,* quod fueram ([1]) locutus ita nude et in singulari, *per vostra dignitate,* scilicet, papali; ideo nunc loquitur sibi in plurali. — *Drizza.* Hic poeta ponit responsionem ([2]) Adriani qui probat quod post mortem nec sibi nec alteri debeatur exhibitio reverentiæ; unde dicit ille Adrianus: *Rispose: o frate, drizza le gambe e levati su, non errare;* et probat quod non debeat ipsum revereri nunc, dicens: ego, *son conservo teco e con gli altri ad una potestate.* Hæc verba sunt abstracta de Apocalypsi XVIIII capitulo, ubi, cum beatus Joannes procubuisset ad pedes unius angeli fuit sibi dictum: Vide ne feceris; conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora. Et sic vide quomodo Adrianus adducit optimum exemplum ex optimo libro sacræ scripturæ; si enim fas est facere talem comparationem, Dantes vir summe speculativus ([3]) potest assimilari Joanni summe contemplativo ([4]), quorum uterque licet diversimode in abstractione mentis vidit varias et

([1]) E. fuerim.
([2]) E. rationem.
([3]) 117, summæ speculationis.
([4]) 117, contemplanti.

mirabiles figuras. Sicut ergo Joannes procubuerat ad pedes angeli, ita nunc Dantes ad pedes magni sacerdotis; et sicut angelus non acceptavit hunc honorem vocans se conservum eius et aliorum habentium testimonium Jesu, ita nunc papa fecit, vocans se conservum autoris et aliorum christianorum; ideo textus qui habet *converso* perversus est. Et subdit Adrianus confirmans dictum suum per aliud testimonium sacræ scripturæ; *ben puoi veder perch' io così ragiono, se mai intendesti quel santo evangelico suono,* Matthæi XXII capitulo, *che dice: in resurrectione neque nubent neque nubentur.* Sic enim respondit Christus cum facta esset sibi quæstio de muliere quæ plures habuit viros, cuius debeat esse in resurrectione. Ex quibus patet quod dignitas temporalis vanescit per mortem. — *Vattene.* Hic ultimo Adrianus licentiat poetam, dicens: *Vattene omai,* quia habes plura videre de materia uberrima avarorum, et ego habeo redire ad solitum planctum. Unde dicit: *non vo' che più t' arresti,* quia satis stetisti mecum, *chè la tua stanza mio pianger disagia,* idest, quia tua mora interrumpit planctum meum, *col qual maturo,* idest, accelero, *ciò che tu dicesti,* paulo supra, scilicet pœnitentiam. Et continuo Adrianus respondet tertiæ petitioni; quia enim petiverat supra, si volebat eum facere aliquid in mundo, respondet Adrianus: *Nepote ho io di là,* scilicet in Tuscia in valle Macræ, *ch' ha nome Alagia;* ista neptis papæ Adriani fuit uxor marchionis Marcelli Malaspinæ, qui multum honoravit eum tempore sui exilii, ut alibi dictum est; et ista domina multum complacuit tunc Danti. Unde quidam volunt, quod poeta loquatur de ea infra capitulo XXIV, ubi dicit, quod una mulier faciet sibi placere civitatem Lucanam: sed non credo. Et dicit Adrianus: *buona da se,* quia naturaliter pudica et honesta, *pur che la nostra casa non faccia lei per esemplo malvagia,* idest, lu-

bricam, et impudicam. Et vide, quod iste sacerdos loquitur honeste et caute: dicit enim quod neptis est bona, nisi imitetur exemplum aliarum de domo sua. Per hoc enim dat intelligi caute, quod mulieres illorum de Flisco fuerunt nobiles meretrices; qualis, si fama non mentitur, fuit uxor Petri de Russis de Parma, strenuissimi militis. Quid dicam de Isabella uxore domini Luchini potentissimi et justissimi tyranni in Lombardia? Et concludit Adrianus: *e questa sola m' è di là rimasa,* in qua sperare possim; quia illi de domo mea sunt dediti avaritiæ, sicut ego fui, tum quia januensis, tum quia sacerdos. Ideo rogo te, recommenda me sibi et bonis operibus suis.

CANTUS VIGESIMUS, *in quo tractat de eisdem avaris sub titulo cuiusdam Hugonis Ciapettæ de Parisiis olim prolis et originis regum francorum, qui multa dixit de factis illorum regum ac etiam de modo liberationis animarum; et sicut descussus est mons propter liberationem Statii doctoris.*

Contra miglior voler, voler mal pugna. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster tractavit et determinavit de generali pœna et purgatione avarorum, nunc consequenter in præsenti XX capitulo docet vitare et fugere istud commune malum humani generis duplici via, scilicet, considerando bonos effectus largitatis et voluntariæ paupertatis, et effectus pravos avaritiæ et cupiditatis. Et istud capitulum in quo autor hostiliter insurgit contra avaritiam infestis armis, videtur dividendum in quatuor partes generales; in prima quarum poeta detestatur avaritiam et commendat liberalitatem. In secunda introducit unum nobilem spiritum avarum et principem multorum avarorum, qui recenset magna mala committenda per successores suos, impellente avaritia, ibi: *O anima.* In tertia dictus spiritus transcurrit enormia peccata miserorum avarorum mira brevitate, ibi: *Ciò ch'io diceva.* In quarta et ultima describit quoddam mirabile accidens quod emersit ibi, ibi: *Noi eravam.* Ad primum veniens dico, quod poeta noster detestatur avaritiam cum commendatione largitatis; sed primo præmittit continuationem, et vult breviter dicere, quod recessit ab illo spiritu quamvis non contentus, quia affectabat adhuc loqui cum [1] eo, sed non potuit. Dicit ergo: *Voler,* scilicet,

---

[1] E. cum illo aliqua, non tamen potuit.

bonum, quale erat meum, *mal pugna,* scilicet, iniuste et indebite, *contra miglior voler,* quale erat velle illius Adriani. Poeta enim volebat adhuc loqui cum illo aliqua, non tamen necessaria, sed accommoda ad suam materiam: et Adrianus volebat reverti ad maturandam pœnitentiam quam nimis tardaverat in vita; ideo dicit: *onde contra 'l piacer mio, per piacerli,* quia licentiaverat me, *trassi dell' acqua,* idest, hausi de fonte suo (1), de doctrina sua, quia optime peroraverat contra avaritiam, *non sazia la spugna,* idest, non ente satiata spongia, quasi dicat: nondum contentato animo meo sitibundo: ideo ne perderem tempus, *mossimi, e il duca mio,* qui (2) præcedebat me, *si mosse per li luoghi espediti,* idest, per loca vacua non occupata ab illis (3) spiritibus jacentibus, *pur lungo la roccia,* idest, prope ripam montis, quasi dicat: cœpimus ire per unam viam arctam, quæ est media inter montem et avaros, a simili, *come si va per muro stretto a' merli,* ne homo faciliter cadat. Et assignat causam talis viæ, quia avari occupabant partem exteriorem; unde dicit: *chè la gente,* scilicet, secta avarorum maxima *che fonde,* idest, emittit et expellit, *a goccia a goccia,* scilicet, plorando et lacrymando in purgationem lacrymarum inutilium quas alias fecerat. Avaritia enim, ut ait Euripides, satis habet in se pœnarum, multum lacrymarum et laborum exigit; et tam miser est avarus ut quicquid non acquirit damnum putet, *il mal,* scilicet, crimen avaritiæ, *che tutto il mondo occupa;* nullum enim est vitium inter omnia, quod impellat hominem ad plura et maiora mala: homo enim natus nudus, plurimis indigens, videns quod pro denario (4) quasi omnia necessaria haberi possunt, faciliter inclinatur (5) ad omnia per quæ possit illum habere; *troppo s' approccia in fuor dal-*

(1) E. suo, idest de doctrina. (2) E. quia præcedebat. (3) 117, istis.
(4) E. pro denariis. (5) E. declinatur.

l' altra parte, idest nimis adhæret extremitati viæ contra montem, quia avarus semper tenet extremum quod vitare quærebant isti poetæ; ideo adhærebant monti virtutis. — *Maledetta.* Hic poeta considerans generale nocumentum avaritiæ, amaricato animo exclamat (1) contra eam, dicens: *Maledetta si' tu antica lupa,* sic appellat eam inferni (2) et alibi sæpe, *che più che tutte l' altre bestie,* scilicet, quam leo vel leopardus etc., *hai preda;* quia plures homines capis violentia tua. Avaritia enim percurrit terras et maria inter latronum et piratarum insidias, armavit manus hominum ad (3) insidias, texuit fraudes, venena confecit, testamenta falsavit, fœnora invenit, mendacia finxit, curas mordaces semper accumulavit; et cum videatur quærere commoda naturæ, omnia incurrit incommoda: et dicit: *per la tua fame senza fine cupa!* idest, profundam (4), voracem. Avarus enim continuo fit indigentior crescente fame mentis, quæ non potest expleri sicut fames corporis faciliter satiatur. Et implorat poeta auxilium contra tam violentam bestiam, scilicet, canem fortem, qui exterminet eam. Unde apostrophat ad cœlum, et dicit: *O ciel, nel cui girar par che si creda le condizion di qua giù trasmutarsi,* quia videmus secundum motum et influentiam superiorum continuo transmutari regna et imperia mundi, *quando verrà,* ille veltrus, *per cui questa disceda?* idest, recedat de mundo, de quo jam dixi quod est expulsurus de (5) villa in villam; quasi dicat: amodo esset tempus quod veltrus reponeret lupam in infernum (6), quia avaritia potens penetravit in viscera terræ et quasi pervenit ad inferos, ut inveniret divitias quas natura provida bene celaverat, materiam

(1) E. clamat. (2) E. e 117, primo inferni.
(3) E. ad homicidia, texuit fraudes.
(4) E. profundam voraginem, seu voracem.
(5) 117, eam de villa. (6) E. e 117, in inferno.

omnium malorum. — *Noi.* Nunc poeta damnata avaritia intendit commendare voluntariam paupertatem et largitatem simul. Et primo tangit suam attentionem circa hoc, dicens: *Noi andavam coi passi lenti e scarsi,* per illam viam angustam, cuius contrarium faciebat in (¹) circulo præcedenti, quia accidiosi sunt in continuo cursu, avari vero non moventur; *et io attento all' ombre ch' io sentia pietosamente piagnere e lagnarsi,* ubi impie solebant in vita plorare et conqueri, quod parum vel nihil habebant. Et subdit quid dicebant in planctu, quia decantabant sanctam paupertatem Mariæ; unde dicit: *e per ventura udi' chiamar nel pianto dinanzi a noi: dolce Maria.* Hic qui clamabat erat spiritus Hugonis Ciapettæ, ut patebit paulo post, a simili, *così come fa donna che 'n partorir sia.* Et hic nota quantum comparatio est propria (²): licet enim mulier puerpera sit in maxima pressura, tamen cum gaudio expectat exonerari, et habere fructum magnum; ita anima avara licet sit hic in amarissima pœna, tamen expectat cum certa spe alleviari et obtinere fructum beatitudinis: mulier etiam naturaliter est avara et prona ad lacrymas sicut umbræ istorum; *e seguitar,* supple, audivi, *povera fosti tanto, quanto veder si può per quello ospizio,* scilicet, præsepium, ut dicitur Lucæ II capitulo, *dove sponesti il tuo portato santo,* quia, *quem totus mundus capere non poterat tuo gremio contulisti.* — *Seguentemente.* Hic poeta adducit aliud exemplum sobriæ paupertatis in viro pagano, quia poterat quis dicere: non potest omnis homo pati incommoda paupertatis sicut Maria. Et ad intelligentiam istius (³) literæ sciendum (⁴), quod Fabricius fuit consul romanus, qui bellum gessit contra Pyrrhum regem, ut dicetur VI capitulo Paradisi: quo tempore fuit Curius valentior eo, et tamen

---

(¹) S. in illo circulo.
(²) 117, pulcra et propria.
(³) E. huius.
(⁴) 117, est sciendum.

maior mentio et commendatio fit de Fabricio ratione maioris paupertatis. Sicut ergo scribit Julius Ignius, libro VI de vita et moribus virorum illustrium, duo legati samnitum venerunt ad Caium Licinium memorantes multas et magnas res, quas bene et benevole fecerat samnitibus post datam pacem, offerentes dono grandem pecuniam et orantes ut reciperet, quoniam multa deficerent ad necessitatem victus et claritatem suæ domus; nihil enim splendidum et paratum erat pro amplitudine hominis et dignitate virtutis. Fabricius vero deduxit amplas manus ab auribus ad oculos, deinde ad nares, ad os, ad gulam, deinde ad ventrem, et inferiora; et legatis in hæc verba respondit: dum omnibus his membris quæ tetigi potero resistere et imperare, mihi nihil omnino deficiet; ideo vobis reservate pecuniam (1) necessariam usibus vestris, nec eam quibus non est necessaria aut grata ingeratis. Romani siquidem non curant habere aurum, sed imperare volunt habentibus aurum. Idem Fabricius compulit Pyrrhum ad romanorum amicitiam appetendam, remisso medico, qui promittebat Pyrrhum venenare. Ideo bene dicit Seneca: Summum fuit auro non vinci, veneno non vincere. Multa occurrunt dicenda in laudem Fabricii quæ remitto brevitati. Dicit ergo poeta: *Seguentemente intesi,* illum spiritum dicere: *O buon Fabricio,* quem Boetius vocat fidelem, *volesti anzi posseder vertute con povertà, che gran ricchezza con vizio.* Unde Claudianus: *contentus honesto Fabricius parvo spernebat munera regum.* — *Queste.* Hic poeta adducit exemplum nobilis largitatis sub verbis brevibus et claris: quoniam beatus Nicolaus mortuis parentibus volens sua bona pauperibus erogare, dum quidam nobilis tres filias adultas urgente inopia disponeret quæstum facere pro

(1) E. pecuniam vestram usibus vestris necessariam, nec eam.

substentatione vitæ, occulte de nocte proiecit per fenestram massam auri involutam pallio, ex quo primogenita maritata est; post tempus iterato, et tertio simile fecit, ex quo reliquæ nupserunt; et invitus cognitus est a patre virginum. Dicit ergo poeta, quod factus avidus ad verba illius spiritus, fecit se proximiorem illi; unde dicit: *queste parole,* dicta de vera paupertate Mariæ et Fabricii, *m' eran sì piaciute,* quia et ego pauper eram et liberalis considerata facultate, *ch' io mi trassi oltre per aver contezza,* idest, familiaritatem et notitiam, *di quello spirto, onde parean venute,* quem non poteram videre, quia habebat os ad terram. Et ecce quid ulterius audivi: *esso,* scilicet, Hugo, *parlava ancor della larghezza,* vere hæc liberalitas digna fuit tam egregio spiritu; Nicolaus enim gemma sacerdotum, ante sanctificatus quam natus, ut ait Polycratus, *che fece Nicolao,* consonum nomen; Nicolaus enim virtutis laus vel gloria interpretatur, *a le pulcelle,* tribus (1) virginibus, *per condurre ad onor lor giovinezza,* non ut potiretur eis.

O anima. Ista est secunda pars generalis huius capituli, in qua poeta introducit præfatum spiritum ad colloquium secum, qui multa mala commemorat sui et suorum facta per avaritiam. Dicit ergo: *dissi,* scilicet, ego Dantes exordiendo: *O anima che tanto ben favelle,* de paupertate et largitate contra avaritiam, *dimmi chi fosti,* in prima vita, *e perchè sola,* in tanta multitudine (2) avarorum, *tu rinovelle,* idest, renarras, *queste degne lode?* Et sic petit duo: et ut facilius consequatur (3) quod petit, promittit sibi præmium, dicens: *non fia senza mercè la tua parola,* quia licet dimittas modicum planctum et cantum propter me, rogabo Deum pro te, vel dabo tibi fa-

(1) E. scilicet tribus.
(2) E. in tanta multitudinis avarorum amaritudine.
(3) 117, sequatur illud quod petit, promittit sibi.

mam. Unde dicit: *s' io ritorno a compir lo cammin corto,* idest [1], revertar ad mundum ad peragendum illud reliquum vitæ quod mihi restat, quod est brevissimum, licet videatur longum; ideo dicit: *di quella vita,* scilicet, temporali, *ch' al termine vola,* idest, ad mortem citissime currit. — *Et elli.* Hic poeta ponit responsionem illius animæ. Et ad sciendum quomodo poeta juste movetur ad damnandam istam stirpem, est primo considerandum, quod, sicut in quibusdam chronicis memoriæ traditum reperitur, ex progenie generosa clarissimi Caroli Magni multi reges regnaverunt in Gallia per secula multa; sed cum tandem remansisset in regno ex Ludovico rege solum quidam pupillus non idoneus regno propter imbecillitatem ætatis, Hugo cognominatus Ciapetta, magnus regni senescalcus, in cuius manibus rex præmortuus reliquerat habenas regni, captus cæca cupiditate regnandi. pueri fata prævenit, et sic dolo malo pervenit ad sceptrum. Alii tamen scribunt, quod Hugo, defuncto Ludovico V sine liberis, francis transferre volentibus regnum ad Carolum ducem Lotharingiæ patruum ipsius Ludovici, usurpavit regnum, et Carolum cum filiis mori fecit. Alii tamen aliter colorant istud factum; et poeta noster honestius loquitur de hac re subticens infamem modum promotionis Hugonis: et dicit tantum, quod Hugo suffragio fortunæ et favore amicorum ascendit culmen tanti regni ex macellaria patris taberna, cuius descendentes longo ordine successerunt; quorum aliqui per avaritiam et ambitionem multa mala fecerunt, de quibus poeta quædam pauca breviter attingit [2]. Ad literam ergo primo dicit, quod ille recusavit mercedem sibi promissam: unde dicit: *Et elli,* scilicet, Hugo respondit: *Io ti dirò,* scilicet, quis fuerim, *non per conforto ch' io attenda di là,*

---

(1) E. idest si revertar ad domum ad peragendum. (2) E. contingit.

idest, expectem in mundo, quia non curo de fama, vel quia mei sunt (1) omnino dati avaritiæ, *ma perchè tanta grazia in te luce prima che sii morto,* nullus enim vivens unquam habuit talem gratiam. Dico ergo: *Io fui radice della mala pianta,* idest, arboris et parentelæ Franciæ, *che aduggia,* idest, adumbrat nocive, sicut arbor herbam, *la terra cristiana,* quia domus Franciæ offendit totam christianitatem, quia dominatur ecclesiæ. Unde dicit: *sì che buon frutto rado se ne schianta,* idest, bona operatio raro oritur a stirpe ista. Et tamen aliqui fuerunt reges illustres de linea ista, sicut Ludovicus sanctus et Carolus frater eius: et domus hæc usque ad tempora ista est potentissima in nostro occidente, sicut rex Franciæ, rex Navarræ, rex Hungariæ, regina Apuliæ. — *Ma.* Hic Hugo probat quod dixit per regem tunc regnantem. Nam Philippus pulcer pessimus regum Franciæ, ut dicetur paulo post, anno Domini MCCXCVI invasit comitatum Flandriæ et cepit Brugiam, Lillam et (2) Gaiam, et alias terras vastavit. Et anno MCCC, cum comes Flandriæ cum duobus filiis venisset ad eum, rex eos carcerari fecit, et abstulit eis comitatum Flandriæ. Sed post biennium secuta est vindicta, quam Hugo hic oravit; quia flandrenses facti rebelles fecerunt magnam stragem de exercitu ipsius regis. Dicit ergo Hugo: *Ma se Doagio, Guanto, Lilla e Bruggia potesser, tosto ne saria vendetta;* vindicta ista jam erat facta, quando poeta scripsit: sed respicit ad tempus suæ visionis, quando fingit ista se audisse ab Hugone. Et dicit: *et io la cheggio a lui,* scilicet Deo, *che tutto giuggia,* idest, judicat (3), quia justus judex vindictam facit de omni iniustitia; vel respicit ad mortem Philippi, ut dicit alibi. — *Chiamato fui.* Hic Hugo manifestat se et suos a nomine dicens, *di là,*

---

(1) E. sint omnino. (2) E. Lillam, et alias terras. (3) E. vindicat, quia.

idest, in mundo mortalium, *Ugo Ciapetta*. Hugo præfatus cognomento Capethi ([1]), sive Caputii, dictus est, quia pueris ipse puer caputia ludo auferre solebat. Cum quo Robertus filius regnavit undecim annis, et post obitum patris annis triginta quatuor; vir quidem pius et literatus; *di me son nati i Filippi e i Luigi,* quia plures de linea sua fuerunt reges Philippi et Ludovici. Nam de ista genealogia tertia Hugonis fuerunt multi Philippi, sicut Philippus I, Philippus II, Philippus III potentissimus, victoriosus, Philippus IV, dictus Nasellus, Philippus V, Philippus VI et Philippus VII, qui, ut credo, dictus est Pulcer, de quo tanta mala hic dicit. Multi etiam Ludovici fuerunt de stirpe Caroli Magni, quæ deficit in Ludovico V. Postea de stirpe Hugonis fuerunt alii Ludovici; scilicet Ludovicus Grossus, Ludovicus VII, Ludovicus VIII, qui fuit pater Ludovici sancti. Et dicit: *per cui novellamente Francia è retta.* Francia est provincia parva in Gallia, quæ multas alias provincias habet subiectas, sicut Provinciam, Burgundiam, Normandiam, Picardiam, Aquitaniam, Vasconiam etc. Deinde describit se ab origine sua, dicens: *figliuol fui d' un beccaio di Parigi;* et hic nota, quod aliqui dicunt, quod iste fuit nobilissimus miles de Normandia; alii quod fuit dux Aureliani. Sed Dantes curiosissimus investigator rerum memorandarum ([2]), cum esset Parisius gratia studii, reperit, quod iste Hugo de rei veritate fuerat filius carnificis. Ideo reputat fictum quidquid aliter dicatur, ad colorandam vilitatem originis, sicut multi faciunt. Et tangit tempus, dicens: *quando li regi antichi venner meno,* descendentes a Carolo Magno. Hoc autem fuit anno Domini DCCCCLXXXVII; *tutti, fuor ch' un renduto in panni bigi:* dicunt aliqui, quod iste erat frater minor; quod est impossibile, quia non-

---

([1]) **E. Ciapetta, sive.** ([2]) **E. modernarum.**

dum erat ordo minorum; sed erat monachus cum pannis vilibus grisis: et eo tempore, dicit Hugo, *trova'mi stretto nelle mani il freno del governo del regno,* scilicet, Franciæ, *e tanta possa di nuovo acquisto,* quia erat pecuniosus et dives nimis, *e sì d' amici pieno;* iste Hugo Ciapetta recte fecit sicut Tarquinius Priscus, qui natus patre mercatore de Cornitho ([1]), sua providentia et opulentia pervenit ad regnum romanum. Dicit ergo: *ch' alla corona vedova,* idest, vacanti, *la testa di mio figlio fu promossa,* scilicet, Robertus: Hugo enim, ut quidam scripserunt, noluit coronari, ut successio sua plus extenderetur. Audiverat enim, quod sui regnaturi erant in septimam generationem. Et dicit: *dal quale,* primo rege, *cominciar di costor le sacrate ossa,* quia inunguntur et consecrantur reges; *di costor,* scilicet, Philipporum et Ludovicorum. — *Mentre.* Hic Hugo incipit narrare mala suorum facta per avaritiam. Et primo tangit magnam occupationem ([2]) quam fecerunt avare. Ad quod sciendum quod Ludovicus, qui postea fuit sanctus, et Carolus frater eius, qui fuit postea rex Siciliæ, habuerunt in uxores duas filias Raymundi Berengerii de Tolosa: et sub nomine et colore dotium usurpaverunt totam provinciam narbonensem: ille ultra Rhodanum, iste citra, sicut dicetur plenius Paradisi capitulo VI. Modo usque ad istud tempus descendentes Hugonis erant aliqualiter avari, sed non ita quod usurparent alienum iniuste. Dicit ergo in litera: *Poco valea,* idest, parum erant valentes et virtuosi, *ma pur non facea male,* scilicet, per avaritiam, violentiam, et fraudulentiam, *mentre che la gran dote provenzale,* et vere magna; nam Plinius summe commendat istam provinciam; *al sangue mio non tolse la vergogna,* non intelligas, ut quidam falso exponunt, quod

([1]) E. de Corintho, sua prudentia et opulentia.
([2]) E. occupationem factam ab eis avare.

domus ista non esset potens ante istam dotem; sed vult dicere, quod ante istud factum ista domus habebat unam verecundiam, quia dicebatur de obscuritate et ignobilitate originis. Sed post istud factum cœperunt homines dicere de avaritia et iniustitia in verecundiam istorum, ita quod maior verecundia et infamia abstulit primam, ita quod amplius non dicebatur de macellario. Quod autem ista sit intentio poetæ, declarat sequens litera, dum subdit: *lì cominciò,* ab illa dote et præda magna, *con forza e con menzogna la sua rapina;* quia cœpit tunc primo rapere violenter et fraudulenter; *e poscia,* pari vi et fraude, *prese Ponti,* idest, comitatum Ponti, *Normandia e Guascogna;* et dicit: *per ammenda,* loquitur ironice, quasi dicat: ad emendationem primæ rapinæ factæ de Provincia, fecerunt aliam de aliis provinciis. — *Carlo.* Hic dictus Hugo damnat duas violentias factas crudeliter per Carolum prædictum. Ad cognitionem primæ debes scire, quod Conradinus debellatus in campo, consilio et arte senis Alardi, ut plene dictum est Inferni capitulo XXVIII, fugiens pervenit cum quibusdam proceribus ad plagiam Romæ, ad castellum dictum Asturi (1), ubi armata subito fugitiva tendebat in Siciliam, quæ rebellabat Carolo. Sed captus a quodam Johanne de Frangipanibus de Roma, præsentatus fuit Carolo. Carolus post aliquot menses consulte et deliberate in foro Neapolis fecit decollari ipsum Conradinum et ducem Austriæ cum multis comitibus et baronibus, quorum corpora vetuit sepeliri in sacro. Dicit ergo: *Carlo,* scilicet, vetus primus, victor Manfredi, *venne in Italia,* vocatus ab Ecclesia, *e vittima fe,* idest, sacrificium, *di Curradino,* quia ipsum adolescentulum innocentem, velut agnum, immolavit (2), *per ammenda;* loquitur ironice, quasi di-

(1) 117, Astura. (2) 117, jugulavit.

cat: ad emendationem occupationis provinciæ mactavit inhumane ([1]) Conradinum. Et hic nota, lector, quod valde miror de quibusdam, qui arguunt poetam dicentes, quod iniuste infamat justum regem. Sed certe non culpat in eo non culpanda. Nonne jam ipsum posuit gloriose inter reges et principes christianos, tamquam pugilem Ecclesiæ? Sed certe hunc actum damnaverunt omnes sapientes et amici Caroli. Nam Robertus filius comitis Flandriæ, gener ipsius Caroli, transfixit mucrone impune judicem qui tulerat talem sententiam. Nonne hic Carolus impunitum tulit Guidonem de Monforte qui interfecit consanguineum regis Angliæ in gremio Dei? Nonne condemnavit ad perpetuum carcerem dominum Henricum fratrem regis Hispaniæ, consanguineum ipsius, quem tamen fecerat sibi hostem per avaritiam, cum nollet sibi reddere magnam pecuniam, quam mutuo habuerat ab eo? Nonne prohibuit ut ille obtineret Sardiniam ab Ecclesia? Deinde tangit aliam violentiam enormem. Ad cuius intelligentiam debes scire, quod Carolus prædictus habens suspectum Thomam de Aquino ordinis prædicatorum, vel quia offenderat comites consanguineos eius, vel quia Thomas iturus ad concilium generale in Galliam Lugdunum habuerat dicere, quod non taceret oppressiones regnicolarum, timens sibi ab illo, fecit eum venenari in via per quemdam physicum familiarem suum; qui mortuus est apud abbatiam Fossæ Novæ in regno. Dicit ergo: *e poi,* ille Carolus, *ripinse al ciel Tommaso,* quia vir sanctus redivit ad cœlum, unde venerat, *per ammenda;* loquitur ironice, quasi dicat: ad emendationem primæ victimæ, quam fecerat gladio, immolavit alium juvenem doctorem veneno. Sed justo judicio ([2]) Carolus ante mortem habuit magna ([3]) adver-

([1]) 117, inhumaniter. ([2]) 117, judicio Dei Carolus. ([3]) S. multa.

sa; quia cum elatus successu magnarum victoriarum speraret maiores, vidit rebellionem Siciliæ et captivitatem filii sui, qui poterat interfici in vindictam Conradini, si hostis voluisset abuti victoria, sicut ipse fecerat. Et mortuus est cum dolore, filio adhuc carcerato. — *Tempo vegg' io.* Hic Hugo valde detestatur vilem avaritiam alterius Caroli. Iste Carolus de Valois cognominatus sine terra, frater Philippi Pulcri, vocatus in italiam per Bonifacium sub nomine pacificandi Florentiam, et gerendi bellum contra Siciliam, ipsam Florentiam summe disturbavit, ut plene scriptum est Inferni capitulo VI. Deinde armata magna classe apud Neapolim, cum Roberto filio Caroli II ivit contra Siciliam; sed in brevi, facta simulata et infami pace, reversus est in Franciam, perdita magna parte suæ gentis. Ideo bene in eius improperium dictum est: Carolus venit in Tusciam pro pace, et reliquit ibi bellum: et ivit in Siciliam pro bello, et reportavit inde ignominiosam pacem. Dicit ergo Hugo: *Tempo vegg' io non molto dopo ancoi,* quia per annum postea fuit istud factum, *che tragge un altro Carlo fuor di Francia,* quia sic dicta est a Francone duce, vel a ferocitate, secundum Isidorum, *per far conoscer meglio e sè e' suoi;* qui sæpe per avaritiam nimis deliquerunt: quod continuo declarat, cum dicit: *senz' arme n' esce,* quia sub titulo pacificandi exivit a Francia, et non usus est apertis viribus more gallorum, sed perfida proditione; unde dicit: *e solo con la lancia con la qual giostrò Giuda;* et videtur optima comparatio; quia sicut Judas prodidit Christum pro pecunia, ita iste corruptus pecunia prodidit Bonifacium, qui vocaverat eum. Unde dicit: *e quella ponta,* idest, impingit illam lanceam, *sì ch' a Fiorenza fa scoppiar la pancia.* Et est propriissima comparatio, quia eo tempore Florentia erat valde corpulenta, plena civibus, inflata superbia. Et iste Carolus scidit eam per

ventrem, ita quod fecit inde exire intestina vitalia, scilicet, præcipuos cives, de quorum numero fuit iste præclarus poeta. Ideo bene solvit sibi hic. Unde ad exagerandum factum dicit: *quindi,* ex ista proditione, *non guadagnerà terra per se,* quia si volebat fallere fidem, debebat capere sibi illam florentissimam terram, et non (1) Cursio de Donatis, *ma peccato et onta,* quia Deum et multos homines offendit. Et dicit: *tanto più grave,* scilicet, peccatum, *quanto conta,* idest, reputat esse, *simil danno,* scilicet, Siciliæ, *più lieve,* scilicet, peccatum. — *L' altro.* Hic Hugo tangit temeritatem et vilitatem alterius Caroli junioris (2), qui fuit primogenitus Caroli I, unde vocatur Carolus II. Et ad declarationem literæ est sciendum, quod dum Carolus (3) pater ivisset in Provinciam, ad armandam classem pro recuperanda Sicilia rebelli, Rogerius de Oria, admiralius regis Petri peritissimus et victoriosissimus in bello navali, cum magna classe venit super Neapolim intra portum, sagiptando intra civitatem, et exprobrando, ut eliceret Carolum principem ad pugnam. Præsciebat enim tamquam vigilantissimus dux, quod rex Carolus cum magna classe rediens de Provincia jam erat in mari pisano. Sicut ergo petebat et optabat juvenis improvidus et calidus, cum proceribus et omni militia, ascendens navim exivit contra Rogerium. Rogerius sagacissimus mandavit suis, ut non intenderent ad persecutionem fugientium, sed solum ad galeam, ubi erat regale signum. Quo facto, in primo congressu belli, multis navibus juvenis fugientibus, ipse cum suis proceribus inutilibus navali certamini, tam faciliter quam celeriter debellatus et captus est cum novem navibus longis. Et ductus Messanam in Siciliam ubi plusquam ducenti ex suis nobilibus gladio sunt necati

(1) E. et non tradere Cursio. (2) S. prioris. (3) E. Carolus ipse ivisset.

in vindictam Conradini, ipso Carolo cum paucis (1) sociis reservato. Hac victoria potitus est Rogerius anno Domini MCCLXXXIV. Die sequenti Carolus pater applicuit Gaietam; qui accepto sinistro rumore filii, accensus ira, dixit: Vellem ipsum esse mortuum, quando (2) non servavit præceptum meum. Mandaverat pater (3) filio, ut nullo casu committeret se pugnæ marinæ vel terrestri in absentia sua. Deinde Carolus, mortuo patre, concordans cum rege Aragonum, reversus est in regnum suum, et tradidit filiam suam Azoni III marchioni estensi, facta sibi magna donatione propter nuptias. Nunc ad literam; dicit Hugo: *Veggio l' altro,* scilicet, Carolum claudum, *che già uscì preso di nave,* et certe fuisset occisus, nisi prohibuisset regina Constantia, *vender sua figlia,* quam tradidit viro pro pecunia, *e patteggiarne, come fan li corsar dell' altre schiave,* quas vendunt pro certo pretio. Sed quid dixisset poeta noster, quod Joannes rex Franciæ, captus ab anglicis diebus nostris, vendidit filiam suam domino Galeatio tyranno de Mediolano? Et ex hoc Hugo dolore intrinseco tactus, exclamat (4) contra avaritiam potentissimam, dicens: *O avarizia!* regina vitiorum, *che puoi tu più farne?* quasi dicat: nil maius, *poi c' hai il sangue mio a te sì tratto, che non si cura della propria carne?* Et hic nota, quod iste maxime dolet de avaritia istius Caroli, quia fuit valde liberalis inter reges sui temporis. Sed certe amor pecuniæ vincit amorem naturalem, et res impossibiles facit possibiles. Unde infelix, in quo avaritia fixit radices suas, pacisceretur cum quocumque de quota parte vitæ suæ, si posset vendere alteri tempus sibi datum a natura: *perchè men paia il mal futuro e 'l fatto.* Hic Hugo amare commemorat facinus impium quod prægravat cæteris. Ad cuius intelligentiam

(1) E. cum suis reservato.
(2) E. quia non.
(3) 117, enim pater.
(4) 117, exclamavit.

est utile scire, quod Philippus Pulcer rex Franciæ, conceperat indignationem contra Bonifacium VIII, qui promiserat facere Carolum de Valois fratrem suum imperatorem romanorum, quando venit pro paciario in Tusciam; sed nihil servaverat, quia audisti quam valenter se habuerit [1]; immo eodem anno confirmaverat Albertum ducem Austriæ. Ideo Philippus indignatus superbe tenebat et honorabat Stephanum de Columna inimicum eius, et beneficia conferebat in Francia pro voto suo. Propter quod Bonifacius magnanimus et alti cordis factus est palam sibi infestus; et ad justificandam causam suam fecit citari prælatos Franciæ ad concilium et Philippum prohibentem et contumaciter recusantem se subditum Ecclesiæ, temporaliter excommunicavit. Philippus obiiciens multa crimina Bonifacio, dicebat ipsum fore deponendum; sic hinc inde accenso igne irarum et discordiarum, alter in alterius perniciem coniurabat. Bonifacius irritabat flandrenses contra regem, et Albertum electum invitabat [2] in Italiam. Philippus peiora meditans de consilio Stephani misit quemdam legatum suum in Tusciam cum Musatto Francesio milite florentino. Qui venientes in comitatum Florentiæ, ad Stagiam castellum dicti Musatti, simulabant sagaciter agere de bono pacis; et clandestine cum magnis pecuniis et donis, corruptis multis proceribus Campaniæ et Anagniæ, ordinaverunt capere Bonifacium [3] in patria; ubi stans intrepidus nihil tale sentiebat. Quo facto Sciarra de Columna cum tercentis equitibus et multis amicis et mercenariis peditibus, sub vexillo regis uno mane intravit Anagniam cum clamore; et ingratus populus secutus est signa regalia, et cinxit [4] papale palatium. Bonifacius audito tumultu, omnium auxilio destitutus [5], tamquam magnanimus dixit secum: Ex quo

---

(1) S. habuerat. (2) 117, vocabat. (3) S. Bonifacium papam in patria.
(4) E. et traxit ad. (5) E. destitutus, dixit secum.

debeo mori per proditionem ut Christus, moriar ut (1) vicarius Christi. Et continuo assumpto habitu pontificali cum clavibus, conscendit papalem sedem. Sciarra cum suis, volente Deo, ut sancta dignitas servaretur intacta, non iniecerunt manus in eum, sed illum solis verbis lacessitum, sub honesta custodia relinquentes, conversi sunt ad rapiendum thesaurum. Post tertiam diem populus Anagniæ recognoscens errorem suum, ruens in arma, duce (2) Luca de Flisco cardinali, expulit Sciarram cum complicibus. Bonifacius (3) liberatus tertia die more Christi non potuit lætari, indurato corde dolore. Sed recedens cum curia, venit Romam ad sanctum Petrum, cum intentione celebrandi concilium, et faciendi altam vindictam de iniuria atrocissima (4) facta sibi per regem; sed intenso dolore superante animum eius, conversus in rabiem furoris, cœpit se rodere totum; et sic verificata est prophetia simplicissimi Cœlestini, qui prædixerat sibi: Intrasti ut vulpes, regnabis ut leo, morieris ut canis. Vide igitur si juste poeta detestatur tam crudele scelus in Philippo. Dicit ergo: *Veggio il fiordaliso,* idest, lilium, quasi flos de aliis, quod est armatura regum Franciæ, *entrar in Alagna,* civitatem (5) Bonifacii, *e nel vicario suo Cristo esser catto:* et hoc dico, fiet, *perchè 'l mal futuro e 'l fatto paia men,* idest, ut minora videantur mala fienda et jam facta, quia vere omnia peccata præterita et futura videntur parva vel nulla in comparatione ad istud. Unde subdit: *veggiolo un' altra volta esser deriso,* quia captus ab hostibus, *veggio rinovellar l' aceto e 'l fele,* per amaros dolores Bonifacii, *e tra vivi ladroni esser anciso,* idest, inter satellites regis et

---

(1) 117, tamquam vicarius.
(2) E. duce, ductoreque Luca.
(3) E. Bonifacius autem more.
(4) E. atrocissima sibi per regem illata. Sed.
(5) E. civitate.

Sciarræ [1]; vel, ut aliqui dicunt, inter cardinales, quia volunt quod aliquis cardinalis fuerit conscius huius facti. Mortuus autem est Bonifacius in MCCCIII, die duodecima octobris, et sepultus in sancto Petro. — *Veggio.* Hic ultimo Hugo subannectit aliud magnum malum, quod fecit idem Philippus contra quosdam fautores Bonifacii. Et ad aperiendam istam literam, quæ multis clausa videtur, oportet scire historiam memoria dignam, cuius hæc est summa. Quidam Jacobus, Burgundus origine, ex dominis Molai genitus, juvenis animosus, cum frater primogenitus secundum consuetudinem gallicam haberet dominium omnium, contulit se ad militiam templariorum, qui erant magni pugiles fidei: ubi factus magister illius ordinis potentis, incurrit odium Philippi Pulcri, cuius erat compater, quia videbatur favisse Bonifacio; sed verius ob avaritiam. Factum est ergo, permittente Clemente V qui promiserat Philippo destructionem templariorum, quod principales templariorum eadem die capti sunt de mandato Philippi per omne regnum suum, et eorum templa, castella, thesauri, et omnia occupata. Quibus ductis Parisius multa crimina obiecta sunt, quæ omnia illi perseveranter negabant, dicentes, se contrarium probaturos sub justo judice, si daretur. Rex ira ardens, mandavit ut tormentis extorqueretur, quod adulationibus non poterat; sed cum nihil proficeret, magistro cum tribus sociis reservato, cæteri palam damnati sunt incendio, si in proposito starent. Erant omnes robusti juvenes et animosi: ideo omnibus alligatis singulis palis ignis est appositus: et præcone promittente impunitatem et liberationem confitentibus, nullus potuit flecti terrore vel prece, ut cederent irato regi, et confessione parcerent vitæ suæ. Sed cum omnes concorditer sæpe

---

[1] E. Sarræ.

dicta firmarent, cœperunt tortores singulis apponere ignem primo ungulæ pedis, et paulatim ascendendo deducere per omnia membra. Illi autem jactantes voces in cœlum, clamabant, se veros christianos et eorum religionem semper sanctissimam fuisse. Nec unus usque ad mortem potuit a tam constanti proposito removeri (1). Jacobus vero magister longo carcere maceratus, tandem ductus Lugdunum, multis exhortationibus persuasus, confessus fuit aliqua Clementi papæ. Quare retractus Parisius, cum coram duobus legatis ex latere et rege sententia legeretur, in qua continebatur magistri liberatio et ordinis damnatio, ipse cum uno ex sociis, qui erat frater Delphini Viennæ, petivit alta voce silentium. Quo concesso, audiente multitudine præsente, testati sunt, quod morte dignissima morerentur, non quia commisissent (2) unquam ea quæ legebantur; sed quia permiserant se seduci suasionibus Clementis papæ et regis tyranni, contra honorem ordinis sui tam sancti et tot sanctorum patrum auctoritate probati; et tot egregios fortes commilitones et socios ante se pro veritate consumptos viliter fraudassent. Sed dura sententia lata, Jacobus cum fratre Delphini igni datus (3) est, sicut primi; et ambo, rege vidente, constanter et intrepide in supplicium iverunt. Alii duo viliter confitentes evaserunt. Quinquaginta sex fuerunt, qui tamquam martyres innocentes perierunt. Hanc flebilem historiam multi fide digni notaverunt, sed præ cæteris Boccaccius de Certaldo elegantissime describit, laudabiliter commendans constantiam et fortitudinem istorum ultra virtutem virorum fortium ab antiquo laudatorum. De istis et de origine ordinis eorum dicetur Paradisi capitulo XVIII. Nunc est ad literam veniendum: dicit ergo Hugo: *Veggio 'l nuovo Pilato,* scilicet,

(1) 117, revocari. (2) E. commisissent ea. (3) 117, damnatus est.

Philippum. Et hic nota quod poeta propriissime [1] vocat Philippum novum Pilatum: sicut enim Pilatus qui fuit de Lugduno, iniuste condemnavit innocentem Christum; ita iste apud Lugdunum condemnavit iniuste istum innocentem militem Christi et pugilem fidei. Et sicut Pilatus fecit alligari Christum ad columnam, et crudeliter flagellari; ita Philippus fecit istum protectorem Christi alligari ad palum, et crudeliter concremari cum sociis, non contentus primo Bonifacium cepisse per Sciarram de Columna. Dicit ergo: *sì crudele che ciò nol sazia,* scilicet, acerba mors Bonifacii, *ma porta nel tempio,* idest, contra templarios, *le cupide vele,* quia non tantum ex appetitu vindictæ quantum ex cupiditate inflatus est contra templarios qui erant ditissimi. Et dicit: *senza decreto,* dicunt aliqui, scilicet papæ, sed non bene, quia papa hoc consensit [2]; sed vult dicere, iniuste, quia fecit sibi de voluntate legem et de furore decretum. Hæc facta sunt in MCCCVII. Et concludit Hugo propter horrenda peccata istius [3] Philippi apostrophans ad Deum: *O Signor mio,* scilicet, Deus, *quando,* scilicet, egressus hinc, *sarò io lieto,* scilicet, tecum in paradiso, *a veder,* in te sicut in speculo, *la vendetta,* quæ cito erit de Philippo, *che nascosa,* idest, occulta, *fa dolce l' ira tua nel tuo secreto?* Et hic nota, quod poeta loquitur hic occulte, quia quando homo passus iniuriam scit et cognoscit vindictam, quam faciliter et cito faciet de illo, lætatur in secreto mentis suæ. Et dicit: Vade tamen cum Deo, quia bene solvam tibi. Ita a simili dicit iste de ira Dei, quæ veniet juste et in brevi super Philippum et prolem suam, ut dicetur suo loco [4].

Ciò ch' io dicea. Ista est tertia pars generalis non minus copiosa quam prima, in qua poeta detestatur et

---

(1) 117, probissime.

(2) 117, concessit.

(3) E. huius.

(4) E. loco in præsenti compilatione.

damnat multipliciter avaritiam, ostendens quales sunt fructus eius: et primo ostendit qualiter Hugo respondet ad secundam [1] petitionem, qua petiverat supra, quare solus renovellabat illas dignas laudes. Dicit ergo Hugo: *Ciò ch' io dicea,* cum planctu pio, *di quella unica sposa dello Spirito santo,* idest, de singulari virgine Maria decantans paupertatem eius; *e che ti fece volger verso me,* ut jam dictum est supra, quod traxit se ulterius, *per alcuna chiosa,* idest, propter verba secuta in laudem Fabricii, quæ fuerunt declaratoria primi dicti, *tanto è disposto a tutte nostre prece,* idest, precibus quas facimus [2] cantando, quibus respondent alii spiritus, *quant' el dì dura,* quasi dicat: solum de die facimus talem cantilenam; *ma quando 'l s' annotta,* idest, adveniente nocte, *contrario suon prendemo in quella vece,* quasi dicat: de nocte cantamus cantionem recte contrariam. Et hic nota quod contrarietas stat in hoc, quod nominati in prima cantione diurna fuerunt amicissimi paupertatis et largitatis; illi vero de quibus fit mentio in cantione nocturna fuerunt amici avaritiæ et cupiditatis. Nota etiam quod laudes largitatis cantantur in die, quia largitas facit homines claros; sed infamia avaritiæ cantatur in nocte, quia avaritia facit homines obscuros. — *Noi.* Hic Hugo percurrit breviter multa improperia avarorum, et primo avaritiam Pygmalionis, qui frater Didonis cæca cupiditate auri mactavit [3] Sichæum sororium suum, propter quod Dido fugit de Tyro, et venit in Lybiam [4], ut dicetur Paradisi, capitulo IX. Dicit [5]: *Noi ripetiam allotta,* idest, in illa vice, quando fit nox, *Pigmalione,* avarum, *cui la voglia sua ghiotta dell' oro,* idest, quem voluntas sua cupida auri, *fece traditor,* rumpendo vinculum fidei strictum

---

(1) E. ad secundam partem petitionis, qua petiverat. (2) E. fecimus.
(3) E. mactavit Pigmaleon ipsemet Sichæum cognatum suum virum Didonis, propter quod. (4) E. Lidiam. (5) E. Dicit ergo: *Noi.*

quo erat ligatus Sichæo marito Didonis sacerdoti Herculis, quem sacrificantem innocentem immolavit ad aram. Ideo dicit: *e ladro,* quia furtim obtruncavit illum incautum, *e parricida,* quia interfecit propinquum suum. Parricida enim appellatur ille qui necat parentes vel affines large loquendo. — *E la.* Hic Hugo tangit secundum actum avaritiæ semper memorandum cum risu: quæ fabula notissima est. Nam Mida rex lydorum ditissimus filius Gordii, qui fecit nodum indissolubilem quem postea Alexander violenter solvit, cum esset devotus Baccho impetravit ab eo ut quicquid tangeret verteretur in aurum; et cum ex tam pretioso munere moreretur fame et siti, iterum imploravit ut talis gratia revocaretur ab eo: per hanc nobilem fictionem poetæ voluerunt intelligi, quod avarus circumvallatus divitiis et auro afficitur fame et siti, et in continuo permanet cruciatu. Dicit ergo: *E la miseria;* et (1) repetimus miseriam, scilicet, famem, sitim et omne incommodum, *dell'avaro Mida,* per excellentiam vocat eum avarum, *che seguì alla sua dimanda ingorda,* idest, avidam, importunam, *per la qual sempre conven che si rida;* quotiens fit memoria de hoc. Certe non dubito quod poeta noster ridebat cum hoc scriberet. Ideo bene Aristoteles primo Politicorum dicit: inconveniens est tales esse divitias, quibus abundans fame perit, quemadmodum et Midam illum fabulose dicunt propter insatiabilitatem (2) desiderii omnibus sibi exhibitis aureis. Quidam etiam scripserunt Midam habuisse annulum qui redderet hominem invisibilem, quod Plinius reputat fabulosum. — *Del folle.* Hic Hugo memorat alium actum avaritiæ qui nimis videtur displicuisse Deo. Ad cuius cognitionem est sciendum, quod sicut scribit Josue VI capitulo, et dicit Josephus libro Anti-

(1) 117, idest, et repetimus. (2) E. insatiabilitatem auri omnibus.

quitatum, Josue princeps populi Israel post Moysem cum intrasset terram promissionis, transito Jordane cepit civitatem Jericho, et destruxit, ut dicetur plene Paradisi capitulo IX. Sed cum jussu Dei mandasset ut nullus tangeret aliquid de præda civitatis, quidam nomine Acham nimia cupiditate abstulit pallium rubeum et certum argentum et aurum, quæ [1] abscondit sub terra in tabernaculo suo. Qua re iratus Dominus fecit, quod qui missi erant contra aliam civitatem nomine Hay victi ab hostibus terga dederunt, amissis aliquot de suis; propter quod Josue lugens invocavit Dominum, et habito [2] responso quod puniret reum furti, facto diligenti scrutinio, Acham confitentem furtum fecit lapidari a populo et omnia sua igne cremari; et sic cessavit furor Domini. Dicit ergo Hugo: *Ciascun,* scilicet canentium hic, *si ricorda,* ad purgationem avaritiæ, quæ fuit ita punita saxis et flammis, *del folle Acham,* vel [3] melius Achar, qui fuit nimis temerarius contra præceptum Domini, *come furò le spoglie,* de civitate maledicta a Domino qui præceperat destrui totam et igne succendi; ideo bene luit pœnam in vita. Unde dicit: *sì che l' ira di Josuè, qui par ancor che 'l morda*; et vere magna fuit ira Josue, quia fecit filios et filias et jumenta cremari, quod videtur iniustum, et non minor videtur ira Dei, qui iratus erat contra totum populum innocentem propter culpam unius avari. — *Indi.* Hic Hugo tangit alium actum vilis avaritiæ. Nam, ut patet omni christiano, in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum et anima una; erant etiam illis omnia communia. Vir ergo quidam nomine Ananias et Saphira uxor eius in Jerusalem volentes sequi apostolos vendiderunt agrum proprium, et parte pretii retenta, reliquam presentarunt beato Pe-

(1) E. quæ omnia abscondit. (2) 117, habuit responsum.
(3) E. vel Achar qui fuit temerarius.

tro, de quo Petrus redarguit eos, ut habetur in Actibus Apostolorum V capitulo; et illi statim ceciderunt mortui ad pedes eius. Dicit ergo Hugo: *Indi accusiamo,* scilicet, nos cantantes [1], *Saphira,* scilicet, mulierem, *col marito,* qui ex vilitate peccaverunt, non sperantes spiritum sanctum alere eos. Et subdit alium actum sacrilegæ [2] avaritiæ. Ad quod est sciendum, quod scribitur Machabæorum libro II, capitulo III, Helyodorus missus a Seleuco rege Asiæ in Jerusalem ad spoliandum ærarium templi, quia audiverat ab Apolline ibi esse immensas copias ad sacrificia non pertinentes, cum pervenisset ad templum cum satellitibus suis, et spoliaret illud, apparuit ibi equus terribilis cum equite armatissimo qui cœpit Helyodorum calcitrare; qui territus, suis satellitibus dispersis, conversus ad Dominum petivit veniam, et reversus in Asiam omnia narravit regi. Dicit ergo Hugo: *lodiamo,* in ista cantione nocturna, *i calci,* pedum ferratorum timendos; meliores fuissent muli quam equi.—*Ed in infamia.* Hic Hugo damnat alium actum impiæ avaritiæ. Ad quod est breviter sciendum quod, sicut scribit Virgilius III Eneidos, cum Eneas post recessum a Troia pervenisset in Thraciam regionem et volens facere sacrificium, evelleret virgas myrti, ex primo ramo cœperunt manare guttæ sanguinis [3]: ex quo Eneas factus stupidus et trepidus tentavit iterum evellere alium ramum ut exploraret causam latentem rei; et iterum sanguis manavit de cortice [4]; tertio maiore vi cœpit evellere virgultum, et ecce vox lacrymabilis exivit de terra, dicens: cur pie Enea impie laceras me miserum, jam parce sepulto; heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum etc., hunc Polydorum infelix Priamus quondam miserat Polymnestori regi Thraciæ genero suo cum magno pondere auri, cum jam

(1) E. cantantes simul, *Saphira.*
(2) E. sacrilegi avari. Ad.
(3) 117, sanguineæ.
(4) E. cortice: iterum tertio.

diffideret potentia sua; sed ille mutatus cum fortuna, obtruncato Polydoro, rapuit aurum; propterea Eneas consulto recessit de scelerata terra. Dicit ergo Hugo: *e Polinestor,* crudelis rex crudelis [1] gentis, *ch' ancise Polidoro,* per avaritiam juvenem innocentem cognatum suum, *gira tutto 'l monte,* cantatus a nobis per totum circulum in infamia ipsius avaritiæ. — *Ultimamente.* Hic ultimo Hugo infamat avarissimum hominum, qui justissime luit pœnas avaritiæ in exemplum omnium principum avarorum. Ad quod clare intelligendum est sciendum [2], quod Crassus consul romanus potentissimus collega Pompei homo inauditæ avaritiæ, eo tempore quo Cæsar confœderatus cum utroque jam multis annis bella gesserat in Gallia, ivit in orientem contra parthos cum nobilissimo exercitu, magis spe pecuniæ quam gloriæ; qui, ut brevissime dicam, cum [3] transisset Euphratem contra pacta Pompei, qui fecerat fluvium illum magnum esse terminum imperii romanorum et parthorum, circumventus est incaute ab infinita multitudine parthorum, et infeliciter, deleto exercitu, occisus est in prœlio: cuius caput abscissum affixum est [4] hastæ, et portatum intra civitatem Carrarum, ubi aurum liquefactum infusum est in os eius cum hac exprobratione: *Aurum sitisti, aurum bibe.* Et certe ista sitis magna extincta est sanguine sui et Crassi filii sui nobilis adolescentis et undecim pulcerrimarum legionum. Dicit ergo Hugo: *Ultimamente ci si grida: o Crasso:* loquitur de Marco Crasso ditissimo romanorum post Syllam, qui, ut dicit Plinius, dicebat, non esse divitem nisi qui redditu annuo posset tenere legionem in campis; nec fuit [5] satis nisi totum parthorum exurisset aurum: *dilci chè 'l sai, di che sapore è l' oro,* quia expertus es, et ut

---

(1) E. crudelissimæ gentis.
(2) 117, notandum.
(3) E. cum intrasset Euphratem.
(4) E. est stipiti seu hastæ.
(5) E. nec fuit ei satis.

viveres sicut dignissimum erat. Certe tanta sitis auri fuit, ut scribit Josephus, quod cum iret contra parthos pervenit ad Judæam, et abstulit thesaurum templi, quem Pompeius reliquerat intactum: cui custos [1] pecuniarum tradidit trabem auream magni ponderis, ut redimeret cætera ornamenta pretiosa templi. Juraverat enim Crassus nihil aliud de templo tollere; et tamen rapuit omne aurum templi quod erat maximum; quoniam non minor fuit avaritia hebræorum quam romanorum. Et hic nota quod naturaliter loquendo sapores et odores omnium metallorum sunt aliqualiter fœtidi propter sulphur; sed aurum minime, quia habet sulphur subtile sine malitia, sed parum immutat gustum, et quasi non est sensibile; sed moraliter loquendo amarissimum fuit Crasso. Ergo bene Crassus claudit convicia avarorum. Ex dictis ergo vide quam amarissimus est sapor auri. — *Talor*. Hic Hugo imponens finem suo longo sermoni removet unam dubitationem: quia enim poeta dixerat supra: *tu solo,* respondet Hugo, quod non erat solus renovans illas laudes, sed solus audiebatur ex aliis, quia altius cantabat cum maiori affectione. Dicit ergo: *Talor parliam l' uno alto e l' altro basso,* in alterutra cantilena, *secondo l' affezion,* maiorem vel minorem, *ch' a dir ci sprona,* idest, stimulat, *ora a maggior et ora a minor passo,* idest, nunc ad altiorem, nunc ad bassiorem vocem. Ideo concludit: *però io non era solo dinanti,* idest, paulo ante, sicut tu existimabas, *al ben che 'l dì ci si ragiona,* idest, ad commendationem paupertatis et largitatis, quæ hic decantatur in die; *ma altra persona,* quam ego Hugo, *non alzava la voce qui da presso;* quia alii cantantes simul mecum [2] utebantur voce depressa.

---

(1) E. custos templi tradidit.
(2) 117, secum.

Noi eravam. Ista est quarta pars istius capituli, in qua poeta noster describit mirabilem accidens quod emersit ibi, scilicet tremorem et clamorem qui incussit sibi timorem magnum. Unde dicit continuative: *Noi eravam partiti già da esso,* idest, ab ipso Hugone Ciapetta, qui si fuerat avarus denariorum in vita, fuit (1) mihi largus verborum hic, *e brigavam di soverchiar la strada,* idest, et conabamur percurrere viam, quia multum tardaveram cum illo spiritu, permittente Virgilio, *tanto, quanto al poder n' era permesso,* idest, quanto (2) erat possibile facultati meæ qui eram cum carne, nec poteram currere vel volare sicut Virgilius vel angelus; *quand' io senti' tremar lo monte come cosa che cada:* hic terræmotus evenit ex liberatione Statii poetæ, sicut declarabitur capitulo sequenti. Et dicit: *onde mi prese un gelo,* idest, timor magnus, qui reddit hominem gelidum, quia calor concurrit ad cor, a simili, *qual prender suol colui ch' a morte vada.* Et est comparatio optima: terræmotus enim est res terribilis qui scindit interdum montes, evertit urbes cum magno interitu hominum; et hic poeta noster videbatur videre mortem præ oculis: non enim timemus quæ videntur nobis a longe, quia non timemus mortem naturalem, quam non credimus fore propinquam. — *Certo.* Hic poeta declarat hunc motum montis per nobilem comparationem. Ad quam intelligendam clare debes scire quod Delos est insula notissima apud poetas, una de Cycladibus, scilicet in Arcipelago Romaniæ, quæ olim dicitur fuisse mobilis (3) donec Latona mater Apollinis et Dianæ confugit ad hanc insulam, Junone persequente eam, ubi peperit dictos (4) duos filios. Huius fictionis allegoriam quidam ponunt sic: dicunt enim quod Delos fuit insula quondam quassata magnis et cre-

---

(1) E. fuit tamen largus.
(2) 117, quantum.
(3) E. nobilis.
(4) 117, istos duos.

bris terræmotibus, quia cavernosa, quæ aliquando stetit cooperta aquis novem mensibus tempore diluvii quod fuit in Græcia regnante Ogygio rege: in fine vero apparuerunt ibi radii solis et lunæ; ideo datus est locus fabulæ quod Latona peperit ibi solem et lunam. Verumtamen quamvis ista expositio consona videatur, Macrobius libro Saturnalium subtilius rimatur veritatem huius rei profundius latentem. Dicit enim quod ab origine mundi, cum omnia elementa essent simul mixta in uno corpore, quod antiqui appellaverunt Chaos, cum cœpisset fieri distinctio formalis elementorum, terra adhuc humida substantia in molli et instabili sede natabat; sed crescente paulatim calore cœlesti hæc duo sidera nata videntur; et sol quidem maxima vi caloris tenuit locum superiorem; luna vero velut humida fœmina tenuit locum inferiorem. Latona enim, ut physici volunt, est terra cui diu obviavit Juno (1) ne lumina ista orirentur, idest, quod aer qui tunc erat humidus et turbidus obstabat cœlo, ne splendor luminum appareret; sed divinæ prudentiæ (2) opera vicit, quæ adiuvit partum, propter quod finguntur parti (3) in insula Delos, quia ex mari nobis videntur oriri, quia partus, idest, ortus luminum omnia facit aperte clarescere. Delos enim interpretatur claritas. Ad literam ergo, dicit poeta: *Certo Delo non si scotea sì forte,* idest, non movebatur ita olim sicut nunc mons purgatorii, *pria che Latona,* profuga et gravida, *facesse in lei il nido,* idest, hospitium et lectum, *a parturir li due occhi del cielo,* scilicet, solem et lunam. Et hic nota quantum comparatio (4) est propriissima; sicut enim Delos insula clarissima emisit ibi (5) duo clarissima lumina ad cœlum; ita nunc mons purgatorii clarissimus emittebat

(1) E. Juno, idest aer, ne lumina.
(2) E. providentiæ.
(3) 117, nati in insula.
(4) E. hæc comparatio.
(5) 117, olim.

ad cœlum duos clarissimos poetas, unum antiquum, scilicet, Statium, alium modernum, scilicet, Dantem: de Virgilio non loquor, quia non ivit ad cœlum. — *Poi.* Hic poeta describit clamorem qui (1) est secutus ad tremorem: hunc clamorem magnum fecerunt spiritus ex magno gaudio per liberationem Statii, ut dicetur in sequenti capitulo. Dicit ergo: *Poi cominciò da tutte parti un grido,* per omnes circulos montis, *tal, che 'l maestro invêr di me si feo,* ad succursum, *dicendo: non dubbiar mentr' io ti guido,* idest, non timeas donec duco te, quia si defendi te in inferno contra omnia terribilia, quanto magis in purgatorio. Et explicat vocem clamantium, dicens: *tutti dicean: Gloria in Excelsis Deo, per quel che da vicin compresi,* a (2) spiritibus ibi jacentibus, *onde lo grido si poteo intendere.* Et sic vide quod poeta merito hoc fingit. Sicut enim angeli cantaverunt cum lætitia hymnum istum quando natus est Redemptor mundi (3), ita nunc spiritus quando liberata est anima. Et tangit effectum clamoris dicens: *noi ci restammo immobili e sospesi,* allecit suavitate cantus, *come i pastori,* tempore nativitatis Christi, *che pria udir quel canto,* scilicet, gloria in excelsis (4), *fin che 'l tremar cessò,* similiter et clamor; *et e' compièsi,* quia clamor durat quamdiu tremor. Et hic nota quod ista secunda comparatio non posset esse magis propria de pastoribus ad poetas, quos semper Virgilius appellat pastores libro Bucolicorum: et ipsi duo erant duo pastores optimi, unus vetus, alter novus. — *Poi.* Nunc poeta revertitur ad materiam suam, dicens: *Poi ripigliammo nostro camin santo,* quod parum intermiseramus propter tremorem et cantum, *guardando l' ombre,* idest, animas avarorum, *che giacean per terra tornate già,* scilicet, post

(1) E. qui consequutus est ad.
(2) E. scilicet a spiritibus.
(3) E. mundi pretiosissimus Dominus noster Jesus Christus, ita nunc.
(4) E. excelsis Deo, *fin che.*

dictum: Gloria in excelsis Deo, *in su l' usato pianto.* Et subdit quod factus est avidissimus sciendi causam huius mirandæ rei; unde dicit: *nulla ignoranzia mi fe mai con tanta guerra,* in animo, *desideroso di sapere,* aliquid, *se la memoria mia in ciò non erra;* prudenter loquitur, quia tot millia dubiorum fuerant in mente sua, quod forte non erat verum quod dicebat; *quanta parèmi allor aver pensando,* super dicto terræmotu. Et dicit, quod sitis magis crescebat, quia nec per alium nec per se poterat declarari: unde dicit: *nè era oso dimandar,* scilicet a Virgilio, *per la fretta,* quia ibant valde velociter, cum multum stetissent in isto circulo, et ista non videbatur materia levis tractanda in discursu; *nè per me lì potea veder cosa,* scilicet, aliquam quæ esset causa terræmotus: ideo concludit: *così m' andava timido e pensoso.* Et vere tempus erat non dicendi plura in isto XX capitulo, quod continet in se tot nobiles historias, fabulas et sententias.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX TOMI TERTII.

COMENTUM PURGATORII.